Periodica
Tom. XI
1922

Museum Lessianum

PUBLICATIONS

dirigées par

des Pères de la Compagnie de Jésus

LOUVAIN

SECTION ASCÉTIQUE ET MYSTIQUE

SECTION THÉOLOGIQUE

SECTION PHILOSOPHIQUE

Rédaction : 11 **Rue des Récollets, LOUVAIN**

Administration : **Beyaert, BRUGES**

ISOLA DEL LIRI — Società Tipografica A. Macioce & Pisani

Periodica de re morali, canonica, liturgica.

Museum Lessianum

ARTHURUS VERMEERSCH, e Soc. Iesu

DOCTOR IURIS ET IURIS CANONICI, ROMAE, IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA S. I. PROFESSOR THEOLOGIAE MORALIS

PERIODICA

DE RE CANONICA ET MORALI

UTILIA PRAESERTIM

RELIGIOSIS ET MISSIONARIIS

TOMUS UNDECIMUS

(continuans ***De Religiosis Institutis****, etc. t. 2)*

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
PDRM
Alma, California

BRUGIS

SUMPTIBUS BEYAERT

Editoris Pontificii

BARCELONAE
EUG. SUBIRANA
Puertaferrisa

ROMAE (19)
DEPOSITO LIBRI, UNIVERSITÀ GREGORIANA
Via del Seminario, 120

1923

10230

v. II

IMPRIMI POTEST

IOSEPHUS FILOGRASSI, S. I., *Praep. prov. Romanae.*

IMPRIMATUR

Sora 30 Dec. 1922

† ANTONIO M. IANNOTTA
Vescovo di Aquino, Sora e Pontecorvo

PARS PRIOR

SUPPLEMENTA

ET QUAESITA VARIA

DISSERTATIONES

I. Moralis et Pastoralis consideratio de religiosarum confessione facta confessario ex c. 522.

I. *Ratio dicendi.* Non semel iam canonicam de confessionibus religiosarum questionem in his Periodicis (1) et alibi (2) proponere et solvere conati sumus. Nec ratio est cur idem argumentum iterum hodie recantemus. Etenim, post responsum 24 nov. 1920 Commissionis Pontificiae interpretando Codici (3), haec satis conveniunt inter auctores : Tam intra quam extra domum religiosam, religiosa valide et licite utitur occasione confitendi apud sacerdotem approbatum pro confessionibus mulierum in genere, dummodo confessio ista instituatur " in ecclesia vel oratorio etiam semi-publico, aut in loco ad audiendas confessiones mulierum *legitime* destinato " (4).

(1) VII, (30). (49) - (52). 86 - 96. 125 - 136, VIII, 229. IX, (9) - (16). X, (14). (15). — (2) V. g. *in Epitome iuris canonici*, I, n. 490 - 500. — (3) Per. VII, 125. — (4) Sunt verba decreti.

Die 9 ianuarii 1922, cum in Urbe ad S. Apollinaris, in solita conferentia morali, de religiosarum et monialium confessione ageretur, ne unus quidem ex sex vel septem astantibus censoribus theologis qui, post auditam casus expositionem, suam sententiam dicere rogantur, insinuavit restrictionem qua in textu canonis restituenda forent, ex superiore decreto *Cum de sacramentalibus*, 3 febr. 1913, verba: " Si quando moniales aut Sorores extra propriam domum, quavis de causa versari contigerit ,, quae a commissione Codicis consulto et deliberate in canone suppressa fuisse nobis compertum est. Verum omnes, per totam disceptationem, expresse vel tacite professi sunt non minus intra quam extra conventum, factas confessiones valere et licere.

Est quidem unus vel alter scriptor qui locum " ad audiendas confessiones mulierum legitime destinatum " stricte intellegendum existimant de loco qui omnibus mulieribus pateat, ita ut, excludendo locum excipiendis solis monialium confessionibus legitime destinatum, has beneficio canonis 522 privare possint. Et tamen, ut ex securo fonte accepimus, condicio " si extra propriam domum versari contigerit ", hac potissimum intentione sublata est, ut etiam moniales benignioris iuris participes esse possent.

Sunt igitur, id diffitendum non est, et theologi et Praelati omni consideratione digni, quibus ista iuris facilitas minus probanda videtur, ita ut eandem saltem interpretatione sua temperare studeant. Nec miratione nos moverit, si qui Praelati vel Antistites, auctoritate valentes, ab ipsa S. Sede directam vel indirectam abrogationem aut limitationem c. 522 obtinere satagerent. Quod rectissima intentione ab ipsis fieri vel tentari minime dubitamus; moventur enim vel animo ab omni novitate averso, vel timore abusus libertatis; atque, ut veri simile est, veros quosdam excessus quibus eorum formido confirmetur, allegare possunt. Nulla enim est institutio positiva quin sua incommoda secum ferat; et rationabilis usus conces-

sae libertatis quosdam initiorum excessus consequi consuevit. Excessus autem isti statim denuntiantur, dum commoda recti usus libertatis ad Superiores deferri non consueverunt.

Quare operae pretium esse videtur, ut morale et pastorale istius quaestionis examen pro viribus instituamus, quaerendo quid pax et profectus animarum re vera suadeant.

II. *Variae considerationes.* 1. In primis, parum, in hac re moveri possumus obiecta specie novitatis vel innovationis, etiam si natura vel aetate omni innovationi infensi fuerimus. Etenim benignior ista confessionum disciplina, ut paulo infra magis apparebit, intime conexa est cum alia innovatione, a qua tamen recedere nemo cogitat; idest cum magna mutatione disciplinae circa usum frequentis et cotidianae communionis. Et re quidem vera, quam diu moniales et sorores, non cotidie, sed bis vel ter tantum in hebdomada, immo interdum, in hebdomadis quae carebant festis religionis, semel tantum ad sacram mensam accedere solebant, ipsis satis erat provisum per confessarium extraordinarium et supplementares decreti citati *Cum de sacramentalibus.* Monialis enim poterat tunc, sine aliqua nota, communione abstinere si qua conscientiae anxietate premebatur, supplendo, ex consilio confessarii, alia die communionem omissam. Immo saepe, propter intervalla communionum, poterat iam ante proximam communionem anxietatem deponere, v. g. quaerendo extra domum confessarium in ecclesia, vel arcessendo confessarium approbatum.

Verum hodie universalis dici potest usus communionis cotidianae in communitatibus religiosis. Supposito hoc facto, istud praecise quaerendum est. Estne opportunum, immo quasi moraliter necessarium, ut, in ipsa religiosarum domo occasio confessionis moraliter cotidie religiosis mulieribus offeratur.

2. Propter eandem causam, mutatae disciplinae communionis, ineffficax est argumentum desumptum ex auctoritatibus quae ante Codicem vel leges de cotidiana communione suam sententiam dixerunt, cum factum tam notabile ipsi considerare non potuerint. Itaque rationes utriusque consilii, severitatis vel benignitatis perpendendae sunt.

3. *Rationes severioris consilii.* Cotidiana occasio confessionis monialibus et sororibus in ipsa earum domo daretur: *a*) Vel obligando confessarium ordinarium ut se conferat cotidie in conventum. Sed tantum onus ipsi imponi plerumque non poterit. Praeterea minus decet ut idem sacerdos tam frequentur visitet monasterium extra horam missae: malitiosae oblocutiones facile excitarentur; atque ipsi, ex cotidiano accessu, oboriretur satis connaturalis tentatio se miscendi interiore vel exteriore communitatis regimine, quod canoni 524, § 3 et pluribus sanctionibus synodalibus adversatur.

b) Occasio cotidianae confessionis dari possit, curando ut sive extraordinarius sive supplementares confessarii conventum adeant et se offerant tamquam confessarios diebus quibus ordinarius confessarius non sit exspectandus. Sed tunc, Sorores quasi invitantur ut confessiones multiplicent et varios confessarios adeant. Idque parum opportune. Si enim Sorores vel moniales isti invitationi obsequantur, disciplina de unico confessario ordinario virtualiter supprimitur; quam evictionem ordinarius confessarius satis aegre feret, ita ut parentur invidiae, contentiones et conflictus. Si vero Sorores tali invitationi non obsequantur, sacerdotes isti saepe frustra, seu sine causa ad conventum accedent: quod ipsis vel taedium generabit vel tentationem suggeret divertendi in conventu ad alia negotia.

c) Restat tunc, tamquam medium procurandi co-

tidianam occasionem confessionis, ut sacerdos, qui sit simplex confessarius mulierum, si qua alia causa, v. g. litandi, ipsum arcesserit, possit roganti moniali vel sorori annuere, eius confessionem excipiendo. Eritne autem talis sacerdos seu cappellanus prudens Sororum vel monialibus confessarius? Nonne cotidiana ista occasio suggeret nonnullis monialibus ut ordinarium confessarium practice deserant, et se eius directioni subducant? Immo minus probato sacerdoti opportunitas sic praebetur fovendi affectus minus nobilis, minus purae, immo omnino detestandae amicitiae.

Hactenus quae pro severitate alleganda videntur.

4. *Quid suadeat ut cotidiana occasio confessionis detur in ipsa domo religiosa.* Confessionem ante cotidianam comunionem, facere possunt necessariam: *a*) Seriae causae ad conscientiam pertinentes. Conversatio etiam habitualiter bona et fervida neminem tamen a morali fragilitate immunem efficit. - *b*) Anxietates subiectivae de statu gratiae, de superata tentatione, de servato ieiunio naturali, etc. Quae anxietates hodie in tam multis morbis nervosis frequentiorem causam reperiunt; ac periculosius mulieres quem viros vexant.

Iam vero, si, in his adiunctis, copia confessarii defuerit, cum practice abstinere communione sit molestum, merito vel immerito anxia religiosa facile committet peccatum sacrilegae communionis, quae etiam diuturnae seriei sacrilegiorum ansam dare potest. Quid tamen tristius in anima personae Deo dicatae concipi potest?

5. *Comparatio incommodorum utriusque consilii.* - *a)* Periculum sacrilegiorum est magis frequenter et magis per se formidandum. Est enim, in singulis domibus religiosis commune plurium periculum; dum periculum gravis abusus proprium est unius sacerdotis qui sit imprudens vel improbus, quamvis pro confes-

sionibus fuerit sine limitatione approbatus. - *b*) Periculum istius abusus quod ad magnam partem removeri potest meliori delectu cappellanorum et sacerdotum quibus iurisdictio sacramentalis confertur ; dein vigilantia ipsius Superiorissae, quae, si nimis frequentem observaverit conversationem eiusdem Sororis cum eodem sacerdote, Ordinarium de re certiorem reddere potest ; - *c*) cura quoque eligendi aptissimum confessarium ordinarium, qui occasiones anxietatum minuere noverit et sibi fiduciam conciliet. Tunc ipsa amputabitur tentatio adeundi sine necessitate sacerdotem extraneum.

III. *Conclusio.* 1. Si ita res se habent, quis non perspicit, maius malum esse periculum sacrilegiorum ? Quis non concedet procurationem facilis copiae confessionis esse necessarium corollarium propagatae communionis cotidianae ? Minore quidem Superiorum molestia, negatur Sororibus et monialibus commoditas habendi confessarium, quam sedula vigilantia ad praecavendos abusus ab iisdem exercetur. Sed nimio pretio se onere levatos existimabunt iidem Superiores, si timere debent ne sint inconscii fautores sacrilegiorum.

2. *Quonam* autem *modo* copia cotidiana confessionis danda erit ? Propter rationes supra indicatas ad suadendam severitatem, solus vere commendandus videtur tertius modus, quo monialibus et sororibus permittitur ut occurrenti sacerdoti (pro mulieribus approbato) ad tranquillitatem animae suae confiteantur.

Praestatne autem limitare facultatem ita ut Sorores tantum extra propriam domum ea frui possint ? Contra, longe praeferendum arbitramur, ut etiam intra domum propriam id ipsis concedatur. Non solum enim beneficium sic extenditur ad moniales, quae secus non poterunt sine aliqua sui diffamatione, postulare ut pro ipsis vocetur confessarius supplemen-

taris, et in casibus magis urgentibus nullum habebunt effugium; sed etiam confessio in ipsa domo religiosa facta, minus obnoxia est abusibus et incommodis. Sicut nobis referebat Praelatus ecclesiasticus qui per plures annos in maxima urbe ista negotia moderanda habuit, per condicionem confessionis extra domum faciendae, das Sororibus praetextum ad obtinendum, frequentius quam par est, licentiam excurrendi extra conventum. Praeterea, quisnam tunc adeatur confessarius, Superiorissae celatur. Nonne sacerdos qui in ipsum conventum admittitur ad aliquam functionem sacram, magis probatus praesumendus est quam ille quilibet qui in ecclesia exteriore occurrit? Contra, qua opportuniore hora, quo opportuniore loco datur ista confessarii copia quam ante celebrationem sacri? Tunc obveniunt magis urgentes casus; tunc, nisi omnino perversus sit sacerdos, instans sacra actio consilia minus sancta fugat; tunc, sub oculis omnium facta confessio, ex ipso timore humano, rarius sine causa instituetur; et si ratio accedendi det cuipiam suspicioni, haec a pluribus testibus Superiori vel Ordinario communicari poterit.

Neque putes ex maiore facilitate frequentiorem futurum esse usum vel abusum. Id enim nos docet psychologica observatio personarum. Mulieres propensae sunt ad quaerenda sibi curiosa et extraordinaria. Formali exceptione uti cupient; via autem incedere quae ordinaria sit et omnibus aperta, nihil continet quod ipsas alliciat.

Nihil igitur nobis videtur prudentius excogitatum, quam praesens dispositio canonis 522, quae, sine alia distinctione, permittit ut in omni loco confessionibus mulierum legitime destinato, ipsae moniales et Sorores ad tranquillitalem animae suae sacerdotem pro mulieribus approbatum adire permittantur.

Simplicem istius canonis applicationem sequetur

etiam istud bonum, ut Superiores ecclesiastici magis studeant tales personis quae vitam Deo dicarunt seligere moderatores spiritus ad quos omnes libenter recurrant; atque ipsi confessarii ordinarii excitabuntur ut diligentius munus suum exsequantur quam si, propter monopolium, possint sine personali incommodo esse neglegentes.

Haec duo observanda addemus. Iam a Concilio Tridentino (quo confessarii extraordinarii introducti sunt) leges Ecclessiae constanter tendunt ut fidelibus et etiam religiosis facilior et abundantior detur optio confessariorum. Quamvis ista facilitas locum det abusibus quibus parceretur, si solus probatissimus parochus suorum confessiones audire permitteretur, eam gravissimis rationibus suaderi nemo ambiget. Generali ista legum inclinatione non modice nostra conclusio confirmatur.

Eius rationes autem multo urgentiores fiunt, ubi agitur non iam de personis Deo devotis sed de educandis. Fas nobis sit id quod sentimus, modeste quidem sed sincere exprimere. Non ausi simus tuta conscientia, promovere cotidianem communionem apud adulescentes quibus desit cotidiana occasio confessionis.

II. Interpretatio c. 19 de stricta quarundam legum interpretatione, cum nonnullis applicationibus.

Canon 19 sic habet " Leges quae poenam statuunt, aut liberum iurium exercitium coartant, aut exceptionem a lege continent, strictae subsunt interpretationi ".

I. Difficultatem recte intellegendi istum canonem non videntur attendisse qui de iure canonico hactenus scripserunt, si excipias R. D. Professorem VAN HOVE, in erudita sua disputatione de *privilegiis* (1).

(1) *De la notion du privilège* (extrait de la NOUV. REV. THÉOL, ianv.-mars, 1922).

Iam in se tamen molestam esse quaestionem de genere interpretationis quod legibus conveniat, perspicitur legenti SUAREZ, *De Legibus*, L. 5, c. 2, *De lege odiosa et favorabili earumque varietate*. Profecto, cum lex feratur in bonum commune, causa eius est maxime promovenda, unde dixeris omnem legem esse late interpretandam. " Eo ipso quod est iusta et propitia communi bono, censetur favorabilis, et amplianda intra limites favoris ". Ita SUAREZ l. c. n. 14, qui tamen praemittit haec alia verba, quae exceptiones demonstrant: " Quod si lex sit quae nulli imponit speciale gravamen, nec ita est gravis et onerosa ut propterea odiosa censeatur "; et in numero sequenti, non audet nisi exempla dare legum odiosarum, quarum species praecipue tres vel quattuor esse existimat: " Lex poenalis, lex tributum aut onus imponens, lex irritans factum quod prohibet directe vel indirecte seu consequenter, lex exorbitans a iure antiquo, aut illi derogans vel limitans, aut corrigens illud, et a fortiori lex posterior priorem abrogans ".

Itaque de ista difficili quaestione est c. 19 qui, nihil dicens de reliquis legibus, tres species pronuntiat strictae interpretationi subesse. Etsi autem enumeratio non sit completa, nobis tamen hanc pretiosam normam exemplis suis suppeditat, genus interpretationis, non ex fine sed *ex obiecto seu materia* potissimum pendere. Cuius normae ratio satis obviam se offert: Cum finis legis sit bonum commune, ex hac parte, omnis lex dicenda foret favorabilis. Ergo aliunde, id est ex obiecto, ratio diversae interpretationis quaerenda est.

II. Tres porro materiae in canone proponuntur ut odiosae: *poena, coartatio liberi exercitii iurium, exceptio a lege.*

1. *Primus casus* iamdudum est utriusque iuris civilis, Romanorum et canonici, regulis expressus.

" In poenalibus causis benignius interpretandum est ": sic, l. Factum cuiusque, 155 in fine, D. *De regulis iuris* (L, 17); " Interpretatione legum poenae molliendae sunt potius quam exasperandae ". Sic, l. Interpretatione, 42, D. *De poenis* (XLVIII, 19); " In poenis benignior est interpretatio facienda " (R. I. 49 in 6.) Ideo etiam, non attenta regula de non retroactivitate, delicto quod sub priore lege commissum erat applicabitur lex mitior: antiqua, si mitior sit quam nova; nova, si haec sit benignior. Cf. c. 2226, § 2.

Et quia regula sine exceptione in c. 19 proponitur, non iam videtur limitanda hodie « fallentiis » seu exceptionibus quibus atniqui, v. g. REIFFENSTUEL, *De Regulis Iuris*, eam temperabant.

2. *Alterum exemplum* postulat ut prius perspicue noverimus *iura* quorum liberum exercitium coartari lege potest. Iura ista non sunt soli *dominatus* nostri in res, seu bona a nobis possessa, vel *praerogativae*, v. g. ius eligendi; sed sunt etiam *liberae facultates* omnibus per se datae. Talis est facultas ingrediendi religionem, ex c. 538; facultas nubendi, ex c. 1035. « In religionem admitti potest quilibet catholicus qui nullo legitimo detineatur impedimento... » « Omnes possunt matrimonium contrahere qui iure non prohibentur. » Compares diversum modum dicendi, c. 968 *De ordine*: sacram ordinationem licite « recipit qui ad normam sacrorum canonum debitis qualitatibus, iudicio proprii Ordinario praeditus sit, neque ulla detineatur irregularitate vel alio impedimento. (Cf. quoque c. 972.) Quare, ut haec distinguamus, stricte interpretabimur impedimenta matrimonii et ingressus in religionem, non autem condiciones requisitas ad ordines suscipiendos. Norma ista manifestam habet applicationem in dispositione Decreti *inter reliquas*, qua religiosi professionem temporariam *valide* facere non possunt nisi usque ad tempus ordinarii servitii

militaris; per quod servitium manere coguntur sine votis (1). Cum hic manifesto coartetur liberum exercitium iuris professionis religiosae, dispositiones istae, secundum memoratum principium, sunt strictissime interpretandae. Accedit ratio c. 15, quo leges irritantes in dubio iuris non urgent et in dubio facti ab Ordinario dispensari possunt.

3. Canon 19 vult ut stricte sumantur leges quae *exceptionem a lege continent*. Hic longe maior nascitur difficultas applicationis, praesertim cum agitur *de privilegiis* quae per legem generalem sanciuntur. Diligenter itaque primo consideremus cur lex quae exceptionem a lege statuit a lege debeat strictae interpretationi subesse. Ratio haec est, ni fallimur, quia ad bonum commune interest ut dispositio quae *ut universalis lata est*, universalem applicationem recipiat. « Turpis enim, sic aiunt, omnis pars est suo universo non congruens » (2); quare, ipsa lex naturalis dicitur obligare legislatorem qui pars sit communitatis, ut legem suam observet. Ideo, regula canonis 19 sine dubio applicanda est legibus particularibus seu regionalibus, et legibus quae non de universa aliqua personarum classe sed de parte tantum disponunt quae iuri communi adversantur.

Similiter, quia iura potius concordanda sunt, derogatio legi anteriori per legem posteriorem strictam interpretationem postulat. Quod expresse cc. 22 et 23 confirmatur.

Quaestio autem fit de lege *generali*, ac proin Codice contenta (3), quae universae cuidam classi personarum privilegia concedit. Sunt, v. g. R. P.

---

(1) Cf. *Periodica* V. p. 282-284; X, p. 70 et (39).

(2) C. Quae contra mores, 2, Dist. 8.

(3) Cum Codex sit collectio legum generalium, omnis lex generalis dicenda est Codice contenta. Sic, VAN HÖVE, *op, cit.* p. 3 A nota 3; MAROTO, *Institutiones I*, n. 291 fine.

MAROTO (1) qui haec negat esse privilegia proprie dicta; R. D. TOSO autem hypothesim quasi alio modo excludere videtur, dum sic verba nostri canonis explicat: « aut exceptionem a lege continent: quibus nempe quarundam personarum physicarum gratia, iuri communi derogatur, ut fit legibus quae continent privilegium (2) ». Prior itaque exceptiones fieri a lege per beneficia communia non negat, sed eadem dicit esse privilegia late sumpta; alter haec praetermisisse videtur. Et sane, cum Codex ipse, c. 71 loquatur de privilegiis Codice contentis, et haec nequeant proponi ut facta « quarundam personarum physicarum gratia », prioris modus dicendi alteri certe praeferendus est. Quaedam tamen distinctius proferre conemur.

Ut optime observat R. D. VAN HOVE, leges, etiam favorabiles, quae feruntur de certa personarum classe, aliae earum statum ordinant prout natura rerum requirit; aliae personas istas excipiunt a lege generali cui per se obnoxiae forent; aliae demum, ultra quam personarum condicione postulatur, ipsis dant favores vel praerogativas. Ita, praecedentia concessa Cardinalibus et episcopis, honores ipsis debiti, naturam privilegiorum nullatenus habent; dispositio c. 2227 § 2 qua, nisi expresse nominentur, Cardinales et episcopi sub certis poenis non conprehenduntur, est privilegium quo stricte a iure communi fit exceptio; variae facultates iisdem cc. 239 et 349 datae, v. g. sibi eligendi confessarium non approbatum ab Ordinario loci, ubique habendi altare portatile, est privilegium, minus tamen quam praecedens, contra ius commune.

Primo manifestum est, in c. 19, *exceptionem* stricte intellegendam esse. Sin minus, omnia privilegia

(1) Op, c. n. 291.

(2) *Ad Codicem iuris canonici, Commenaria minora*, in, c. 19 c. f. 3.

Codice contenta, deberent stricte intellegi, quod persuasioni unanimi doctorum et ipsi c. 68 aperte repugnat. Canon enim iste supponit esse privilegia quae late sunt intellegenda. Et privilegia Codice contenta benignius quam alia interpretanda sunt.

Verum etiam quando agitur de lege *generali* quae concedit privilegia quibus a lege communi proprie excipitur, haec non debent stricte sumi. Etenim ex c. 50, secundum quem, vi c. 68, privilegia interpretanda sunt, tunc tantum forent stricte intellegenda si in *commodum privatorum* legi adversarentur. Sed praerogativae Cardinalium, episcoporum non sunt in commodum privatorum. Ergo, etiam si per rescriptum concederentur deberent ample sumi. Quanto magis cum lege generali statuuntur ! Praeterea, conveniunt doctores exemptionem regularium, quae sane est exceptio a iure communi esse late sumendam.

Si ita res se habent, ultima verba c. 19 videntur ita intellegenda esse. Lex quae iuri communi derogat potest *directe* statuere *exceptionem*, et potest *directe speciale ius constituere* favorabile. Prius censetur legislator facere potius invitus, cum magis quam ipsa dispensatio huiusmodi derogatio legem per se universalem vulneret ; alterum solet facere prompto animo ; et ratio boni comunis propter quam ius singulare ponitur, compensat incommodum derogationis legi generali factae.

Quare istas solas leges stricte interpretabimur quae exceptionem *directe* inducunt.

III. *Applicationes*. 1. Canoni 1094 de forma celebrationis matrimonii derogant canones 1098 et 1099 ; et ipso c. 1094, vocantur exceptiones (1) ; exceptio etiam est c. 1104 de matrimoniis conscientiae : istos canones stricte intellegemus. Contra, ample accipiemus

(1) Ceterum privilegia acatholicis, de quibus in c. 1099 § 2 concedere, ius canonicum non cogitat.

c. 883, qui directe sacerdotibus iter maritimum arripientibus, facultatem facit audiendi confessiones sine approbatione Ordinarii loci.

Quid dicemus de c. 522, quo religiosae permittitur ut ad conscientiae suae tranquillitatem confessarium adeat non specialiter pro Sororibus istis, sed generaliter tantum pro mulieribus approbatum? Plures urgent strictam interpretationem, quia lex ista sit exceptio a c. 876. Verum, cum in ipso c. 876 appelletur c. 522, et non quidem ut exceptio sed ut « *praescriptum* », potius dicendum est canonem 876 non esse legem proprie universalem, nec canone 522 eidem fieri exceptionem. Quocirca, cum consulat tranquillitati animorum et securitati salutis, canonem ample esse intellegendum sine dubitatione concludimus. Sin aliter, ipsi cc. 239, § 1 et 523, prior de privilegio Cardinalium, alter de optione facta sorori graviter aegrotanti, etiam stricte accipiendi forent, cum eadem numeratione c. 876 contineantur. Id tamen dicere, nemo, ni fallimur, ausus sit in sua tamen dispositione non stricte universali, c. 876, quatenus, per specialem Confessariorum approbationem, consulit prudentiae eorum qui religiosis destinantur, a nobis minime dicetur odiosus. Odiosus potius est c. 520, quatenus, sublata ordinaria optione, unicum tantum confessarium ordinarium religiosarum domibus assignat. Hac enim severitate, eripit monialibus et sororibus facultatem c. 905 : « Cuivis fideli integrum est confessario legitime approbato etiam alius ritus, cui maluerit, peccata sua confiteri. »

IV. *Brevissima conclusio.* In c. 19 leges quae exceptionem continent, sunt leges *particulares* derogantes iuri communi, et etiam leges generales quae directe et formaliter promulgantur ut exceptiones a lege vere universali. Ac fieri quoque potest, ut, propter ipsam naturam vel propter ipsum modum concessionis, lex

particularis qua universali derogetur sit ample sumenda, quia ratio strictae interpretationis contraria ratione superatur, ita ut c. 19 applicandus quidem sit *per se*, sed non absolute in omni casu.

QUAESITA VARIA

QUAESITA COMMUNIA SAECULARIUM

I. De librorum conscriptione.

Titius, clericus saecularis, dioecesis N. varios libros de argumentis sacris inscio proprio Antistite scribit, quos publici iuris facit in alia dioecesi, praevia episcopi huius dioecesis recognitione et approbatione. Id aegre ferens proprius episcopus, qui scriptori obiciebat neglectum munus quo fungi debebat, ipsum prohibuit ne in posterum libros tales scriberet sine expressa sua licentia. Titius autem suo Antistiti reverenter respondit sibi, ad scribendos libros sacros, ipsius licentia opus non esse, cum c. 1385, in § 2 haec habeat: « Licentia edendi libros de quibus in § 1 dare potest vel Ordinarius proprius auctoris, vel Ordinarius loci in quo libri publici iuris fiant, vel Ordinarius loci in quo imprimantur », ita ut auctori trium Ordinariorum optionem linquat, sola exceptione facta pro religiosis, qui, ex § 3, licentiam quoque sui Superioris maioris antea consequi debent.

Aliter quidem dicendum esse si ageretur de libro argumenti non sacri, quia tunc, ex 1386, consensus proprii Ordinari fiat clericis saecularibus necessarius.

Antistes autem id existimat absurdum, ut ipsius auctoritas minus possit in provincia magis sibi propria argumentorum sacrorum, quam in rebus quae directae eius competentiae sunt extraneae.

Quid de casu pronuntiandum est ?

Resp. Quamvis ipse Codex satis confuse de censura et de licentia loquatur, accurate tamen distinguenda est licentia scribendi a censura quae divulgationi operis scripti praeponenda est. Licentia petitur propter subordinationem personae ; censura propter securitatem legentium fidelium. Cf. *Epitome iuris canonici*, II, 724. Haec opus, illa auctorem directe attingit. Quare facile intellegitur cur censura aeque committi possit uni ex Ordinariis quorum speciatim interest, dum licentia a proprio Ordinario seu Superiore petenda est. Proprius enim Superior optimas rationes habere potest cur nolit ut liber etiam integrae doctrinae a subdito suo in vulgus edatur, v. g. quia munus quod gerit cum labore scribentis aegre componi possit, vel quia sacerdos rebellis de libris cum plausu receptis contra Antistitem suum gloriari possit.

Bene itaque capitur cur, ex c. 1386, clerici saeculares, sine consensu *suorum* Ordinariorum « libros quoque » de rebus profanis edere vetentur.

Sed mirum omnino foret ut iidem clerici libros de sacro argumento sine sui Ordinarii consensu typis scribere permitterentur. Et ipsa vox « quoque » c. 1386, insinuat dependentiam pro aliis libris. Quare, etsi litteralis expositio c. 1382 saeculares clericos immunes facere videatur a petitione cui solos religiosos astringit, mentem hic legislatoris, secundum c. 18, appellandam esse censemus, ut simpliciter concludamus, contra ac Titius existimabat, clericis saecularibus, ut libros cuiuslibet generis scribant, opus esse licentia proprii sui Ordinarii.

Historice autem, ni fallimur, aliqualis canonum obscuritas in hac re, explicatur. Ante Codicem, clerici saeculares, pro solis ephemeridibus moderandis, opus habebant licentia sui Ordinarii ; dum, ex C. *Officiorum ac Munerum*, art. 36, regulares licentiam tum

episcopi tum proprii Praelati in opere censurae obnoxio imprimere iubebantur. Canon igitur 1385 ius pristinum refert, nisi quod de religiosis omnibus statuit quod solis regularibus erat praescriptum. Cum dein voluerint severiorem disciplinam de omnibus libris scribendis clericis saecularibus et religiosis imponere, quasi iam dixerint de libris sacri argumenti, clericos saeculares et religiosos obligarunt ut « libros quoque qui de rebus profanis tractent » cum consensu Ordinariorum suorum vel Superioris maioris ederent.

Verba autem *libros quoque* etc. quae ad religiosos perfecte aptantur, minus bene conveniunt clericis qui nondum expresse iussi erant consensum proprii Ordinarii exquirere.

Non ideo tamen effectu caret praetermissio clericorum saecularium in c. 1385. Licentia enim potest esse generalis, tacita et praesumpta. Clericus igitur saecularis generali licentia sui Ordinarii munitus, libros profanos nulli censurae subicere debet, de libris autem sacri argumenti, qui recognosci debent, optionem habebit quae c. 1385 inter tres Ordinarios permittitur. Ac nisi quid obstet, clericus saecularis licentiam proprii Ordinarii rationabiliter praesumet, si Ordinarius editoris librum approbet, dum religiosus expressa licentia opus habebit.

R. P. PRÜMMER, O. Pr. *Manuale*, Q. 415, nota, cum agit de licentia, necessariam dicit clericis licentiam *Ordinarii loci*. Quisnam vero Ordinarius loci eam dare debeat, non definit. Bene AUGUSTINE, in c. 1386, licentiam dicit requirendam a proprio Ordinario. Quomodo autem dein, si proprius Ordinarius non permiserit opus de re profana, idem auctor concedat auctori ut aliumquaerat Ordinarium, ad normam optionis factae c. 1385, id nos plane fugit.

II. De Facultate capessendi statum religiosum.

Titius adolescens humaniora studia fecit, bursa studiorum fruitus quam Ordinarius loci ipsi concesserat. Absolutis studiis, cum Antistiti suum consilium ingrediendi religionem aperuisset, Antistes id ipsi vetuit, donec per tres annos munus praefecti vel magistri in collegio ecclesiastico obiisset. Potuitne episcopus hanc ei imponere condicionem ?

Resp. Adiuncta interdum suadebunt ut, saltem ex quadam aequitate, *nisi quid obstiterit*, iuvenis voluntati Praelati obsequatur. Si tamen, neglecta ista iussione, religioni nomen dederit, iure suo est usus. Ipsis enim clericis, quam diu sunt in minoribus ordinibus, liber ingressus in religionem nullo canone negatur, ita ut de ipsis valeat c. 538: « In religionem admitti potest quilibet catholicus qui nullo legitimo detineatur impedimento. » Minime obstat si seminarium sumptus aliquot fecerit in alendo clerico. Nisi enim in ipsa *bursae constitutione* aliter fuerit cautum, res ex communi iure clericorum aestimanda manet. Is tantum qui diserte, ex pacto vel iuramento *legitime* praestito, se adegerit ad serviendum dioecesi per aliquot annos, clare comprehendendo casum vocationis religiosae, ingressum differre deberet, nisi ob periculum salutis vel vocationis nimio excusaretur incomodo. Quod confirmatur resp. S. C. *Concilii* 26 feb. 1695, apud MONACELLI, *Supplementum formularii*, II, n. 108.

Nec disciplina ista mutata est per c. 128, qui clericos in genere obligat ut quam diu id, iudicio proprii Ordinarii, exigat ecclesiae necessitas, suscipiant et fideliter impleant munus quod ipsis fuerit ab episcopo commissum. Id enim intellegendum est quam diu condicionem clerici saecularis conservent. Sed sicut canone isto clericus in minoribus minime pro-

hibetur se ad statum laicalem redigere, sic integrum ipsi manet religiosum statum amplecti.

III. De significatione vocis *Tabernae*, in c. 138.

Canone 138 prohibentur clerici tabernas aliaque similia loca sine necessitate aut alia iusta causa ab Ordinario loci probata ingredi.

Operae itaque pretium est propriam vocis significationem iuridicam in isto canone definire. Per se enim taberna designat locum ubi merces venales prostant, ita ut etiam sit taberna argentaria. Hic, satis liquet agi de tabernis ubi venales offeruntur cibi et potus. An omnes tabernae istius generis prohibitione comprehenduntur? Minime, si stemus iure communi. Hic enim in Urbe, hoc nomine intellegunt vulgares popinas, quas italice dixeris *osterie*, *bettole*, gallice vero, *cabarets*, *bars*, ita ut potius attendant ad condicionem socialem personarum quae loca ista frequentat, quam ad ea quae in loco offeruntur. Decoro ergo *ristorante* vel *caffè* adeundo, clerici generali lege positiva non prohibentur.

Sed in quibusdam regionibus, in Belgio et in Gallia, usus particulares severiorem et servandam disciplinam introduxerunt. Ne ergo mirentur peregrini regionis quae severiore lege utitur, si sacerdotes quosdam alibi in honesto *caffè* obvios habeant.

IV. De residentia Canonicorum.

Obligatio residentiae canonicorum et beneficiariorum qui choro sunt astricti, his verbis in c. 418, § 1, praefinitur: « Reprobata contraria consuetudine, canonici ac beneficiarii quotidiano choro astricti, possunt singuli abesse tres tantum menses in anno, sive continuos sive intermissos, dummodo propriae ecclesiae statuta aut legitima consuetudo servitium diuturnius non requirant. »

De ista obligatione, quaedam, de quibus interrogati sumus, hic observare utile videtur. In primis formaliter non imponitur *residentia in loco*, sed *praesentia in choro*. Quonam enim loco, si verba canonis attendas, qui choro tenentur, abesse ultra tres menses non possunt? Respondebis: *choro*. Quod confirmatur c. 419, quo licentia abeundi e loco agnoscitur canonicis per dies quibus a choro absunt, si non habent quotidianam chori obligationem.

Sufficit igitur ut praesto sint ad munera sua obeunda. Huic legi si satisfaciant, nihil obstat quin extra civitatem pernoctent. Cf. DE HERDT, *Praxis capitularis*, c. 28 § 2, ed 2, p. 313.

Chorus exigit ut se pluries in die conferant in ecclesiam. Possuntne distingui absentiae partiales et totales, ita ut qui parti chori interfuerit non censeatur tota illa die abfuisse?

Quod ad legem *residentiae*, haec distingui non non possunt. Qui parti officii non intervenerit, ea die non censetur *ullatenus* resedisse.

Horis tamen quibus interfuerit distributiones cotidianas lucrabitur.

Quid ergo si quis, ultra tres menses seu completo feriarum tempore, et non excusatus, parti chori pluries defuerit?

Is, non solum distributiones cotidianas non percipiet, sed praeterea fructus beneficii sui, pro rata absentiae, non facit suos. Constitutio autem *Ex proximo*, 22 sept. 1571, S. PII V definivit quaenam partes fructuum cotidianorum singulis partibus officii divini responderent. Cf. *Epitome*, II, n. 800.

Praeterea, quatenus istis diebus non residet erit monendus ab Ordinario; ac si intra congruum tempus ab Ordinario ipsi statutum non se steterit plene praesentem, Ordinarius declarabit ipsum tacite beneficio suo renuntiasse. Denique absens alia congrua

poena ab Ordinario puniri potest. Cf. cc. 188, 8; 2168-2175.

Quid si consuetudo centenaria vel immemorabilis omnibus fructibus unius diei privet canonicum qui vel unam horam, non excusatus, omiserit? Severitas ista, qua magis urgetur diligentia in choro, videtur rationabilis, ita ut post Codicem talis consuetudo servari possit.

Quid si consuetudo immemorabilis aliter computet absentias, ita ut canonici possint per sex menses dimidiate, seu per dimidiam diei partem abesse? Sane, si fieri potest, suadenda est talis consuetudinis abrogatio per Ordinarium, ut contraria Codici. Quia tamen non ultra tres menses integros ferias extendit, sed mere a computatione canonica Codicis recedit (1), non est, ut nobis videtur, suppressa per verba c. 418, § 1, quae contrariam consuetudinem abrogant.

V. Casus Americanus de Sepulturis.

Casus. Cum corpora militum qui inter ultimum bellum in acie occisi erant ex Europa, ubi prius sepulti erant, in patriam Americanam referrentur, exorta est inter duos parochos quaestio de iure supulturae. Petrus parochus sibi cuiusdam defuncti vindicabat sepulturam, quia erat eius proprius parochus usque ad militiam; Paulus vero sibi ius addicebat, quia vidua militis, post obitum mariti, domicilium in suam parochiam transtulerat. Uter bene de iure suo pronuntiat?

Resp. Canones de sepultura omnes casum contemplantur primae sepulturae saltem perpetuae. Ut exhumetur cadaver « perpetuae sepulturae ecclesiasticae ubivis traditum », postulant licentiam Ordinarii

(1) Immo, antequam per S. C. improbaretur haec ratio supputandi absentias per horas, a nonnullis recta visa est. Cf. DE HERDT, op. c. p. 323.

(c. 1214, § 1), de iure autem consequentis sepulturae nihil statuunt. Quocirca, si prior sepultura militum erat destinatione perpetua, nullus parochus ius quoddam habet sepulturae, nullae caerimoniae sunt necessariae, et in arbitrio est familiae exsequias ab hoc vel illo parocho postulare.

Si vero sepultura erat provisoria, tunc altera sepultura pro vera consideranda est. Quare isti alteri sepulturae regulae Codicis applicandae sunt.

Supponamus itaque sepulturam militis de quo in casu, fuisse provisoriam. Tunc, secundum Codicem, sepeliendus est in loco ubi mortuus est, nisi familia praetulerit propriis expensis cadaver in defuncti parochiam transferre. Hic autem iam, expensis publicis, est in America, non autem in propria parochia. Tunc, ex c. 1230, § 7, ius sepeliendi pertinet ad ecclesiam cathedralem loci ubi est cadaver, vel, deficiente ecclesia cathedrali, « ad ecclesiam paroeciae in qua coemeterium situm est, nisi aliud ferant loci consuetudo aut dioecesana statuta ». Integrum tamen est ius familiae procurandi ut in propriam parochiam defunctus deferatur. Sive autem extra suam parochiam sive in parochia sua sepeliatur, nulla ratio est habenda quartae funeralis. Proprius enim parochus eam quartam numquam debet; nec, in casu, eam exigere ab alio potest, quia cadaver non poterat commode in propriam paroeciam asportari (Cf. c. 1236, § 1).

Domicilium autem viduae nullum ius parochiale parocho in defunctum maritum confert. Practice igitur omnia arbitrio viduae vel familiae linquenda sunt.

V. De administratione rerum temporalium.

I. Qui pecunias vel bona gerunt attributa Societati dictae a S. Vincentio a Paulo, debentne canonicas dispositiones de administratione rerum temporalium observare?

Resp. Quatenus haec pertinent ad praefatam Societatem, id minime debent. Dispositiones enim istae sunt de bonis seu rebus *ecclesiasticis*, ut probat ipse titulus XXVIII *De bonis ecclesiasticis administrandis*, etc. c. 1530 « ad alienandas res *ecclesiasticas* ». Res autem ecclesiasticae non sunt omnes res pio fini addictae, sed oportet ut pertineant ad *personam moralem ecclesiasticam*. Talis non est associatio ecclesiastica mere approbata, multo minus vero associatio non ecclesiastica sed laicalis, qualis est Societas a S. Vincentio a Paulo (1).

Ut associato sit ecclesiastica, requiritur enim ut ab auctoritate ecclesiastica erigatur in personam moralem vel exsistat incorporatam seu coniunctam tali personae, v. g. Congregationi religiosae. (Cf. *Epitome iuris canonici*, n. 812.)

Si tamen legatum pium factum sit Societati a S. Vincentio, c. 1515 ius confert Ordinario loci vigilandi, etiam per visitationem ut pia voluntas impleatur, et exigendi redditionem rationis.

Quisnam Ordinarius loci sit competens, canone non dicitur. Sed propter ius visitationis ipsi concessum, dicemus esse Ordinarium loci ubi sedem habeat societas seu persona cui legatum pium factum est.

II. In manus Vicarii Apostolici pervenerunt pecuniae: *a*) intuitu missionis datae; *b*) ex alienatione

(1) Cf. votum in *Corrienten.* S. C. O. 13 nov. 1921 (A. A. S. XIII, 135).

rei ecclesiaticae obtentae. Utrasque pecunias vult fructuose collocare. Quaerit utrum id solus facere possit an indigeat consensu seu deliberatione sui Consilii.

De prima collocatione pecuniarum quae Vicario Apostolico traduntur sine peculiari obligatione, Codex nullam continet dispositionem. Allegari enim non potest c. 1533 de contractu quo condicio Ecclesiae peior fieri possit. Namque, etiam si pecuniae non sint bene collocatae, lucrum quidem cessabit, sed status Ecclesiae non fiet peior quam erat ante acceptam istam et collocatam pecuniam.

Silente Codice, Vicarius Apostolicus sola naturalis prudentiae lege tenetur.

De altera pecunia, cum repraesentet bonum quod iam erat in possessione Ecclesiae, aliter dicendum videtur. Eius imprudens collocatio condicionem Ecclesiae peiorem facere potest. Inde dixeris applicandum esse c. 1533, quo eaedem sollemnitates requiruntur quae in alienatione bonorum sunt necessariae. Verum sollemnitates istae vix in collocatione pecuniarum sunt observatu possibiles. Postulant enim, pro vario valore, plurium consensum. Quid ergo si inter se dissentiant v. g. capitulum, consilium administrationis et Antistes? Cum agitur de alienatione vel de mutatione titulorum, res, si dissentiant, in statu quo ante, manere possunt. Verum hic pecuniae debent ex c. 1531, § 3 tuto et utiliter in commodum Ecclesiae collocari. Quocirca, ob analogiam iuris, applicandum dicemus c. 1547 de collocandis pecuniis piarum fundationum. Itaque collocatio facienda erit secundum prudens Ordinarii arbitrium i. e. ipsius Vicarii apostolici, auditis iis quorum interest et dioecesano administrationis Consilio.

VII. De numerica peccatorum ratione in violatione ieiunii.

Iure ante Codicem obligatio ieiunii secum etiam ferebat obligationem abstinentiae, ac per se quidem talis ut soli cibi esuriales ieiunantibus permitterentur citra indultum. Praeceptum autem abstinentiae pluries in die violari potest, ita ut totiens peccetur quotiens in refectionibus moraliter diversis praeceptum violaveris.

Contra, proprie dicta obligatio ieiunii in hoc consistit essentialiter, ut unica tantum per diem plena refectio sumatur. Quare, qui advertenter vel inadvertenter bis plene, eadem die, refectus sit, iam non possit ea die ieiunare, ita ut impune tertiam refectionem sumere ipsi liceat. Attamen, iam graviter contra legem ieiunii peccari potest, sumendo, extra refectionem principalem, moraliter 120 grammata ultra id quod in collatione vespertina et in frustulo matituno permittitur. Tunc tamen consistit adhuc essentia ieiunii. Possit ergo bis mortaliter peccare, qui distincta voluntate, v. g. bis eam quantitatem illicite sumpserit. Illud tamen semper intererit inter legem abstinentiae et legem ieiunii, quod qui mane statuerit non ieiunare, unicum peccatum per varias refectiones incompletas et completas commiserit, dum idem propositum de violanda abstinentia, pluralitatem peccatorum, secundum numerum refectionum illicitarum non impediret.

Praesenti autem iure, contra atque existimat NOLDIN, (*De Praeceptis*, n. 678) praeceptum ieiunii nullam per se infert obligationem abstinentiae. Codex enim sic, c. 1251 legem ieiunii describit : « Lex ieiunii praescribit ut non nisi unica per diem comestio fiat » : in quibus verbis, nulla est insinuatio abstinentiae. Indi-

recte tamen aliqua obligatio abstinentiae legem ieiunii consequitur, cum in refectione seu collatione vespertina et frustulo, probata locorum consuetudo circa qualitatem ciborum servanda sit. Quare Em. Praeses Commissionis Codici interpretando prudenter negavit iis qui ieiunant licere ut, diebus qui non sunt abstinentiae, pluries per diem carnes comederent. Observes tamen hanc non esse formalem legem abstinentiae, sed potius modum quo collatio et frustulum, praeter unicam refectionem, ieiunantibus permittantur.

Si nunc quaeras quotiens peccet qui, ieiunio astrictus, pluries carnes illicite comederit, sic respondendum videtur. Vel hac ratione alteram plenam refectionem sumpsit: et tunc, obiective, semel peccavit et iam impune poterit novas addere comestiones carnium. Vel servavit substantialiter legem de unica plena refectione. Et tunc, quotiens, distinctis moraliter vicibus, extra refectionem principalem, carnibus usus est, totiens leviter vel graviter peccavit, nisi tamen variae istae violationes ex una pendeant voluntate. Tunc enim componunt unam moraliter, levem vel gravem, violationem ieiunii in una die.

Estne autem grave, in collatione vespertina solam legem de qualitate ciborum violare? Nemo, quod sciam, istud scripto tractaverit. Cum lex de qualitate hodie tam accessoria sit pro ieiunio, existimarim de gravi violatione non constare.

Nova disciplina ieiunii istud habet corollarium. Qui, in die quae simul est abstinentiae et ieiunii, puta Feriam VI Quattuor Temporum, unica quidem refectione plena contentus fuerit fuit, sed, in refectione principali manducaverit carnes, legem quidem abstinentiae, nullatenus autem legem ieiunii violaverit.

QUAESITA DE RELIGIOSIS

I. De admissione ad primam professionem et noviciatus prorogatione.

Materia ista regitur cc. 543. 571. 575. Haec autem interrogantur.

I. Potestne ipse Superior novicium dimittere?

Propriae Constitutiones vel consuetudines observandae sunt. Dimissio potest permitti Superiori, et potest etiam reservari capitulo, ex c. 571. Minus cum natura Consilii, quod potius auxilio est Superioris et minus autonomum est quam Capitulum, congruit ut eius consensus ad dimittendum novicium sit necessarius. Immo, etiam ubi res capitulariter geruntur, Superior ius habere solet dimittendi novicium propria auctoritate. Codici tamen repugnare non videtur ut pro dimissione ista consensus sive capituli sive consilii sit ex Constitutionibus necessarius.

II. *Potestne Superior, sine capitulo, novicio noviciatum prorogare ad sex menses?*

Affirmative, cum potestas ista expresse Superiori, eique soli, concedatur c. 571, 2. Quare per se ius est Superioris maioris, non praesentare capitulo vel Consilio suo novicium qui iam per annum probatus est, sed praesentationem ad sex menses differre.

III. *Potestne noviciatum prorogare eius qui fuerit praesentatus et reiectus?*

Si a capitulo simpliciter reiectus est, cum dimissio capitulo reservatur, videtur iam dimissus, ita ut Superior non possit, nisi assentiente capitulo, novicium benignius tractare. Si autem a Consilio reiectus est, quia tunc formalis dimissio Superiori reservatur, huic

integrum est novam probationem, intra fines iure permissos, tentare. Aliud autem Constitutiones statuere possunt.

IV. *Potestne novicius ad primam professionem admitti, invito Superiore?*

Si admissio fit capitulariter, affirmative, non autem si res peragatur in Consilio. In priore enim casu, auctoritas est vere penes collegium; praeses autem collegii non potest nisi suffragia dare quae secundum statuta ipsi competunt; dum quando res fit in Consilio, assensus Cossilii est mere condicio necessaria ut a Superiore possit novicius admitti ad professionem; sed ipse Superior formaliter, quamvis condicionate, instructus est potestate admittendi.

V. *Habetne Superior in ipso Consilio suffragium?* Affirmative.

VI. *Debentne congregari Consiliarii, ut suffragium suum dent, an possunt separatim rogari sententiam?*

Congregari debent. Etenim consensus requiritur non consiliariorum sed Consilii. Extra coetum, non est Consilium. Atque oportet ut communi deliberatione singuli in dando suffragio iuvari possint. Itaque sine indulto, separatae interrogationes suffragium Consilii supplere non possunt.

VII. *Debentne suffragia esse secreta?*

Id iure communi non exigitur, quamvis, cum agitur de personis haec forma sit suadenda.

II. De confirmatione Superioris generalis in munere suo.

In Instituto religioso, Superior generalis ad sex annos eligitur, quibus expletis iterum eligi potest, ita tamen ut debeat tunc duabus tertiis partibus suffragiorum confirmari. Simul, ex Constitutionibus, si in duobus prioribus scrutiniis nemo maioritatem quae

absoluta dicitur obtinuerit, maioritas relativa in tertio scrutinio sufficere dicitur.

Iam vero, elapso sexennio magistratus, in capitulo generali, Petrus ex-Superior obtinuit in tribus scrutiniis maiorem partem suffragiorum; in nullo autem duas tertias partes suffragiorum.

Quaeritur iam quid de ista electione est aestimandum? Estne electus qui, post Superiorem generalem, maiorem numerum suffragiorum obtinuerit?

Resp. In tertio isto scrutinio non est electus Superior generalis, cum requisitum numerum suffragiorum non obtinuerit. Sed nec alius electus est, quia alius non obtinuit relative maiorem numerum suffragiorum. Ac solutio ista ipsa utilitate communi suadetur, ne quis eligatur Superior generalis qui maiori parti eligentium sit minus acceptus.

Contra istam solutionem obici possit ex iure postulationis concurrentis cum electione.

Postulare dicuntur electores quando suffragium scienter dant alicui candidato cuius electioni obstat impedimentum dispensabile, ita ut petant a Superiore competente dispensationem et confirmationem electionis. Si ergo alii electores aliquem postulant, dum alii eligunt candidatum simpliciter idoneum, tunc, ex iure positivo, postulatio non est efficax nisi fiat a duabus partibus electorum. Et si cum postulando qui non obtinuit duas partes suffragiorum concurrat eligendus qui uno suffragio tertiam partem superaverit, is est electus. Nonne ius istud ad casum praesentem transferri possit?

Verum haec extensio iuris specialis ad alium casum, diversum, adversatur normis de recta legum interpretatione. Non debet enim propter aliquam analogiam fieri extensio seu suppleri expressum ius, quando aliter casui provideri potest. Hic autem alia praesto est solutio, ut dicamus, nullam esse factam

electionem, ita ut omnia denuo instauranda sint, nisi, quod fortasse suadendum est, res ad S. Sedem deferatur. Desideratur quoque perfecta analogia. Qui postulant, scienter suffragium dant candidato non eligibili; hic suffragium datur candidato eligibili; qui postulant, ius positivum de postulatione cognoscere praesumuntur, ac proin se periculo exponunt habendi Superiorem generalem minore parte suffragiorum electum; a quo periculo cavere possunt, renuntiando postulationi post primum scrutinium. Praeterea lex positiva saltem exigit ut ultra tertiam partem suffragiorum obtineat. Dum hic relativa maioritas possit etiam paucis omnino suffragiis constitui.

Observes, hac occasione, confirmationem electionis a S. Sede, quae Normis postulabatur, iam Codice non exigi, et minus praesenti stylo Congregationis aptari. Is modus electionis praeferendus est, ut post tria scrutinia, electio circumscribatur duobus qui maiorem numerum suffragiorum obtinuerit, ac dein paritas antiquitate dirimatur.

III. De iure quaesito ad bona quibus religiosus renuntiavit.

Camillus, regularis, ante vota sollemnia, omnia bona praesentia et futura sua abdicavit in gratiam consanguineorum qui, secundum legem civilem, eius heredes legitimi futuri essent. Post sollemnem professionem, cum mortui essent ipsius parentes, voluit a S. Sede obtinere indultum vi cuius posset recuperare suam capacitatem, ita ut de tertia parte hereditatis paternae disponere libere permitteretur. Annuit S. Congregatio " dummodo ius alteri quaesitum ne laederetur „.

Hinc iam interrogavit a quonam momento ius in bona religiosi incapacis esset aliis parentibus acquisitum.

Resp. Olim, respondendum erat ius esse acquisitum a momento mortis parentum de quorum successione agitur. Sic diserte SANCHEZ, *Dec.* L. 7, c. 32, n. 18: Fratre Franciscano instituto herede, et sic, tempore incapaci delata ipsi hereditate, eam transferri ad heredes ab intestato, quamvis, ante quam illi adeant, sit religiosus ille factus capax . . . quia ius adeundi acquisitum per incapacis institutionem heredibus ab intestato, non potest illis auferri per supervenientem illius religiosi capacitatem. Idem tradit SUAREZ, *Rel.* tr. 8, l. 3, c. 16, n. 14 ss.

Sed hodie aliter respondendum est. Olim ius acquirebatur heredibus per ius civile quod incapacitatem professi sanciebat. Hodie autem, saltem in plerisque regionibus, incapacitas ista legibus ignoratur. Unde, ex iure civili, alii heredes non habent ius acquisitum, nisi postquam professus, post mortem parentis, successioni renuntiaverit. Ius autem canonicum solam religiosi incapacitatem directe sancit: de iure aliorum parentum (quod ius est mere temporale) nihil statuit. Quare, ante impletam civilem sollemnitatem renuntiationis hereditatis iam apertae, alii parentes, neque ex iure canonico, neque ex iure civili ius acquisitum habent. Quamvis ergo parentes mortui sint ante restitutam religiosi capacitatem, regularis factus capax nullum ius quaesitum laedit, dum adit eorum hereditatem, cui nondum civiliter renuntiaverat. Pariter, solam religionem, non autem iustitiam laederet professus qui, contempto voto adiret hereditatem quam parentibus destinaverat. Aliter dicendum foret, si hereditas ad Institutum suum obvenire debebat, quia ex iure canonico, « Quidquid acquirit monachus monasterio acquirit ». Religio igitur, habet ex iure canonico ius acquisitum in bona sollemniter professi. Cf. c. 582.

Et si, in aliqua regione, incapacitas professi legibus agnoscatur, secundum istam legem, variare debebit solutio casus.

IV. De subiecto bonorum religionis.

Canones 531. 532, supponunt bona religionis possideri non tantum ab ipsa religione, sed etiam a provincia et a singulis domibus. Possuntne Constitutiones statuere ut in tota religione, unicum sit subiectum dominii, ita ut unica sit administratio rerum temporalium in Curia generalicia ?

Resp. Id nullo canone excluditur. Valet igitur istud : Licet quidquid non prohibetur. Accedente Superioris approbantis Institutum consensu, id introduci potest ; et per se servari potest in Constitutionibus quae istud iam statuerant.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

COMMENTARIA

DE FORMULIS FACULTATUM QUAS S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE CONCEDERE SOLET

PRAEFATIO

Altero nunc revoluto saeculo a condita S. Congregatione de Propaganda Fide, communis fit, in Ecclesia Dei, celebratio eorum qui, sive in dissitis terris, sive etiam in Urbe et Europa, vitam suam dilatando evangelio devoverunt. Plerorumque nomina nobis quidem sunt in praesenti ignorata ; eadem tamen in libro vitae scripta nos quondam lecturos esse firma et suavis est exspectatio nostra. Quare, si ad honorandum ignotum militem qui, pro terrena patria, in acie stetit et occubuit, tot et tantae pompae et demonstrationes apud excultas gentes ordinatae sunt, quanto magis illos omni honore afficere decet qui, sub vexillo crucis, strenue militarunt ut omnis generis hominibus caelestem patriam acquirerent.

Quot autem animae propter evangelicam praedicationem aeterna felicitate fruuntur, tot sunt missiona-

riorum victoriae, tot sunt triumphi qui communem quoque in hoc anno laetitiam spiritualem genuerunt. Inde etiam animi evehuntur ad communiter optandum et exorandum ut per bellatores numero et virtute semper crescentes magis universale regnum Christo Domino paretur.

Et quia parva magnis componere non vetamur, eadem haec saecularia festa nobis opportunitatem praebent; qua nulla faustior excogitari potest, ut quod iam diu a nobis postulabant missionarii tandem aliquando perficeremus; idest, ut brevibus commentariis nuperrimas facultates S. Congregationis de Propaganda Fide pro viribus illustraremus: ista saltem humili ratione communem exsultationem saecularium festorum participare nobis licebit, ac iucunda spes nos tenet fore ut apostolicos labores, quos ipsi exantlare non meruimus, hisce nostris explicationibus aliquantulum levare nobis contingat.

Occasio scribendi et ipsum argumentum nos moverunt ut praesentes formulas cum praeteritis compararemus atque ab ipsis S. Congregationis primordiis formularum historiam summatim repeteremus.

Tale autem consilium exsequi non potueramus, nisi Eminentissimus Cardinalis Praefectus aditum ad archiva S. Congregationis nobis benignissime concessisset, et nisi ipsius S. Congregationis officiales nos in quaerendis utilibus documentis humanissime adiuvissent. Officium igitur nostrum existimamus, ut ab ipsa nostri grati animi significatione initium faciamus dicendi, ac zelantissimo Principi eiusque probatissimis cooperatoribus plurimas gratias de accepto beneficio referamus.

Duplex itaque erit pars praesentis lucubrationis. Prior, historica, praeparabit commentarios quos, ipsum ordinem formularum secuti, simplici et practica ratione adornare conati sumus.

IESUS, Apostolorum magister, incoeptis nostris favere ne dedignetur!

CAPUT I. HISTORICA

Art. I. De origine Formularum

I. De facultatibus quae ante Formulas concedebantur

1. - Saeculo XVI, cum regiones tunc recens detectae cupidis Europae mercatoribus suam barbariam et materiales suos thesauros simul revelarent, Ecclesia Christi, sicut Ecclesiam catholicam et apostolicam decebat, Christum et spirituales gratiae divitias miseris hominibus incunctanter revelare studuit.

Ipsa autem distantia locorum a S. Sede necessitatem statim demonstravit conferendi missionariis speciales facultates.

« Cum a S. Sede animadversum sit, sic ait BENEDICTUS XIV, plurima saepe contingere in regionibus longe dissitis, quibus ut consulatur, peculiares dispositiones et privilegia quandoque opportuna, quandoque etiam ad animarum regimen necessaria requiruntur, ad quae obtinenda difficile est Romam confugere, eadem S. Sedes in more habuit, habetque in praesenti, episcopis in remotioribus provinciis commorantibus, quasdam facultates impertiri, quibus uti possint vel immediate vel per inferiores sacerdotes a se designatos » (*C. Apostolicum ministerium*, 30 maii 1753, § 11).

Quare, iam centum annis ante conditam, ineunte anno 1622, S. C. de Propaganda Fide, (quam, brevitatis causa, designabimus S. C. P. F.) brevia LEONIS X, 25 april. 1521, et ADRIANI VI, 13 maii 1522, amplis facultatibus munierunt duodecim filios S. Francisci (1) qui, anno 1524, civitatem caput Me-

(1) Cfr. PASTOR, *Storia dei Papi dalla fine del medio evo* (Trad. ANGELO MERCATI) ROma, 1922, VI, p. 207. Brevia reperiri indicat apud IERÓNIMO MENDIETA, *Historia ecclesiastica Indiana*, Mexico, 1870.

xicani imperii ingressi sunt ut ibi Christianismum fundarent (1).

Et nonne memorabiles facultates continentur tribus Constitutionibus PAULI III, *Altitudo*, 1 iun. 1537; S. PII V, *Romani Pontificis*, 2 aug. 1571; et GREGORII XIII, *Populis ac nationibus*, 25 ian. 1585, quae ad calcem Codicis iuris canonici ex parte exscribuntur, postquam c. 1125 ad omnes regiones, in iisdem adiunctis, extendit quae, in his Constitutionibus, matrimonium respiciunt?

2. - Facultates autem tunc concedebant « SS. D. N. Papa in Congregatione *S. Officii* (2), vel per Breve; DD. Cardinales seu alii Superiores religionum in vim litterarum Apostolicarum vel vivae vocis oraculorum (3) ».

3. - Generales autem qui anno 1640 missiones habebant Secretarius (4) his verbis numeravit: « Primus est Benedictorum in Indiis et in Anglia, potissimum; 2.us Cisterciensium in Hibernia; 3.us Dominicanorum in Europa, Asia, Africa, et America seu Indiis Orientalibus et Occidentalibus; 4.us Franciscanorum familiae seu Minorum de Observantia in iisdem mundi partibus; 5.us Iesuitarum, similiter; 6.us Angustinianorum in Asia et Indiis Orientalibus et Occidentalibus; 7.us Reformatorum S. Francisci in Europa et Asia; 8.us Minorum Conventualium in locis Europae tantum; 9.us Minimorum in Anglia et Scotia; 10.us Capuccinorum in Europa, Asia et Africa; 11.us Theatinorum in Asia, Europa et Indiis Orientalibus et Occidentalibus. - Sed hi tres Generales ultimi solum faciunt missiones a tempore erectionis S. C. P. F. et per decreta illius tantum. - 12.us Redem-

(1) Missionarios istos CORTÈS ut caelitus missos, coram stupentibus indigenis, genu flexo in terram, honoravit.

(2) Suprema Congregatio forma satis sollemni tunc et etiam saec. XVII utebatur. Sic diploma facultatum quae 3 cal. mart. 1622 concessa sunt Patribus Cappucinis, subscriptum est a sex Cardinalibus quorum nomina in initio ipsius documenti citantur ut speciatim deputati. (*Memorialia ms. S. C. P. F.* 1627, p. 64).

(3) Sic relatum est in *Congr. part. super facultatibus missionariorum* 25 april. 1633, fortasse in primo eius consessu.

(4) FR. INGOLI. Cf. Acta ms. S. C., 1640, p. 231,

ptionis Captivorum seu S. Mariae de Mercede, in Indiis Occidentalibus; 13.us Scholarum Piarum in Germania tantum; 14.us S. Pauli Eremitarum, in Europa solum; 15.us Carmelitarum calceatorum, in Europa et cum decretis S. C. P. Fide (sic); 16.us Carmelitarum discalceatorum in Asia et in Indiis Orientalibus ».

4. - Verum, observabat idem Secretarius, omnes Generales, etiam religionum quae missionibus carebant, habebant potestatem instituendi missiones et concedendi Missionariis facultates vel directe ab ipsis vel per communicationem privilegiorum obtentas. *Fratres Praedicatores* directas facultates consecuti erant ab Innocentio IV, Innocentio VI, et Nicolao IV; *Societas Iesu* a Paulo III, S. Pio V et Gregorio XIII; *Franciscani* a Sisto IV; *Carmelitae discalceati* a Clemente VIII. Ampliores autem reliquis facultates reperiebantur in *Compendio Indico Societatis Iesu,* quod, vi communicationis privilegiorum, omnibus proderat.

5. - Facultates istae nulla formularum S. C. P. F. approbatione erant suppressae. Verum non modica quaestio statim exorta est de modo quo privilegia cum reformatis facultatibus componendae essent.

Sic, in Congregatione 25 iun. 1640 (1), « referente Em. Card. SPADA sententiam Secretarii circa renovationem facultatum missionariorum ob quarum frequentiam et multitudinem taedio afficitur SSmus et Congregatio et ministri S. Officii nimis gravantur, Sanctitas Sua mandavit modum propositum a D. Secretario examinari in Congregatione facultatum ». In hac Congregatione particulari de Facultatibus, 5 dec. 1640 (2), audita relatione Card. ANTONII qui conquerebatur quod religiosi mitterentur cum facultatibus amplissimis ac maioribus quam illae quae a S. Officio conceduntur missionariis S. C. P. F., et dolebat « facultatum quae a Generalibus conceduntur exorbitantiam ac perpetuitatem, cum potestate eas communicandi suo arbitrio etiam aliis sacerdotibus saecularibus aut regularibus etiam

(1) Acta ms. S. C. P. F. 1640, p. 117.
(2) Ibidem, p. 231.

alterius Ordinis, » EE. (exceptione facta Angliae) censuerunt « facultates missionariorum qui a Generalibus expediuntur esse redigendas ad praescriptum formularum ab hac S. C. compositarum. » - Anno 1643, 11 martii (1), eadem Congregatio particularis voluit ut per Secretarium conciperetur decretum quo SS. de voto S. C. *P. F.* mandaret praefigi tempus facultatibus a Generalibus, vigore suorum privilegiorum concessis, iisdemque in virtute s. oboedientiae et sub poena nullitatis praeciperet ne de cetero alias facultates concedere possent, nisi iuxta formulas a. 1637 iussu S. S. reformatas. - De isto decreto dein deliberatum est 4 aug. 1643 (2), et multum disputatum utrum necne, inauditis Generalibus, edendum esset ; ac denique statutum ut Card. PAMPHILIUS (qui dein evasit INNOCENTIUS X) de re ageret cum Praeposito Generali Societatis Iesu.

Is Cardinalis, in Congr. 1 sept. 1643 (3) rettulit se adivisse P. Generalem, qui declaravit se paratum oboedire; simul addendo utile fortasse fore ut vel ipsi vel religioso ab ipso deputato ostenderentur formulae et regulae, si, pro experientia locorum, quidpiam indicandum videretur quod desideraretur. Id placuit S. Congregationi.

De eodem negotio praeterea actum est in Congr. 6 nov. 1643 (4); 21 nov. 1645 (5); 16 ian. 1646 (6). In hac Congregatione, SS. probavit decretum 21 nov. 1645, de aequandis in materia facultatum missionariis regularium cum missionariis S. Congregationis; iussit tamen prius agi cum Praeposito Generali Societatis Iesu.

Nullum autem vestigium exstat cuiuspiam Brevis vel Bullae quae privilegia regularium supprimeret (7).

Videtur itaque prudenti privilegiorum usu esse practice provisum simultaneae exsistentiae facultatum regularium et S. C. *P. F.*

---

(1) Acta ms. 1643, p. 302, ss.
(2) Acta ms. 1643, pp. 397. 398.
(3) Acta ms. 1643, p. 422.
(4) Acta ms. p. 467, sub n. 31.
(5) Acta ms. 1645, p. 456.
(6) Acta ms. Congregationis particularis, t. 32, p. 80.
(7) Id agnoscit relator qui confecit Notam archivi. 1847 ; et tamen existimat ab anno 1643 antiqua privilegia fuisse practice revocata. Idem tamquam decreta *absoluta* refert decreta *proposita* quae hic allegavimus, quorum nullum demonstratur fuisse editum. Haec est occasio monendi caute accipienda esse quae in his libris manuscriptis referuntur ab officialibus. Ex indice dixeris rem decisam, dum in actis non habetur nisi propositio.

II. Congregatio particularis de Facultatibus.

6. - Quamvis, quod natura rerum secum fert, facultates satis similes pluribus locis vel institutis concederentur, nullae conceptae erant formulae generales numeris signatae; nullae conditae erant normae de ordinata facultatum distributione inter varias regiones. Praeterea, cum S. Officium partibus haereticorum potius quam infidelium prospiceret, peculiaribus harum regionum adiunctis insufficienter erat provisum. Teste Card. DE CREMONA, aliae facultates erant superfluae, aliae nimia exiguitate peccabant (1).

Id animadvertens URBANUS VIII, anno 1633 (2), peculiarem instituit Congregationem quinque Cardinalium, ad examinandas antiquas facultates easque ad certam formam redigendas. Duo Cardinales pertinebant ad S. Officium, tamquam periti facultatum hactenus concessarum et regionum quas haeresis vastabat; tres autem, Sacrae Congregationis Propagandae Fidei, suam regionum infidelium cognitionem in medium afferre poterant. Congregatio ista munere suo naviter functa est in pluribus coetibus qui in palatio C. DE CREMONA (F. Desiderii Scaglia tit. S. Clementis, de Cremona, O. Fr. Praed.) habebantur. Ceteri quattuor Cardinales erant Antonius (Barberini), Pamphilius, S. Sixti et Spada. Coetibus interveniebant assessor S. Officii et Secretarius S. C. *P. F.*

7. - In conventu 21 iun. 1636 (3), Congregatio particularis censuit, si Sanctissimo placuerit, conservandam esse Congregationem facultatum ob binas causas: « 1. Ut secundum diversitatem regionum et casuum praedictae quinque formae generales (vide infra) emendatae opportune et sine errore alterari et mutari va-

(1) Sic dixit in relatione de Cong. particulari quam fecit coram Urbano VIII in Congregatione plenaria, 4 aug. 1636 (Acta ms. 1636).

(2) Frustra in actis et relationibus diem et mensem quaesivimus.

(3) Acta ms. 1636, p. 104, ss.

leant; nam vix per aliam Congregationem non informatam id recte fieri poterit. 2. Ad easdem facultates declarandas, cum quaestiones super earum intellegentia ab illas obtinentibus motae fuerint ».

Ac re vera per plures annos permansit. Anno 1640, in locum defuncti 22 iul. 1639 Card. de Cremona, qui potissimas partes in ea expleverat, Cardinalis de Balneo suffectus est. Anno 1643, pluries convenit sub titulo « Congregationis super facultatibus missionariorum ».

Quam diu autem perseveraverit vel qua occasione desierit, archivista FRANCISCUS BERNARDINI ROSI fatetur se frustra inquisivisse (1).

III. Formularum generalium praeparatio

8. - Potissimus suasor et auctor Formularum generalium fuisse videtur primus Secretarius S. C. *P. F.* INGOLI (2). Is eius fuit consilii, ut typicae quaedam facultatum formulae redigerentur, quae, secundum generales quasdam normas praestituendas, ad singula loca et personas sine nimia difficultate aptarentur. Ac fortasse eas optasset simpliciter generales, soli personarum qualitati attemperatas. Namque in praefatione sua in regulas et formulas facultatum, easdem exhibuit ut formatas pro episcopis, pro nuntiis, praefectis

---

(1) In diffusa *Nota d'archivio sulle formole di facoltà ordinarie*, quae instanter petita erat per litteras quas Card. Secretarius S. Officii, MONACO LA VALLETTA, 13 sept. 1866, direxerat ad Secretarium S. C. *P. F.* (*Registro ms. delle risoluzioni del S. Offizio*, 1866, p. 251).

In archivo duae reperiuntur notae eiusdem anni: altera 258 p. ms, altera 129 p. ms. praeter 52 pp. typis scriptas quae continent art. IX prioris notae; in posteriore nota, aliena manus scripsit « *Redatta dal Prof. D. Francesco Rosi, archivista* ». Arbitramur potius notam magis diffusam esse verum opus archivistae, et breviorem fuisse compositam ab alio officiali, cum non plane concordent saltem in explicanda ratione cur in archivo desint solutiones dubiorum a S. Officio. ROSI fuit archivista a 26 febr. 1857 ad 31 dec. 1867.

(2) FRANCISCUS INGOLI, presbyter Ravennas, fuit primus Secretarius S. C. P. F. ut constat ex prima Bulla Bullarii Congregationis, 22 iun. 1622. Immo iam antea, a 6 ian. 1622 (*Acta ms. S. Cong.* I, p. 1) deputatus est a secretis. Munus implevit ad mensem augustum 1649, in quo obiit.

missionum et Guardiano Hierosolymitano et pro simplicibus missionariis. Non ita tamen generales prodiere. Ut ipse rettulit Cardinalis de CREMONA in Congregatione coram Sanctissimo, 10 febr. 1637, triplex in iis condendis respectus habitus est: primarius, condicionis religionis in variis Provinciis; secundarius, distantiae et difficultatis adeundi S. Sedem; tertius, qualitatis personarum, ita ut praesides missionum ampliores quam simplices missionarii obtinerent (1). Sunt igitur generales facultates quatenus suo ambitu satis multas regiones vel quasi-dioeceses complectuntur.

9. - Itaque regulae generales et Formulae praeparatae sunt in variis consessibus Congregationis Particularis de facultatibus: 25 april. 1633, 12 ian. 29 mart. 27 iul. 1634, 19 sept. 1635, 13 et 27 mart. et 27 iun. 1636. Dein de votis et deliberationibus Congregationis particularis relationem fecit Card. DE CREMONA in Cong. coram Sanctissimo, quae 4 aug. 1636 undecim Cardinales in palatium Quirinale congregavit. Sanctissimus iussit ut in Congregatione plenaria idem Cardinalis de iisdem iterum referret. Quod praestitit in binis Congregationibus 12 aug. et 23 sept. 1636, quae in Collegio P. F. habitae sunt, et quibus octo Cardinales, numerato C. de CREMONA, intervenerunt. Die 23 sept. EE. PP. iam nihil observandum habuerunt. Demum, die 10 febr. 1637 (2), in Congregatione Vaticana 12 Cardinalium, audita relatione C. de CREMONA, SS., paucis mutatis, regulas et formulas approbavit. Regulae erant numero septem, formulae, quinque.

Prima autem Formula destinata est episcopis Asiae, Africae et Americae; 2ª episcopis Europae in partibus infidelium magis remotis a Sede Apostolica; 3ª Nuntiis Apostolicis et

(1) *Libro delle facoltà per li missionarii*, p. 12 ss. ms.
(2) Acta ms. S. Congr. 1637, p. 243, ss.

episcopis locorum Europae viciniorum, in quibus haereses impune grassantur ; 4ª Praefectis missionum ; 5ª missionariis ordinariis.

10. - Ipse autem secretarius voluit exemplis demonstrare rationem qua, ex regulis et formulis generalibus, speciales formulae colligerentur. Quare ipse formulas particulares composuit « pro Hibernia, Anglia, Scotia, Gallia, Hollandia, Germania, Polonia et regnis septemtrionalibus, et partibus Europae sub Turcis, ad quae missiones frequentius fiunt, ut ex illis innotescere possit quo modo sit procedendum in componendis formulis pro aliis locis, in quibus formulae particulares non habebuntur (1) ». Formulae istae in nulla Congregatione generali vel particulari approbatae sunt (2). Receptae tamen fuere ; et quattuor ex illis, cum quinque prioribus connumeratae sunt ut FF. VI. VII. VIII et IX.

I. e. formula 29 articulorum conscripta pro episcopis Hiberniae (quibus ad sex annos dabatur) evasit F. VI ; formula pro locis Italiae haeresi infectis et pro Gallia facta est F. VII (dabatur Rhetiae et Mesolcinae) ; conscripta pro septemtrionalibus regionibus, Moscovia, Tartaria Praecopensi et locis ei conterminis facta est F. VIII, quae dabatur Praefectis regionum septemtrionalium et aliorum locorum ; composita pro Vicariis Apostolicis Hiberniae facta est F. IX : dabatur Vicariis Apostolicis Hiberniae, sed extra usum fuit (3).

Art. II. Regularum et Formularum tenor ac spiritus

11. - *Facultatum genera* sic ipse C. DE CREMONA in sua relatione 10 febr. 1637 definiebat, cum diceret omnes respicere vel potestatem conferendi

(1) Verba ab INGOLI scripta ante regulas et formulas particulares.

(2) ROSI, in sua Nota, refert quidem formulas istas esse approbatas in Congr. particulari 11 ian. 1638. Sed in ista Congr. quae inter solos duos Cardinales DE CREMONA et SPADA habita est, examinatae quidem fuerunt, non autem formaliter approbatae. Cf. Acta ms. Congr. 1638, p. 3.

(3) *Formole delle facoltà che dà il S. Offizio* ms.

ordines et exercendi Pontificalia ; vel auctoritatem ad absolvenda censuras et casus reservatos Sedi Apostolicae ; vel facultatem dispensandi in matrimoniis, votis et praeceptis ; vel ius concedendi indulgentias.

12. - *Quonam* vero *spiritu* omnia praeparata et confecta fuerint edocemur expositione in sic dicta Praefatione Emi Cardinalis DE CREMONA, in regulas et formulas facultatum missionariorum (1).

« Operosum semper atque arduum fuit inter severitarem reservandi casus et benignitatem concedendi facultates, eum tenere cursum qui neque conscientiis hominum laqueos iniceret, nec disciplinae ecclesiasticae rigorem imminueret. Nam intempestiva casuum reservatio ipsum salutis iter magis in angustum cogit, et concessio facultatum prodiga viam sternit ad peccandum latiorem. Sedes ergo Apostolica, Spiritus Sancti spiritu ducta, illud perpetuo ob oculos habuit ut haec extrema et quasi praecipitia declinaret. Et quidem, ubi religionis cultus ac canonum observantia viget, severitas non numquam exercenda est, ut hoc quasi freno a gravioribus homines sceleribus deterreantur. At ubi mores collapsi iacent, ubi vitia libere vagantur, ubi pietas ac religio exsulat, et lumen omne fidei fere exstinctum est, aperiendi sunt benignitatis fontes, ne desperatione aut difficultate veniae peccatores a paenitentia revocentur, ne in coeno turpissimorum peccatorum insordescant. Quare S. Inquisitionis Congregatio, in formulis facultatum concedendis, quae ex communi consilio profectae sunt, nihil antiquius habuit quam ut has vel temporum vel locorum vel populorum diversitates et varios quasi religionis status accurate cognosceret et morbis remedia opportuna accommodaret.

---

(1) In variis transumptis manuscriptis documentum inscribitur: « *Praefatio Em. C. de Cremona in regulas et formulas facultatum Missionariorum* ». Merito tamen in Codice unde transumpta exscripta sunt quispiam verba « Em. C. de Cremona » atramento obduxit. Modus enim quo in eo laudatur opus C. de Cremona, eiusque relatio tamquam personae diversae a loquente exhibetur, attributionem C. de Cremona faciunt improbabilem. Nec videtur esse vera Praefatio in regulas. Praeterquam enim quod certa praefatio Secretarii INGOLI hanc faceret inutilem, postrema pars documenti non tam regulas quam formulas particulares ex regulis desumptas nuntiat et praeparat. Et cum Secretarius INGOLI de istis formulis particularibus valde fuerit sollicitus, suspicamur praecitatum documentum esse introductionem ad istas formulas ab ipso Secretario INGOLI conscriptam.

« At quoniam hominum mores non minus quam anni in orbem eunt, daturque sicut noctis ac diei, ita plurimis in provi ciis Fidei ac perfidiae quaedam vicissitudo, ideo humana mens non potest ita in futurum prospicere aut formulas facultatum ita numeris omnibus absolutas tradere, ut lapsu annorum nihil prorsus contineant quod pro loco aliquo particulari aut redundet aut exile atque angustum sit. Nec propterea statim putandum est, aut ab initio fuisse minus appositas aut confestim immutandas esse, ne crebrae vel additiones vel mutationes confusionem atque perturbationem pariant. Enimvero, superioribus his annis usu venit, ut cum, ob episcoporum ac missionariorum querelas, plurimae clausulae vel adiunctae vel ademptae fuerint antiquis formulis, in eum sensim multitudinem ac numerum excreverint, ut pro iisdem saepe locis variae ac plurimae exsisterent, nec tamen necessitatibus apte responderent.

« Quae perturbatio cum ubique in dies incrementum caperet, SS. D. N. Urbanus Papa octavus, non sine divino instinctu Cardinales quosdam partim ex S. Congregatione de Propaganda Fide, Antonium scilicet Barberinum, Pamphylium et Spadam ; partim ex S. Congregatione Inquisitionis, Sancti Sixti, nimirum s. m. et de Cremona selegit, ut communicatis inter se consiliis de rebus omnibus quae vel ad Gentilium superstitiones, vel ad Haereticorum errores pertinent, ac perpensis antiquis formulis ac ratione quam in his praescribendis S. C. Inquisitionis Congregatio prudentissime adhibuit, illud demum statuerint quod maxime opportunum ad incommoda praecavenda videretur.

« Haec vero deliberatio non longitudine duntaxat temporis, sed difficultate etiam rei propositae molesta fuit ; Deo tamen duce atque sub felici auspicio SS. D. N., finem aliquando habuit, totumque negotium post graves et diuturnos labores conclusum ac bis in Congr. generali coram Sanctissimo, X febr. 1637 cum totius operis initio, progressu, exitu, difficultatibus, diligentiis, rationibus ac fundamentis a C. de Cremona enarratum, summo omnium applausu exceptum, atque ipsius Christi Vicarii sententia approbatum fuit. Quae C. Cremonensis narratio, cum exactissimam totius rei comprehensionem, sive illam ad doctrinam, sive ad prudentiam in facultatibus concedendis spectat, sensumque Cardinalium qui tot annis Congregationi particulari interfuerunt, contineat, illud solum reliquum videtur ut quae universim ab iisdem Cardinalibus constituta atque a SS. D. N. comprobata fuerunt ad particulares Provinciarum necessitates diligenti consideratione accommodentur. Sic enim fiet ut singulares formulae ex regulis ac normis stabilitis dedu-

ctae, maiorem et auctoritatis vim et diuturnitatis firmitatem acquirant. »

13. - Rationem qua ad regulas et formulas componendas deventum est, his verbis exponit Secretarius INGOLI, in sua Praefatione.

« Cum ex multiplicatis opera et diligentia S. C. de Propaganda Fide in diversas Orbis Terrarum Provincias episcoporum et religiosorum Missionibus, innotuisset formulas facultatum quae a Sede Apostolica concedebatur non sufficere, ac, inspectis pro populorum diversitate necessitatibus, mancas et deminutas exsistere, SS. D. N. URBANUS D. P. Papa VIII, pro suo Pastorali munere et catholicae religionis propagationis zelo providere volens, peculiarem ex Cardinalibus S. Officii et eiusdem S. C. de Propaganda Fide, additis illius assesore et huius secretario, Congregationem instituit, in qua cum per tres fere annos formulae facultatum veteres quae a Romanis Pontifi ibus per litteras Apostolicas olim concessae fuerunt et a S. Officio tam ante praefatae C. de Prop. institutionem, quam post, expediebantur, accuratissime, ut gravissimum communicandae inferioribus supremae potestatis Pontificiae negotium postulabat, examinatae fuissent, tandem, reiectis veteribus formulis quae, si pro diversitate regionum fuissent accomodandae, in infinitum propemodum multiplicari et saepius, pro mutatione religionum in populis immutari debuissent, Patribus praedictis visum fuit alia via in praedictarum formularum compositione esse incedendum. In primis itaque illis placuit ut regulae quaedam generales constituerentur quibus, inspecta regionum diversitate ac qualibet illarum a Sede Apostolica distantia, et prohibito vel permisso in eis catholicae religionis exercitio, ac ipsarum facultatum specie, et denique personarum dignitate ac officio, illarumque scientiae ac morum praestantia, esset in concessione facultatum utendum. Deinde eisdem Patribus visum fuit formulas quasdam generales componere, quae cum regulis praefatis ad singulas Orbis terrarum provincias modico labore accommodari possent. Hac igitur methodo excogitata et deinde probata, ante omnia septem regulae generales, quae primo loco notantur, fuerunt compositae, et quattuor aliae, secundo loco dispositae pro solo regno Hiberniae : eo quod illud Archiepiscopis et episcopis et sacerdotibus indigenis abundet, et consequenter missionibus exterorum non indigeat ; et demum quinque formulae generales post praefatas regulas im-

mediate subsequentes formatae fuerunt pro episcopis, pro nuntiis, Praefectis missionum et Guardiano Hierosolymitano, et pro simplicibus missionariis cum certis annotationibus, quibus, et cum regulis generalibus praedictis, peculiares formulae ad singulas Orbis terrarum nationes accommodatae facili negotio formari possent... » (Narrat deinde approbationem formularum, ac demum concludit): « Haec omnia de regulis et novis Facultatum Missionariorum formulis placuit in hac brevi praefatione annotare, ut rei gestae historia, et qua diligentia et studio fuerint regulae et formulae praefatae compositae, et qua demum sint auctoritate firmatae, omnibus et singulis, et praesertim posteris innotescat ».

14. - *Regulae* formulis generalibus praescriptae.

« *Prima est*: In locis in quibus exercitium catholicae religionis est liberum et publicum, non est concedenda missionariis facultas administrandi infrascripta sacramenta parochialia, videlicet baptismum, matrimonium, communionem in Paschate, et extremam unctionem, nisi cum clausula si in illis non sint Ordinarii vel parochi, vel si adsint, de eorum licentia.

« *Secunda est*: In locis in quibus exercitium catholicae religionis est liberum, sed non publicum, idest secretum, praedicta prima regula servanda est in tribus sacramentis parochialibus, videlicet baptismo, matrimonio et extrema-unctione, nisi in casu necessitatis, et respectu matrimonii, ubi non est publicatum sacrum Con. Tridentinum. In aliis vero sacramentis, Missionariis concedi potest facultas illa administrandi sine praedicta clausula, de licentia Ordinariorum et parochorum.

« *Tertia est*: In locis in quibus exercitium catholicae religionis tam publicum quam secretum prohibitum est, facultas administrandi sacramenta parochialia concedenda est missionariis cum clausula, nisi de facili et sine periculo Ordinarii vel parochi adiri possint, vel sine huiusmodi clausula, si ita expedire videbitur.

« *Quarta est*: In locis in quibus ob distantiam vel alias causas est difficilis recursus ad Sedem Apostolicam, facultas absolvendi a casibus Sedi Apostolicae reservatis, concedi potest Missionariis ad tempus pro ratione distantiae et locorum limitatum, sine clausula de praeterito.

« *Quinta est*: In loc is Italiae ubi habentur missiones, et in locis Galliae, Germaniae et Belgii facultas absolvendi a praedictis casibus concedi potest pro haereticis primo conversis ad fidem catholicam; pro aliis vero ibi commorantibus, Nuntiis Apostolicis cum potestate illam subdelegandi in casibus et locis particularibus. Ratio huius regulae est, quia expedit ut facilis sit recursus pro huiusmodi facultate, ne catholici veteres inter haereticos versantes a ministris haereticis pervertantur, dum in angustiis sunt propter difficultate mobtinendi absolutionem, et ne de novo conversi ob eandem difficultatem in haeresim relabantur.

« *Sexta est*: Facultas dispensandi in matrimonis, tam saecularibus quam regularibus in utroque foro concedatur, ubi non erunt episcopi; ubi vero erunt, in foro conscientiae tantum, et quod tam episcopi quam missionarii huiusmodi facultatem a Sede Apostolica habentes, in dispensatione concedenda teneantur inserere facultatis praedictae articulum cum expressione temporis ad quod concessa fuit.

« *Septima est:* Ab his tamen regulis, quia propter diversitatem regionum et casuum non semper poterunt observari, huic Congr. super fac. missionariorum, SS.mo annuente, retinendae, licebit recedere prout opus fuerit. »

Ipsas iam formulas dabimus quales in manuscripto Codice illius aetatis reperiuntur.

15. - *Continens facultates pro episcopis in Affrica* (sic), *Asia, et America.*

1. Conferendi Ordines extra tempora, et non servatis interstitiis usque ad presbyteratum inclusive, si sacerdotum necessitas ibi fuerit.

2. Dispensandi in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis quae vel ex bigamia vera, vel ex homicidio voluntario proveniunt; et in his etiam duobus casibus, si praecisa necessitas operariorum ibi fuerit, si tamen, quoad homicidium voluntarium, ex huiusmodi dispensatione scandalum non oriatur.

3. Dispensandi super defectu aetatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint.

4. Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera, dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus et religionis.

5. Absolvendi et dispensandi in quacumque simonia; et in reali, dimissis beneficiis, et super fructibus male perceptis, iniuncta aliqua eleemosyna vel poenitentia salutari arbitrio dispensantis, vel etiam retentis beneficiis, si fuerint parochialia et non sint qui parochiis praefici possint.

6. Dispensandi in *tertio* et *quarto* consanguinitatis et affinitatis gradu simplici et mixto tantum, et in *secundo*, *tertio* et *quarto* mixtis, non tamen in 2º solo quo ad futura matrimonia, quo vero ad praeterita etiam in 2º solo cum his qui ab haeresi, vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam, et in praedictis casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

7. Dispensandi super impedimento publicae honestatis iustitiae ex sponsalibus proveniente.

8. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen coniugum machinante, et restituendi ius petendi debitum amissum.

9. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum.

10. Hae vero dispensationes matrimoniales videlicet 6ª 7ª 8ª et 9ª non concedantur, nisi cum clausula dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non exsistat, et in dispensatione tenor huiusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis ad quod fuerint concessae.

11. Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint. nisi prima voluerit converti.

12. Conficiendi olea sacra cum sacerdotibus quos potue-

rint habere, et si necessitas urgeat, etiam extra diem Coenae Domini.

13. Delegandi simplicibus sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta et alia utensilia ad Sacrificium Missae necessaria, ubi non intervenit sacra unctio, et reconciliandi ecclesias pollutas aqua ab episcopo benedicta, et in casu necessitatis etiam aqua non benedicta ab episcopo.

14. Largiendi ter in anno indulgentiam plenariam contritis et confessis, ac sacra communione refectis.

15. Absolvendi ab haeresi et apostasia a fide, et a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos tam saeculares quam regulares, non tamen eos qui ex locis fuerint ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum in quibus impune grassantur haereses, deliquerint, nec illos qui iudicialiter abiuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur haereses, et post iudicialem abiurationem illuc reversi in haeresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiae tantum.

16. Absolvendi ab omnibus casibus *Sedis Apostolicae* in Bulla Coenae Domini contentis.

17. Concedendi indulgentiam plenariam primo conversis ab haeresi, atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt.

18. Concedendi indulgentiam plenariam in oratione 40 horarum ter in anno indicenda diebus episcopo benevisis, contritis, et confessis ac sacra communione refectis, si tamen ex concursu populi et expositione sanctissimi Sacramenti nulla probabilis suspicio sit sacrilegii ab haereticis et infidelibus, aut magistratibus offensum iri.

19. Lucrandi sibi easdem indulgentias.

20. Singulis secundis feriis non impeditis officio 9 lectionum, vel eis impeditis, die immediate sequenti, celebrando Missam de requie in quocumque altari etiam portatili, liberandi animas secundum eorum intentionem a purgatorii poenis per modum suffragii.

21. Tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, libros haereticorum, vel infidelium de eorum religione tractantium ad effectum eos impugnandi et alios quomodolibet prohibitos, praeter opera Caroli Molinaei, Nicolai Macchiavelli, et libros de Astrologia iudiciaria principaliter, vel incidenter, vel alias quovis modo de ea tractantes, ita tamen ut libri ex illis Provinciis non efferantur.

22. Praeficiendi parochiis regulares eosque suos deputandi

vicarios in defectu saecularium de consensu tamen suorum Superiorum.

23. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima Missa non sumpserit ablutionem, per unam horam ante auroram et aliam post meridiem, sine ministro, sub dio, et sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum vel sine reliquiis Sanctorum, et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, aliter el celebrari nonpossit.

24. Deferendi sanctissimum Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

25. Induendi vestibus saecularibus, si aliter vel transire ad loca eorum curae commissa, vel in eis permanere non poterunt.

26. Recitandi rosarium vel alias preces, si breviarium secum deferre non poterunt, vel divinum officium, ob aliquod legitimum impedimentum, recitare non valeant.

27. Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum et lacticiniorum tempore ieiuniorium et quadragesimae.

28. Praedictas facultates communicandi, non tamen illas quae requirunt ordinem episcopalem, vel non sine sacrorum oleorum usu exercentur, sacerdotibus idoneis qui in eorum dioecesibus laborabunt, et praesertim tempore sui obitus, ut sede vacante sit qui possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quamprimum fieri debebit per delegatos vel per unum ex eis, alio modo provideat, quibus delegatis auctoritate apostolica facultas conceditur sede vacante in casu necessitatis, consecrandi calices, patenas et altaria portatilia sacris oleis ab episcopo tamen benedictis.

29. Et praedictas facultates gratis et sine ulla mercede exerceat, et ad annos quindecim tantum, pro Indiis Orientalibus et Occitentalibus et America septemtrionali, pro Asia vero, et Africa ad annos decem tantum concessae intelligantur.

Facultates tamen huius formulae non eodem modo singulis episcopis erunt concedendae, sed iuxta episcopatuum, et Diocesum necessitates et temporum conditiones, nam si ex relationibus, quae in Visitatione liminum Apostolicorum ab episcopis tradentur Sac. Congregationi Concilii, vel ex illis quae ad sac. Congregationem de Propda Fide mittentur a Missionariis, constiterit aliquos Episcopatus non indigere omnibus facultatibus

in dicta Formula contentis, in concessione eorum relinquendae erunt, quae non erunt pro dictis episcopis necessariae.

16. F. II. - *Continens facultates pro episcopis in locis Europae infidelibus subiectis, et a Curia Romana distantibus, ut in mari Egeo et ulterioribus Orientis locis et in Moscovia.*

1. Conferendi Ordines extra tempora, et non servatis interstitiis usque ad presbyteratum inclusive, si sacerdotum necessitas ibi fuerit.

2. Dispensandi in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis quae vel ex bigamia vera, vel ex homicidio voluntario proveniunt.

3. Dispensandi super defectu aetatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint.

4. Dispensandi et commutandi vota simplicia, etiam castitatis, ex rationabili causa in alia pia opera, non tamen Religionis.

5. Dispensandi in quacumque simonia ; et in reali, dimissis beneficiis, et super fructibus male perceptis, iniuncta poenitentia salutari vel eleemosyna arbitrio dispensantis.

6. Dispensandi in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis simplici et mixto, et in secundo, tertio et quarto mixtis, non tamen in 2º solo quoad futura matrimonia, quo vero ad praeterita etiam in 2º solo cum iis qui ab haeresi, vel infidelitate convertuntur ad fidem, et in praefatis casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

7. Dispensandi super impedimento publicae honestatis iustitiae ex sponsalibus proveniente.

8. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen coniugum machinante, et restituendi ius petendi debitum amissum.

9. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levantum.

10. Hae vero dispensationes matrimoniales, videlicet 6ª 7ª 8ª et 9ª non concedantur, nisi cum clausula, dummodo mulier rapta fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non exsistat, et in dispensatione tenor huiusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis ad quod fuerint concessae.

11. Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis

maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti.

12. Consecrandi olea sacra cum sacerdotibus qui poterunt haberi, dummodo ad minus sint quinque, non tamen extra diem Coenae Domini.

13. Delegandi simplicibus sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta et alia utensilia ad Sacrificium Missae necessaria, ubi non intervenit unctio, et reconciliandi ecclesias pollutas aqua ab episcopo benedicta, et in casu necessitatis, etiam aqua non benedicta ab episcopo.

14. Largiendi ter in anno indulgentiam plenariam contritis, confessis, ac sacra communione refectis.

15. Absolvendi ab haeresi et apostasia a fide et a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos tam saeculares quam regulares; non tamen eos qui ex locis fuerint ubi sanctum Officium exercetur, nisi in locis missionum in quibus impune grassantur haereses deliquerint, nec illos qui iudicialiter abiuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur haereses, et post iudicialem abiurationem illuc reversi in haeresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiae tantum.

16. Absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in Bulla Coenae Domini.

17. Concedendi indulgentiam plenariam primo conversis ab haeresi, atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt.

18. Concedendi indulgentiam plenariam in oratione 40 horarum ter in anno indicenda diebus Episcopo benevisis, contritis et confessis ac sacra communione refectis, si tamen ex concursu populi et expositione sanctissimi Sacramenti nulla probabilis suspicio sit sacrilegii ab haereticis et infidelibus, aut magistratum offensum iri.

19. Lucrandi sibi easdem indulgentias.

20. Singulis secundis feriis non impeditis officio 9 lectionum, vel eis impeditis, die immediate sequenti, celebrando Missam de requie in quocumque altari etiam portatili, liberandi animam secundum eorum intentionem a purgatorii poenis per modum suffragii.

21. Tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, libros etc. (vide N. 21 form. praeced.) (NB pro « *alias quovis modo* » *legitur hic: quomodolibet*).

22. Praeficiendi parochiis regulares eosque suos deputandi vicarios in defectu saecularium, de consensu tamen suorum Superiorum.

23. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima Missa non sumpserit ablutionem, per unam horam ante auroram et aliam post meridiem sine ministro, sub dio et sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum vel sine reliquiis Sanctorum, et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, si aliter celebrari non possit.

24. Deferendi sanctissimum Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

25. Induendi vestibus saecularibus, si aliter vel transire ad loca eorum curae commissa, vel in eis permanere non poterunt.

26. Recitandi rosarium vel alias preces, si breviarium secum deferre non poterunt, vel divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

27. Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum et lacticiniorum tempore ieiuniorum, et praesertim quadragesimae.

28. Praedictas facultates communicandi, non tamen illas quae requirunt ordinem episcopalem, vel non sine sacrorum oleorum usu exercentur, sacerdotibus idoneis qui in eorum dioecesibus laborabunt, et praesertim tempore sui obitus, ut sede vacante sit qui possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quamprimum fieri debebit per delegatos vel per unum ex eis, alio modo provideat, quibus delegatis auctoritate Apostolica facultas conceditur sede vacante et in casu necessitatis, consecrandi calices, patenas et altaria portatilia sacris oleis ab episcopo tamen benedictis.

29. Et praedictas facultates gratis et sine ulla mercede exerceat, ad annos septem tantum concessae intelligantur.

Facultates tamen hujus formulae, etc. (ut in Form. I.)

17. - F. III. *Continens facultates pro locis Europae, ubi impune grassantur haereses Nuntiis Apostolicae Sedis et Archiepiscopo Philipensi pro Hollandia, et Confoederatis Provinciis concedendas.*

1. Absolvendi ab haeresi et apostasia a fide et a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos tam saeculares quam regulares; non tam eos qui ex locis missionum in quibus impune grassantur haereses deliquerint, nec illos qui iudicialiter abiuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur haereses, et

post iudicialem abiurationem illuc reversi in haeresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiae tantum.

2. Tenendi et legendi libros prohibitos haereticorum ad effectum eos impugnandi, et alios quomodolibet etc. (ut in N. 21 primae form.).

3. Dispensandi in tertio et quarto simplici et mixto cum pauperibus et in contrahendis, in contractis vero cum haereticis conversis, etiam in secundo simplici et mixto, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

4. Dispensandi super impedimento publicae honestatis iustis ex sponsalibus proveniente.

5. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen coniugum machinante, et restituendi ius petendi debitum amissum.

6. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum.

7. Hae vero dispensationes matrimoniales videlicet 3º 4º 5º et 6º non concedantur, nisi cum clausula, dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non exsistat, et in dispensationibus tenor huiusmodi facultatum inseratur, et declaretur expresse illas concedi tamquam a Sedis Apostolicae delegato, cum expressione temporis ad quod fuerint concessae (1).

8. Dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto tantum provenientibus, excepta ea, quae ex homicidio voluntario contrahitur.

9. Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis castitatis et Religionis.

10. Absolvendi ab omnibus casibus reservatis etiam in Bulla Coenae Domini in locis tamen ubi impune grassantur haereses.

11. Delegandi simplicibus sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta, et alia utensilia ad sacrificium Missae necessaria, ubi non intervenit sacra unctio, et reconciliandi ecclesias pollutas aqua ab episcopo benedicta, et in casu necessitatis etiam aqua non benedicta ab episcopo.

12. Communicandi has facultates in totum, vel in parte

---

(1) Nota quod in Congregatione Generali de Prop. Fide, habita die X Februarii 1637, huiusmodi facultates dispensandi in matrimoniis S. D. N. Urbanus VIII Nuntiis Apostolicae Sedis concedere noluit, sed iussit ostendi R. P. D. Datario, et ejus sententiam exquiri et referri, et proinde in concedendis huiusmodi facultatibus praefatis Nuntiis observandum erit, quod audito Datario Sanctitas Sua mandaverit.

prout opus esse secundum eorum conscientiam iudicaverint, sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus, in locis tamen haereticorum, ubi prohibetur exercitium Catholicae Religionis. Et praefatae facultates gratis, et sine ulla mercede exerceantur et ad triennium tantum concessae intelligantur. Eaedem facultates poterunt dari episcopis titularibus in Hibernia, addictis infrascriptis, videlicet:

13. Conferendi ordines extra tempora, et non servatis interstitiis usque ad Sacerdotium inclusive.

14. Dispensandi super defectu aetatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint.

15. Consecrandi olea cum quinque saltem sacerdotibus, non tamen extra diem Coenae Domini, nisi necessitas aliud urgeat.

16. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima Missa non sumpserit ablutionem, per unam horam ante auroram et aliam post meridiem, sine ministro, sub dio et sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum vel sine reliquiis Sanctorum, et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, et aliter celebrari non possit.

17. Deferendi sanctissimum Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

18. Induendi se vestibus saecularibus, si aliter vel transire ad loca eorum curae commissa, vel in eis permanere non poterunt.

19. Recitandi Rosarium vel alias preces, si Breviarium secum deferre non poterunt, vel divinum officium, ob aliquod legitimum impedimentum, recitare non valeant.

20. Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum et lacticiniorum tempore ieiuniorum et praesertim quadragesimae.

Item aliae facultates, quae pro dictis Provinciis adnotantur in quinta formula in fine, et accommodata undecima in hunc modum videlicet:

21. Communicandi has facultates in totum, vel in parte prout opus esse secundum eorum conscientiam iudicaverint sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus, et praesertim tempore sui obitus, ut sede vacante sit qui possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quam primum fieri debebit per delegatos, aut per unum ex eis alio modo provideat.

Et praedictas facultates gratis et sine ulla mercede exerceat, ad quinquennium tantum concessae intelligantur.

18. - F. IV. - *Continens facultates maiores, seu extraordinarias pro Praefectis Missionum Asiae, Africae et Americae, et pro eorum sociis, ac Guardiano Hierosolymitano.*

1. Dispensandi in quibuscumque irregularitatibus, exceptis iis quae ex bigamia vera, vel ex homicidio voluntario proveniunt; et in his etiam duobus casibus etiam, si praecisa necessitas operariorum ibi fuerit, si tamen quoad homicidium voluntarium ex huiusmodi dispensatione scandalum non oriatur.

2. Dispensandi et commutandi vota simplicia etiam castitatis ex rationabili causa in alia pia opera, non tamen Religionis.

3. Absolvendi et dispensandi in quacumque simonia, et in reali, dimissis beneficiis, et super fructibus male perceptis, iniuncta aliqua eleemosyna vel poenitentia salutari arbitrio dispensantis, vel etiam retentis beneficiis si fuerint parochialia, et non sint qui parochiis praefici possint.

4. Dispensandi in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis simplici et mixto tantum, et in secundo, tertio et quarto mixtis, non tamen in 2º solo, quoad futura matrimonia, quo vero ad praeterita etiam in 2º solo cum iis, qui ab haeresi, vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam, et in praedictis casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

5. Dispensandi super impedimento publicae honestatis iustis ex sponsalibus proveniente.

6. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen coniugum machinante, ac restituendi ius petendi debitum amissum.

7. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum.

8. Hae vero dispensationes matrimoniales videlicet 4º 5º 6º e 7º non concedantur, nisi cum clausula: Dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non exsistat, neque in utroque foro, ubi erunt episcopi, sed in foro conscientae tantum et in illis expediendis tenor huiusmodi facultatum in dispensationibus inseratur, cum expressione temporis ad quod fuerint concessae.

9. Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus ut post conversionem et baptismum, quam malue-

rint ex illis, si etiam fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti.

10. Absolvendi ab haeresi et apostasia a fide et a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos tam saeculares quam Regulares; non tamen eos qui ex locis fuerint in quibus sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum in quibus impune grassantur haereses, deliquerint, nec illos qui iudicialiter abiuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur haereses, et post iudicialem abiurationem illuc reversi in haeresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiae tantum.

11. Absolvendi ab omnibus casibus *Sedis Apostolicae* reservatis etiam in Bulla Coenae Domini contentis.

12. Benedicendi paramenta et alia utensilia pro sacrificio Missae.

13. Reconciliandi ecclesias pollutas aqua ab episcopo benedicta, et in casu necessitatis, etiam aqua non benedicta ab episcopo, huiusmodique facultatem communicandi simplicibus sacerdotibus.

14. Consecrandi calices, patenas et altaria portatilia cum oleis ab episcopo benedictis, ubi non erunt episcopi, vel distent per duas dietas, vel sedes vacet.

15. Dispensandi quando expedire videbitur super esu carnium, ovorum, et laticiniorum tempore ieiuniorum, et praesertim quadragesimae.

16. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima Missa non sumpserit ablutionem, per unam horam ante auroram et aliam post meridiem sine ministro et sub dio et sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum vel sine reliquiis Sanctorum, et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, dummodo minister non sit haereticus, aut excommunicatus ac aliter celebrari non possit.

17. Concedendi indulgentiam plenariam primo conversis ab haeresi, atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non potuerint.

18. Concedendi indulgentiam plenariam in Oratione 40 horarum ter in anno indicenda diebus benevisis, contritis et confessis ac sacra communione refectis, si tamen ex concursu populi et expositione sanctissimi Sacramenti nulla probabilis suspicio sit sacrilegii ab haereticis et infidelibus, vel magistratum offensum iri.

19. Lucrandi sibi easdem indulgentias.

20. Singulis secundis feriis non impeditis officio 9 lectionum

vel eis impeditis, die immediate sequenti, celebrandi Missam de requie in quocumque altari etiam portatili, liberandi animam secundum eorum intentionem a purgatorii poenis per modum suffragii.

21. Deferendi sanctissimum Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

22. Induendi vestibus saecularibus, etiamsi fuerint Regulares, si aliter vel transire vel permanere non poterunt in locis missionum.

23. Recitandi rosarium vel alias preces, si breviarium secum deferre non poterunt, vel divinum officium, ob aliquod legitimum impedimentum, recitare non valeant.

24. Tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, libros haereticorum, vel etc. (ut in form. 1ª N. 21).

25. Administrandi omnia Sacramenta, etiam Parochialia, ordine et confirmatione exceptis, et quoad Sacramenta Parochialia, in Dioecesibus ubi non erunt episcopi, vel Ordinarii, aut eorum Vicarii, vel in Parochiis, ubi non erunt Parochi, vel ubi erunt, de eorum licentia.

26. Communicandi has facultates in totum, vel in parte sociis suis in missione, et praesertin tempore sui obitus, ut sit qui interim possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta quod quamprimum fieri debebit per delegatum, alio modo provideat, et communicatas revocandi prout opus fuerit.

27. Et praefatae facultates gratis et sine ulla mercede exerceantur et in Indiis ad annos quindecim tantum, in aliis vero locis Asiae et Africae ad annos decem tantum concessae intelligantur.

Notandum est facultatem 25am in ordine debere variari secundum diversitatem locorum iuxta regulas 1am 2am et 3am de quibus in prima scriptura.

19. - *Formola V.* (1) - 1. Administrandi omnia Sacramenta etiam Parochialia, ordine et confirmatione exceptis, et quoad Parochialia in Dioecesibus ubi non erunt episcopi, vel Ordinarii, vel eorum Vicarii, vel in Parochiis, ubi non erunt Parochi, vel ubi erunt de eorum licentia.

2. Absolvendi ab haeresi et apostasia a fide et a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos tam saeculares quam Regula-

(1) Recordemur hanc non fuisse typis scriptam.

res, non tamen eos qui ex locis fuerint ubi sanctum Officium exercetur, nisi in locis missionum in quibus impune grassantur haereses deliquerint, nec illos qui iudicialiter abiuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur haereses, et post iudicialem abiurationem illuc reversi in haeresim fuerint relapsi, et hos in foro coscientiae tantum.

3. Absolvendi in foro conscientiae tantum ab omnibus et quibuscumque casibus Sedi Apllicae quomodolibet reservatis, in locis in quibus ob distantiam eorum, vel ob alias causas est difficilis recursus ad Sedem Ap.licam; ubi vero est facilis recursus pro prima vice tantum.

4. Absolvendi et dispensandi a simonia, non tamen reali, nisi dimissis beneficiis, et fructibus ex eis male perceptis, arbitrio Sanctitatis suae restitutis, si facilis sit recursus ad Sedem Ap.licam, si vero difficilis vel ob distantiam locorum aut alias causas, etiam in reali dimissis beneficiis, et super fructibus male perceptis, iniuncta aliqua eleemosyna, vel poenitia salutari arbitrio dispensantis, vel etiam retentis beneficiis, si fuerint Parochialia, et non sint qui Parochiis praefici possint.

5. Tenendi, et legendi etc. (ut in form. 1. N. 21).

6. Celebrandi Missam quocumque loco decenti etiam sub dio, sub terra, una hora ante auroram, et alia post meridiem, bis in die si necessitas cogat, si tamen in prima Missa non sumpserit ablutionem, et super altari portatili etiam, in loco tamen decenti, etiam in altari fracto aut laeso et sine Sanctorum Reliquiis et praesentibus haereticis, excommunicatis, si aliter celebrari non possit et non sit periculum sacrilegii dummodo inserviens Missae non sit haereticus, vel excommunicatus.

7. Dispensandi et commutandi vota simplicia etiam castitatis ex rationabili causa in alia pia opera, non tamen Religionis.

8. Dispensandi in foro coscientiae tantum super irregularitate ex delicto occulto proveniente, et non deducto ad forum contentiosum, non tamen ex homicidio voluntario, aut ex bigamia.

9. Dispensandi cum pauperibus in 3º et 4º consanguinitatis et affinitatis simplici et mixto, et in 2º 3º et 4º mixtis, non tamen in 2º solo quoad futura matrimonia ; quo vero ad praeterita etiam in 2º solo, cum his qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam, et in praedictis casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

10. Dispensandi cum pauperibus super impedimento publicae honestatis iustitiae ex sponsalibus proveniente.

11. Dispensandi cum pauperibus super impedimento criminis, neutro tamen coniugum machinante, ac restituendi ius petendi debitum amissum.

12. Dispensandi cum pauperibus super impedimento cognationis spiritualis praeterquam inter levantem, et levatum.

13. Hae vero dispensationes matrimoniales, videlicet 9ª 10ª 11ª et 12ª non concedantur nisi cum clausula, dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit in potestate raptoris non existat, et in dispensatione tenor hujusmodi facultatum inseratur ; cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae.

14. Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti.

15. Concedendi indulgentiam plenariam primo conversis ab haeresi, atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt.

16. Concedendi Indulgentiam Plenariam in oratione 40 horarum ter in anno indicenda diebus benevisis, contritis et confessis et sacra Communione refectis, si tamen ex concursu populi et expositione sanctissimi Sacramenti nulla probabilis suspicio sit sacrilegii ab haereticis et infidelibus, aut magistratum offensum iri.

17. Concedendi singulis dominicis et aliis diebus decem annorum indulgentiam iis qui eius concionibus intervenerint, et plenariam iis qui, praevia sacramentali peccatorum suorum confessione, sacram Eucharistiam sument in festis Natalis Domini, Paschatis et Assumptionis Beatissimae Virginis.

18. Lucrandi sibi easdem indulgentias.

19. Singulis secundis feriis non impeditis officio 9 lectionum, vel eis impeditis die immediate sequenti, celebrando Missam de Requie in quocumque altari etiam portatili, liberandi animam secundum eorum intentionem a purgatorii poenis per modum suffragii.

20. Deferendi sanctissimum Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

21. Induendi vestibus saecularibus etiamsi fuerint Regulares si aliter vel transire, vel permanere non poterunt in locis Missionum.

22. Recitandi rosarium vel alias preces, si breviarium

secum deferre non poterunt, vel divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

23. Benedicendi paramenta, et alia utensilia ad sacrificium Missae necessaria, ubi non intervenit unctio, et reconciliandi ecclesias pollutas aqua ab episcopo benedicta, et in casu necessitatis etiam aqua ab episcopo non benedicta, huiusmodique facultate communicandi simplicibus sacerdotibus.

24. Et praedictae facultates gratis et absque ulla mercede exerceantur et concedantur vel ad quinquennium, septennium vel ad decennium pro distantia locorum.

Quae facultates poterunt augeri in Missionibus Europae magis distantibus, ut in Moscovia, et Russia, et locis circa Constantinopolim, mutata 3ª in 16.am episcoporum Asiae.

Nonnullae aliae facultates pro certis regionibus necessariae ut pro Provinciis Hollandiae, et in nonnullis Germaniae, in quibus haeretici dominantur, et est prohibitum Catholicae Religionis exercitium.

1ª Dispensandi cum catholicis super fructibus bonorum ecclesiasticorum male perceptis.

2ª Dispensandi cum eisdem catholicis, ut possint retinere bona ecclesiastica, et fructus ex illis percipere, accepta ab illis promissione de stando iudicio Ecclesiae circa eorum restitutionem, cum fieri poterit; illis interim admonitis, ut de dictis fructibus faciant eleemosynam iudicio confessarii in usum Religionis cuius, ante haeresim et schisma erant bona, si ibi adsit illa Religio, sin minus in pauperes catholicos, et memores sint bona illa esse revera Ecclesiae.

3ª Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum et lacticiniorum tempore ieiuniorum et praesertim quadragesimae.

Notandum est facultatem primam in ordine debere variari secundum diversitatem locorum iuxta regulas primam, secundam, et tertiam, de quibus in prima scripta.

Item facultatem tertiam in ordine deberi variari in locis ubi sunt Apostolicae Sedis Nuntii, juxta quintam regulam de qua in prima scripta.

20. - Ex quinque formulis generalibus quattuor priores, usque ad Codicem iuris canonici, paucis mutatis eaedem manserunt et vocatae sunt *ordinariae*.

De formula III tamen haec sunt observanda. Prior formulae textus solos 13 articulos complectebatur: 11 dabant facultates;

12us et 13us clausulas continebant de facultatum communicatione et de usu earum gratuito. Verum 11 articuli facultatum aucti sunt 8 aliis pro regionibus quae amplioribus facultatibus opus habebant. Sic distincta est formula brevior, quae subinde appellata est F. X, et formula prolixior. Exeunte saec. XVIII, inter annos 1782 et 1786, PIUS VI, petitioni annuens gubernii Austriaci, ampliavit art. 3um de dispensationibus matrimonialibus et 21um de tempore ad quod facultates concessae erant. Quare ipsa formula prolixior evasit duplex, altera dicta *antiqua*, altera *ampla*. Quae ampla etiam quibusdam aliis episcopis est concessa: i. e. Poloniae, Belgii, Hollandiae et episcopis ritus graeci in Hungaria et Transylvania (1). Formula V, qualis constituta est per Congr. Urbani VIII usu excidit. Verum pluribus episcopis et missionariis quibus nulla formula plena tradebatur, dabatur folium *manuscriptum*, aliud pro aliis loci necessitatibus et distantia a S. Sede. Quae varians formula dicta est F. V. (2).

21. - Ex personis quibus concedebantur, duo genera formularum distingui possunt: alterum formularum quae *episcopis*, alterum formularum quae *Praefectis missionum* et aliis Superioribus qui consecratione episcopali carent concedebantur.

Atque, in sua commentatione, BERNARDINUS ROSI formulam I sumit ut typum prioris generis, formulam IV exhibet ut exemplar alterius generis.

22. - *Variae accessiones et mutationes.*

1. Ipsae quinque formulae praedictae varias, secundarias tamen mutationes subierunt. Sic, postquam 12 oct. 1869 C. *Apostolicae Sedis* in locum *Bullae Coenae* suffecta est, art. 16 F. I. sic correctus est: « Absolvendi ab omnibus censuris, etiam speciali modo in Bulla *Apostolicae Sedis moderationi*, diei 12 oct. 1869, Romano Pontifici reservatis, excepta *absolutione complicis* in peccato turpi ».

2. Ut supra dictum est, FF. VI. VII. VIII. IX opera Secretarii INGOLI confectae, ad quinque priores accesserunt. Sed « *Formolario. Raccolta di formole*

(1) *Nota d'archivio*, ms. 1867. — (2) Ibidem.

di facoltà », anni 1895, nos monet non iam usu venire FF. VII. VIII. IX quae Praefectis quarundam missionum dabantur, ita ut hi solam F. IV consequerentur.

3. Circa medium saec XIX, ad ordinarias accesserunt Formulae dictae extraordinariae.

Extraordinariae a et aa, ex audientia SS.mi 1855 (1). Extr. b approbata est, regnante Gregorio XVI, pro episcopis Sinensibus *Societatis missionum ad exteros*. Quo anno, nescitur; sed non ante 1841. In audientia 17 aug. 1851, ad omnes Ordinarios Sinarum est extensa (2).

Extr. C approbata est in audientia SS. 4 ian. 1863; D, in aud. 26 iul. 1863; E, in aud. 1 mart. 1863 (3).

Iam in aud. 1859 actum est de Form. extr. P pro episcopis. De hac legimus: « Facultates extraordinariae pro episcopis Angliae, quae ad biennium SS. D. N. concedi debere praescripsit in aud. habita die 9 sept. 1866. » (4). - In aud. autem 28 iul. 1866 concessa est Form. extr. R pro Vicariis Apostolicis Indiarum Orientalium, pro decem annis (5). - Anno 1903 ampliata est Form. extr. T. (6).

Sic formulas Urbani VIII et formulas facultatum ordinariarum, quales ante Codicem concedebantur compares paucis clausulis inter se differunt. Exemplo sint formula I et II.

A. De F. I. 1. *Ex formulario paenultimo ante Codicem.*

In n. 6 post verba « quo vero ad praeterita, etiam in 2°. solo », haec inseruntur : « dummodo nullo modo attingat primum gradum ». In fine eiusdem numeri, pro « in praedictis casibus » dicitur : *in praefatis* casibus.

N. 7 loco *iustitiae* scribitur : *iusti.*

N. 8 verba « ius petendi debitum amissum » hoc meliore ordine ponuntur : « ius amissum petendi debitum. »

(1) *Formolario delle facoltà* 1895, p. 93. — (2) *Nota d'archivio*, ms. n. 865. (3) *Formolario* 1895, p. 136. — (4) *Formole delle facoltà che dà il S. Officio.* — (5) *Formolario*, 1895. — (6) *Formole delle facoltà che dà il S. Officio.*

N. 16 sic scribitur : « Absolvendi ab omnibus censuris etiam speciali modo in Bulla *Apostolicae Sedis moderationi*, die 12 oct. 1869 Romano Pontifici reservatis, excepta absolutione complicis in peccato turpi ».

N. 21. sic enuntiatur : « Tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, praeterquam, ad tempus tamen, iis sacerdotibus quos praecipue idoneos atque honestos esse sciat, libros prohibitos, exceptis operibus Dupuy, Volnay, M. Reghellini, Pigault, le Brun, De Potter, Bentham, I. A. Dulaure, *Fêtes et courtisanes de la Grèce*, *Novelle di Casti* et aliis operibus de obscenis et contra religionem ex professo tractantibus.

N. 23. Ante *sub dio* sublata est particula *et* ; dum *et* positum est loco *si*, ante *aliter celebrari non possit*. Haec dein accedunt. « Caveat vero ne praedicta facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam ex gravissimis causis utatur, in quo graviter eius conscientia oneratur. Quod si hanc eandem facultatem alteri sacerdoti, iuxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas ea utendi alicui qui a S. Sede hanc facultatem obtinuerit approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiae iniungitur ut paucis dumtaxat usque maturioris prudentiae ac zeli; et qui absolute necessarii sunt, non pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit et ad breve tempus eandem communicet, aut respective causas approbet. »

N. 27. addita est clausula : « non tamen per generale indultum, sed in casibus particularibus ».

Additum in fine : Datum Romae etc. : Suppressa autem est Animadversio « Facultates tamen etc. », quae in fine formulae pro directione concedentis posita est.

2. *Ex vigente ante Codicem formula I.*

N. 6. Sic ponebatur : « Dispensandi in tertio et

quarto consanguinitatis et affinitatis gradu simplici et mixto tantum, et in secundo, tertio et quarto mixtis tam in contractis quam in contrahendis; et etiam, quoad contracta, in secundo solo, dummodo non attingat primum, cum iis qui ab haeresi, vel schismate, vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam, datis, si una pars tantum comvertatur, cautionibus ab Ecclesia praescriptis et in praefatis casibus, prolem susceptam declarandi legitimam ».

N. 9. Addita erant verba: « baptizatum » ita ut angustior facta sit concessio.

B. F. II. 1. *Ex formulario paenultimo ante Codicem*

N. 5 sic. incipit: « Absolvendi et dispensandi ».

N. 6 redit mutatio indicata ad n. 6 F II.

N. 27 vos « praesertim » suppressa est ante *quadragesimae*, atque additur limitatio: « non tamen per generale indultum, sed in casibus particularibus ».

2. *Ex formula II ante Codicem vigente.*

N. 6 scribitur sicut in recentiore formula I; et n. 9 excipitur quoque spiritualis cognatio inter captizantem et captizatum.

Neque in Formulas III et IV magis substantiales mutationes inductae sunt. In vigentibus tamen ante Codicem formulis III et IV ordo quo facultales numerantur satis diversus est, ita ut 16 facta sit 11 et ita porro.

Art. 3. Facultatum concessio.

23. - Diu post institutam S. C. *P. F.* munus expediendi facultates S. *Officio* servatum est. S. C. *P. F.* ad supremam hanc Congregationem missionarios suos mittebat ut facultates formularum obtinerent.

Quare in Codice manuscripto « *Formole delle facollà che dà il S. Offizio* reperiuntur formulae decretorum quibus esiscopi vel praefecti missionum remittebantur ad S. Officium pro facultatibus.

En exempla. 1. - **Europa.** - *Formola di decreto a! S. Officio per vescovi nelle loro diocesi dominati da Prencipi o Republiche eretiche o infedeli, e per i medesimi quando sono amministratori o Vicarii Apostolici.*

« Decretum S. C. generalis de Prop. Fide. habitae, etc. Referente, etc. S. C. censuit concedi posse ad (ponatur tempus) R. P. D. (ponatur nomen et episcopatus) pro eadem dioecesi facultates concedi solitas episcopis in partibus infidelium, ita tamen ut iis nullo modo uti possit extra fines praedictae dioecesis, pro quibus iussit adiri S. Officium. Datum, etc.

« Inserviet 2ª formula prout iacet. Post n. 26 addatur tertia clausula praescripta pro episcopis, sub die 2 ian. 1662 circa facultatem celebrandi bis in die.

« N. 29 scribatur hoc modo: et praedictae facultates gratis et sine ulla mercede exerceantur et ad annos... concessae intelligantur nec illis ullo modo uti possit extra fines suae dioecesis. Datum... »

2. - **Europa**. - *Formola di conferma di decreto a! S. Officio per i vescovi nella loro diocesi dominati da Prencipi o Republiche eretiche o infedeli, e per i medesimi quando sono amministratori o Vicarii Apostolici.*

Decretum S. Congr. generalis de Propaganda Fide habitae, etc.

« Referente, etc. S. Cong. censuit concedi posse ad aliud (ponatur tempus) R. P. D. (ponatur nomen et episcopatus) facultates concedi solitas episcopis in partibus infidelium, ita tamen ut iis nullo modo uti possit extra fines suae dioecesis, pro quibus iussit adiri S. Officium.

« Non erit necesse extendere novas facultates, cum habeat antiquas iam expeditas; sed sufficiet tantum decretum confirmatorium.

« In decreto autem addatur clausula sequens: « Ad aliud (explicetur tempus) a die quo tempus praescriptum in praeteritis facultatibus expiraverit, ita tamen ut iis nullo modo uti possit extra fines suae dioecesis. Datum, etc. »

24. - Ab anno tamen 1765, coeptum est recedi ab usu recurrendi ad S. Officium pro expediendis facultatibus; et facultates expeditae sunt ex audientia SS.mi per Secretarium S. Congregationis (1).

(1) Notula ms. Secretarii S. C. P. F. 23 aug. 1808 ad assessorem S. Officii.

Nihilominus usque ad annum 1790, S. C. *P. F.* saepe pro facultatibus remisit missionarios ad S. Officium (1).

25. - Diu concessae sunt manuscriptae. Iam quidem, Pontifice URBANO VIII, anno 1636, Secretarius quattuor rationes allegaverat cur facultates typis scriberentur: *a*) Ut accuratius scriberentur; *b*) Ut citius expedirentur; *c*) Ut difficilius adulterarentur; *d*) Ut promptius multiplicarentur facultates pro variarum regionum necessitatibus. Atque ipse URBANUS VIII in has partes propendebat. Nihilominus, in Congr. 23 sept. 1636, EE. PP. « nemine eorum discrepante, negative responderunt, atque indicarunt modum quo allegatis incommodis parceretur ». (2)

Deinceps tamen ad diversum consilium deventum est. Sed anno tantum 1868 formulae extraordinariae coeptae sunt typis scribi (3). Formula V. numquam typis scripta est; sed ex ea deproniebantur facultates pro missionariis.

26. - *Facultatum distributio* haec erat circa annum 1873. Obtinebant:

F. I. (ord.) Imperium Sinense, India, Australia, Africa, America septemtrionalis et meridionalis.

F. II (ord.) Anglia, Scotia, Graecia, Albania, Bosnia, Valachia, Dalmatia.

F. III (ord. antiquam) Austria, Bavaria.

F. III (amplam ord.) Prussia, Hungaria, Germania septemtr., Hollandia, Polonia, Belgium, Russia.

F. IV (ord.) Praefecti missionum.

F. VI (ord.) Hibernia.

F. VII. VIII. IX antiquatae.

F. X. Gallia, Helvetia.

---

(1) *Nota d'archivio*, 1867, Rosi.
(2) Acta ms. S. P. 1636, p. 16.
(3) *Formolario. Raccolta di formole di Facoltà* a. 1895, p. 135.

Extr. *aa* America meridionalis.
» *a*. Ibidem.
» *b*. Sinense imperium.
» *C*. Status foederati Americae Septemtr.
» *D*. Ibidem.
» *E*. Ibidem.
» *F*. Episcopi Novae Scotiae.
» *P*. Episcopi Angliae.
» *Q*. Episcopi Hollandiae.
» *R*. Episcopi Indiarum Orientalium.
» *S*. Episcopi Algeriae.
» *T*. Episcopi Canadenses.
» *U*. Episcopi Australiae.

Formulae sine littera: Facultates quae conceduntur missionariis religiosis.
» » » Facultates quae conceduntur alumnis Prop. Fidei.
» » » Facultates quae conceduntur missionariis ad honorem.

Art. IV. Facultatum interpretatio.

27. - Ipsa Congregatio particularis permanere voluit ut rectae facultatum interpretationi prospiceret.

Postquam autem esse desiit, S. C. *S. Officii* hanc Congregationem in hac parte supplevit. Ac poterat, non solum dubia solvere, sed etiam a regulis generalibus recedere, alias regulas statuere et sic ipsas formulas mutare. Ipsa C. *De Prop. Fide* plura dubia per se ipsa solvebat.

28. - *Fontes privatae interpretationis.* 1. Cum recognoscere et declarare vellet ordinarias et extraordinarias facultates, litt. 13 sept. 1866, iam supra memoratis, *S. Officium* petierat summariam relationem responsionum et declarationum ad eam diem datarum. Hinc habemus longam notam archivistae ROSI, qui, in ea scribenda, usus est duabus Collectionibus quae,

etsi non sunt authenticae, genuina tamen decreta referre videntur: *a*) Codice confecto a. 1750 ab amanuensi S. Officii, qui summam collegit declarationum de FF. I-IV. *b*) Collectione 1821. « Decreta, resolutionet et instructiones S. C. super missionibus et missionariis Apostolicis *collecta iussu SS. D. N. PP. Benedicti XIV.* » Haec, teste laudato archivista, magnam acquirit auctoritatem propter concordiam cum alia collectione scripta a doctissimo POMPILIO PRODOTTÀ, scriptore Bibliothecae Vaticanae.

2. *Collectanea S. C. de P. F.* seu Decreta, Instructiones, Rescripta pro Apostolicis missionibus e tabulario eiusdem S. Congregationis deprompta, sunt nunc interpreti Facultatum pretiosissima collectio. Bis prodiere: prius ordine systematico, in uno volumine, anno 1893, typis S. C. *P. F.;* dein ordine chronologico, in duobus tomis, 1906, iisdem typis. Titulus permansit idem, nisi quod dempta sunt verba « e tabulario eiusdem S. C. deprompta ».

3. Eruditum « Commentarium in facultates Apostolicas » quod forma compendiosa conscripsit KONINGS, e C. SS. R. et quod post eius obitum (30 iun. 1884) in lucem editum est, ampliavit et perfecit Iosephus PUTZER, e C. SS. R. (Editione 5, 1898 usi sumus).

Verum, cum nunc recentia decreta S. Officii et S. Congregationis complura dubia e medio tulerint, et in novis formulis praeparandis plures, perspicuitate verborum, dissipatae sint obscuritates, iam planiore via incedere nobis licet. Atque hoc praecipue attendendum est ut, non minus quam ipsae formulae, interpretatio nostra sit Codici consentanea.

CAPUT II. FORMULAE HODIERNAE

Art. I. Quot sint, quomodo et quibusnam concedantur.

29. - Formali interpretationi, materialis quaedam formularum quibus facultates conceduntur descriptio praemittenda videtur.

I. *Tres* nunc exstant *genere* formulae, quae *Formula Prima, Secunda, Tertia* nuncupantur. Non iam distinguuntur Ordinariae et Extraordinariae, sed Secundae et Tertiae duplex species exstat, *maior* et *minor.*

Ad sinistram diplomatis, supra, locus reservatur ponendo numero, Protocolli, hoc modo: « Protoc. N. (v. g.) 1822/20. (20 designat annum 1920).

Formulas istas, in Congressu Em. Card. Praefecti cum principalibus officialibus confectae, « in audientia 6 feb. 1919 SS. D. BENEDICTUS PP. XV in omnibus plene approbare dignatus est ».

Praeterea, ad utramque formularum rationem, iam accessit supplementum quod omni petenti, immo ultro conceditur. In proxima formularum editione, supplementum (de confraternitatibus et benedictionibus) ipsum corpus facultatum ingredietur.

A die autem 1 ian. 1920 vigere coeperunt, suppressis facultatibus antea a S. C. *P. F.* concessis, quae ad diem tantum 31 dec. 1919 in suo robore permanserunt. (Cfr. litt. S. C. die 1 iul. 1919, Protoc. 1522/19, ad Ordinarios missas.

30. - II. *Concessionis formula.* 1. Postquam ipsa S. C. P. F. coepit facultates dare, eas concedebat *ex audientia SS.mi* Pro formulis *ordinariis,* sic dicebatur: « *Facultates concessae a SS. D. N, div. prov. PP... referente infrascripto S. C. de P. F. Secretario... in audientia diei... Romae...*

Extraordinariae sic inscribebantur: « *Ex audientia SS. habita die.. SS. D. N. Divina Providentia PP... referente infrascripto S. C. de P. F. Secretario, R. P. D. sequentes facultates extraordinarias benigne concessit...*

2. Nunc autem tribuuntur ab ipsa S. C., virtute generalis concessionis Pontificiae, quae sic praescribitur: « *Vigore potestatis sibi a SS. D. N... Divina Prov. Pp... tributae, haec S. Congr. Christiano Nomini Propagando Rev. P. Domino. Ordinario... sequentes facultates concedit ad...*

31. - III. *Quibusnam conceduntur?* Hodierna distributione:

Formulam primam obtinent: Suecia, - Norvegia, - Dania, - Smyrna, - Constantinopolis, - Hierusalem, - Aleppa, - Ispahan, - Babylonia (Bagdad), - Arabiae Vicariatus Apost - Aegyptus, - Lybia (Tripoli) - Maroquium.

Formulam alteram consequuntur: Tasmania - Wellingtonium (*N. Zelanda*) - Dioeceses coloniarum Galliae in Africa - Dioeceses Americae centralis - Martinica (*Roseau*) - Coloniae anglicae Africae.

Formulam tertiam impetrant: Sinae - Indosinae - Iaponia - Insulae Oceaniae - Sandwich - Carolinae - Mariannae Carolinae - Guam - Tahiti. - Africa, excepta Lybia, Eegypto et dioecesibus gallicis. - Indiae - Malaca - Americae Vicariatus et Praefecturae.

Nihil obtinent: Gibraltaria - Germania Septemtrionalis - Schlewig-Holstein - Bosnia - Herzegovina - Seraium (*Sarajevo*) - Banialucus (*Banjaluca*) - Tribunium (*Trebigne*) - Montenegro - Serbia - Bulgaria - Rumenia - Albania - Candia - Rhodus - Graecia - S. Mauritii Agaunensis.

Formulae autem *maiores* iis qui in praedictis regionibus charactere episcopali insigniti sunt; *minores* aliis Superioribus earundem regionum obtingunt.

Art. II. Normae generaliores interpretationis.

I. Normae quae ex generalibus iuris principiis vel sanctionibus eruuntur.

Rectus ordo postulare videtur ut prius quam singulas facultates declarandas assumamus, pauca principia generaliora recolamus quae hic usu veniunt, et *communes* formularum clausulas explicemus.

32. - *Facultates habituales* accensentur privilegiis praeter ius (c. 66, § 1). Quocirca amplam ferunt interpretationem (c. 50), ita tamen ut servetur proprietas verborum, nec easdem extendere ultra, vel restringere infra earum tenorem liceat (c. 67).

Habituales autem sunt non eae solum facultates quae vel in perpetuum vel ad praefinitum tempus, sed etiam quae ad certum numerum casuum conceduntur (c. 66, § 1).

Ad facultates habituales accedere saepe debent indulta peculiaria. Si huiusmodi indulto facultas *dispensandi* tantum ad certum casum conceditur, facultas ista, non minus quam ipsa dispensatio, strictae interpretationi subest (c. 85). Immo, re integra, cessat per vacationem S. Sedis rescriptum quo potestas alicuit fit concedendi gratiam peculiarem personis in eodem expressis (c. 61).

« Res dicitur non amplius integra, si delegatus mandata sibi iurisdictione uti, i. e. si ex ea gerere aliquid coeperit » : v. g. si inquirere coeperit an vera sint exposita. D' ANNIBALE, *Summula*, I, 77 (62).

33. - II. Nisi aliud expresse cautum sit, vel industria personae electa sit, facultates *factae episcopo* vel *Ordinario loci competunt* quoque *Vicario generali* (c. 66, § 2) vel *Vicario delegato.*

Vicarii et Praefecti Apostolici vicarium generalem per se nominare nequeunt. Sed in audientia 6 nov. 1919, BENEDICTUS XV, postulante Em. Card. Praef. de Prop. Fide. sanavit nul-

litatem actuum effectorum a missionariis qui forsan se ut veros vicarios generales gessisent; atque Ordinariis missionum concessit potestatem nominandi unum vel etiam plures, si diversitas rituum vel amplitudo territorii istud exigat, *vicarios delegatos*, qui omnem competentiam habeant quam cc. 66 et 368 vicario generali tribuunt. Cf. *Periodica de re canonica et morali*, IX, (25) ss.

Diu perseveravit disciplina multo strictior. Sic, mense maio 1880, declaratum est episcopum posse quidem facultates suas Vicario generali communicare per *delegationem*, quae subdelegationem excludebat. Praesentis iuris facilitatem, acceptam referre debemus Supremae Congregationi *S. Officii*, per litteras encyclicas 20 febr. 1888 (*Collect.* P. F. n. 1685); decretum 20 april. 1898 (*Collect.* n. 1996) et Declarationem 5 sept. 1900 (*Collect.* n. 2094).

34. - III. Praedicatae facultates, in iisdem adiunctis, *transeunt ad Ordinarios qui* ipsis in regimine *succedunt*. Transeunt proin ad Pro-vicarium, ad Vicarium delegatum, atque etiam ad seniorem (si nemo Vicarius constitutus sit), quamvis iste non habeat nisi potestatem delegatam [Cf. *Periodica*, IX, p. (33)]. Etenim, in decreto 20 febr. 1888, ad cuius formam et secundum cuius terminos concessus est transitus facultatum ad successores, nomine *Ordinarii* declaratum est venire, sede vacante, legitimum administratorem. Iam vero senior is est legitimus administrator. Prorsus etiam satisfacit condicioni can. 198, § 1 : ex iuris praescripto, succedit in regimine.

35. - IV. *Concessa facultas secum fert alias potestates* ad eius usum *necessarias*, ac proin absolvendi a poenis quae forte obstent, sed ad effectum tantum dispensatonis consequendae (c. 66, § 3).

36. - V. Dispensatio, *in dubio de sufficientia* causae, licite petitur, et potest licite et valide concedi » (c. 84, § 2).

37. - VI. *Facultates dari possunt* pro foro *externo*, pro *interno*, pro foro interno *sacramentali*.

Potestas pro foro externo valet quoque pro foro interno, non autem e converso (c. 202).

Itaque dispensationes, absolutiones datae in foro externo operantur in foro interno, non autem e converso, saltem perfecte. Quare necessitatem dispensandi in foro externo per se non tollunt. Nunc tamen, si probari possunt, dispensationes fori interni effectus suos quoque exserunt in foro externo, ita ut nulla iam absolutio vel dispensatio in foro externo requiratur. Hoc expresse dicitur c. 1047 de dispensatione impedimenti occulti matrimonii; c. 2251, de absolutione censurae; virtualiter autem, c. 991, § 4 de irregularitate. Ad quid enim praecipitur ut dispensatio in foro interno concessa annotetur, nisi prosit in foro externo?

38. - VII. *Exsecutori* qui in exsecutione rescripti *erraverit*, idem iterum exsecutioni mandare licet (c. 59, § 1).

Rescripti exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio substituere, nisi substitutio prohibita fuerit, aut substituti persona praefinita (c. 57).

Nova haec dispositio potest esse magni usus. Ordinarius qui iter facturus est vel aliud impedimentum praevidet, potest in antecessum modo generali cuidam committere, ut durante impedimento vel absentia, pro se rescripta exsequatur. Atque idem potest Vicarius generalis. Exsecutiones tamen alii in perpetuum committere non possit, quia non potest officium *exsecutoris* sic quasi creare.

39. - VIII. Cum agitur de potestate pro foro interno concessa, actus *per inadvertentiam* positus *elapso tempore* vel *exhausto numero casuum*, validus est. (c. 207, § 2).

40. - IX. Gratia gratiam non impedit. Quare, nisi clausula adhibeatur « Dummodo nulla altera exsistat vel concessa fuerit », vel similis restrictio sit apposita, *duae factae facultates cumulari possunt.*

Clausula cumulationem excludens apponi consuevit facultati altaris privilegiati non cotidiani.

41. - X. *Condiciones* in rescriptis non sunt ad valorem, nisi cum « per particulas *si*, *dummodo*, vel aliam eiusdem significationis exprimantur » (c. 39).

De forma *ablativi absoluti* est quaedam controversia In *Epitome*, I, n. 114, arbitrati sumus eam per se non sufficere ad exprimendam condicionem essentialem. Cfr. ibi argumenta.

42. - XI. *Delegata* ab Apostolica Sede potestas iurisdictionis *per se subdelegari potest*, sive ad actum sive etiam habitualiter; « sed nulla subdelegata potestas iterum subdelegari nisi id expresse concessum fuerit » (C. 199, § 5).

Ac probe notandum est non esse in potestate subdelegantis ut hanc facultatem iterum subdelegandi concedat, sed oportet ut facultas ab habente potestatem *ordinariam* sit concessa.

Itaque facultates quae conceduntur ut communicabiles, ab Ordinario etiam multis missionariis (quidni omnibus) communicari possunt sive habitualiter, sive ad actum, sive absolute, sive condicionate; et Ordinarius est etiam Vicarius generalis vel (nunc) Vicarius delegatus a Vicario vel Praefecto Apostolico; sed ei cui vel Episcopus vel Vicarius generalis communicavit facultatem, nequeunt potestatem facere eam alii subdelegandi. Ut aliis utamur verbis, solus Episcopus vel Vicarius aut Praefectus Apostolicus et eorum Vicarius generalis aut quasi talis (Vicarius delegatus) facultates subdelegare possunt.

43. - XII. « Nisi aliud ex rerum natura aut ex iure constet, potestatem iurisdictionis voluntariam seu non iudicialem quis exercere potest etiam *in proprium commodum*, aut *extra territorium* exsistens, aut *in subditum* e territorio *absentem* » (c. 201, § 3).

Poterit ergo missionarius se ipse, propter iustam causam, in variis praeceptis dispensare.

II. Normae communes e formulis desumptae

44. - Ad calcem singularum formularum recurrunt eaedem animadversiones generales quae usum dictarum formularum explicant, ac proin hoc loco notandae sunt.

1. Non omnes facultates subdelegari possunt, sed eae tantum quae asterisco notantur.

II. - Nec Ordinario nec subdelegatis, usus facultatis est validus, nisi *intra fines iurisdictionis Ordinarii*. Sic enim habet animadversio II : « Ordinarius insuper supradictis omnibus facultatibus sive per se sive per alios uti tantum valeat *intra fines suae iurisdictionis* ».

Antea, facultates ordinariae coniunctam habebant clausulam, qua *extra fines dioecesis vel missionis* exerceri non poterant. Cuius clausulae hanc dabat S. Officium interpretationem 2 maii 1877 : « Verba relatae Formulae (VI) ita esse intellegenda ut episcopus uti possit facultatibus erga suos subditos qui actu quo dispensandi sunt, in propria dioecesi commorantur, quamvis ipse episcopus extra dioecesim degat. » *(Collectanea P. F.* n. 1469, ad 2.)

Iam vero, cum Codex canonicus, c. 201, perspicue distinguat actus iurisdictionis qui etiam extra territorium et actus qui intra territorium tantum exerceri possunt, et facultates sint Codici aptatae, clausula « intra fines suae iurisdictionis » secundum istum canonem intellegenda videtur. Idest, iisdem limitibus quibus iurisdictio, non vero aliis, facultates concluduntur. Inspiciendum itaque est ad quamnam iurisdictionem facta facultas pertineat.

V. g. absolutio sacramentalis potest ab Ordinario suis subditis ubique dari. Ergo facultas in casus reservatos poterit, in foro interno, ubique erga subditos exerceri. Contra, facultas relata ad iurisdictionem contentiosam, non poterit exerceri nisi intra territorium, salvis exceptionibus c. 201, § 2. Atque ex ipsa rei

natura, facultas designandi altaria privilegiata in solo territorio suo ab Ordinario exerceri poterit. Idem dicas de facultate erigendi viam crucis, et in genere de facultatibus quae effectus locales habent.

45. - Eadem animadversione praecipitur ut facultates exerceantur « *gratis et sine ulla mercede, et facta mentione apostolicae delegationis.* »

Clausulae istae licitum usum non vero validum respiciunt. Qui clausulam gratuitatis violaverit, tenetur restitutione, cum agitur de dispensationibus matrimonialibus. Modica tamen taxa ad compensandas expensas cancellariae a non pauperibus exigi potest.

Merces non tantum exigitur : potest quoque ultro offerri. Nec tunc accipi potest. Nihil ergo quod retributionem sapiat accipi potest sine indulto, quod interdum conceditur.

Per se tamen eleemosyna *in pia opera* eroganda nullam mercedis rationem habet, ac proin accipi potest ; immo, divites excitari possunt ad praestandas eleemosynas, non per modum praecepti sed exhortationis seu admonitionis. Cf. Instr. S. C. *de P. F.* 8 sept. 1869, n. 52 et S. *Officii*, 22 iun. 1893, *Collectanea*, 1346, et n. 1838. Verum cavendum est ut in hac re sincere agatur ; et propter periculum abusus fit ut interdum severius sit a S. Sede responsum.

46. - *Mentio Apostolicae delegationis* non sola animadversione sed etiam, saltem cum agitur de dispensationibus matrimonialibus, generali dispositione Codicis c. 1057 exigitur. Attamen non requiritur ut condicio valoris. Cfr. responsum *S. Officii*, 15 iun. 1875 (*Collectanea P. F.* n. 1444).

Per aliquod tempus, et quidem sub poena nullitatis, exprimi debebat tempus ad quod facultas concessa erat. Verum, in audientia 12 dec. 1875, Pro-Secretarius S. Congregationis exposuit quam facile clausula ista non observaretur. Ideo Pontifex iussit ut in posterum omitteretur. (*Collectanea*, n. 1450).

47. - *Usus post elapsum tempus.* Tertia animadversio, ex toto benigna, sic habet: « Quod si forte *ex oblivione* vel *inadvertentia* ultra tempus supra praefinitum, seu ultra..... hisce *facultatibus* Ordinarium *uti* contingat, absolutiones, dispensationes, concessiones omnes exinde impertitae uti ratae atque validae habeantur. »

Quae punctis... signantur, respicere videntur facultates ad certum numerum casuum datas quae, etiam in prorogatione c. 207, § 2, habitualibus aequiperantur, ita ut regula valeat quoque de absolutione vel dispensatione concessa ultra praefinitum numerum, dummodo causa fuerit Ordinarii oblivio vel inadvertentia. Itaque, quod Codex c. 207 statuit de potestate fori *interni*, hic ad facultates etiam fori *externi* ampliatur.

Vox *facultatum* est generalis, et quidquid formulis conceditur continet. Usus autem potest factus esse per Ordinarium vel per subdelegatum, dummodo tamen oblivio vel inadvertentia fuerit *Ordinarii*. Si, v. g. ipse Ordinarius communicaverit, post elapsum tempus, facultatem dispensandi in impedimentis, missionarius subdelegatus valide dispensabit. Si vero ipse missionarius usus sit facultate dispensandi ultra tempus sibi ab Ordinario assignatum, nullam, ex praesenti clausula, firmitatem, dispensatio acquiret.

48. - *Quaeres*, hac occasione, utrum *effectus* qui usum facultatum sequuntur *diutius quam ipsae facultates* permanere possint.

Quaestio ista cum distinctione prudenter solvenda est. Concessae permissiones et dispensationes perseverant, nisi ipse Ordinarius effectum certo tempore circumscripserit. Idque contingit, non solum quando res ad statum non mutabilem perducta est, ut si matrimonium sit contractum, verum etiam quando facultas cessare possit. V. g. permissio thurificandi in missis cantatis, dicendi missas de requie pluries in

hebdomada, legendi missam votivam B. M. V. iam concessae ab Ordinario non debent renovari quia ipsae Ordinarii facultates renovandae fuerunt. Communicata autem *facultas dispensandi* iisdem limitibus quibus facultas Ordinario data est, etiam si tempus consideres, circumscribitur. Id ex ipso tenore Facultatum colligi posse videtur. Aliae enim sunt facultates (plerumque non subdelegabiles) permittendi varia; et tunc, data permissione, ipsa facultas exercetur et permissio suos effectus stabiles obtinet; aliae autem sunt concedendi vel dispensandi, per se vel per alios subdelegatos; atque hic apparet non plus posse Ordinarium per alium a se subdelegatum quam per se. « Communicare, ut ait KUGLER, citatus a PUTZEYS, n. 39, est rem quam quis ipse habet, alteri communem facere. »

Quaeres denique utrum necne *subdelegatio* facultatis dispensandi *renovanda sit* quotiescumque ipsa facultas renovari debuit?

Id quidem faciendum videtur, cum subdelegans praesentem quam habet non futuram quam sperat potestatem subdelegare queat. Renovatio autem ista non requiritur expressa, sed fieri potest *tacite* v. g. hoc modo: nisi contrarium dixerim, ipso silentio meo intendo confirmare facultates subdelegatas quotiescumque erunt mihi denuo a S. Sede concessae. Immo talis declaratio non est necessaria, si res sic de more intellegatur. Ita etiam PUTZEYS n. 40.

49. - Postrema animadversionis clausula sic habet: « Insuper, *datis* ab Ordinario *precibus pro renovatione* seu prorogatione earundem facultatum, ipsae in suo robore *perseverare* censeantur, usque dum responsum S. C. ad eundem Ordinarium pervenerit ».

Valde utilis est haec dispositio. Fieri enim potest ut « errore postali » litterae vel non pervenerint vel diu dilatae fuerint; ut in Urbe responsio casu vel

aliqua causa fuerit procrastinata : in omni casu Ordinarius sollicitudinem deponere potest, cum eius facultates interea perseverent.

Debetne tamen Ordinarius renovationem istam tempestive postulare, ita ut responsum confirmans facultates pervenire queat antequam tempus sit elapsum, an possit consulto ad ultimos dies ipsam petitionem differre ?

Cum nulla positiva dispensatio ei in hac re data sit, manere putamus obligationem petendi tempore utili renovationem facultatum.

Perseverantia ista facultatum ultra *tempus,* estne etiam ultra *numerum* casuum concessa? Cum, ex. c. 207 § 2, etiam istae facultates propter errorem prorogentur, et facultates ad certum numerum casuum habitualibus sint aequiperatae, illas etiam facultates perseverare dicendum est. V. g. dispensatio in aetate ad matrimonium requisita ad decem casus sit concessa. Ordinarius novum numerum petiit. Ante acceptum responsum, exhausto numero, casus dispensandi denuo occurrit. Dispensare poterit ; verum e numero casuum ad quos novam facultatem accipiet, casum istum demere debebit. Censetur enim anticipatum novae facultatis usum facere. Atque a die qua prior facultas desiit nova facultas *ad tempus* renovata, initium sumit. Si tamen S. Sedes prorogationem negaverit, validus nihilominus fuit usus facultatis cuius petita erat renovatio. Facultas enim dicitur *perseverare* « usque dum responsum pervenerit », quod responsum esse potest positivum vel negativum.

50. - Denique *quaerendum* est *a quonam momento* currere incipiat tempus ad quod facultates sint concessae.

In primis, ipsae expressae indicationes S. Sedis observandae sunt. Haec v. g. rationem distantiae habere potest et gratiam die 1 maii concedere, valitu-

ram a prima die mensis iulii vel augusti. Tali definitione omne dubium est praeventum.

Si nihil tale addatur, applicando per analogiam c. 38 de rescriptis, gratia, si stemus iure communi, a momento quo datae sunt litterae effectum habebit. Bis autem, 2 april. 1640 et 22 ian. 1759, Congregatio generalis *P. F.* respondit tempus facultatum desumendum esse *non a die datae* sed *a die earum receptionis* (*Collectanea P. F.* n. 100 et 412). Et cum *Collectanea* nullam aliam normam referant, haec tuto ab Ordinariis et missionariis ut pro his facultatibus universaliter vigens, haberi poterit, omissis aliis considerationibus, quae reperiuntur apud PUTZEYS, n. 39 ad c.

Ex tit. 3 L. 1 Codicis de temporis supputatione, id quoque notandum est. Si facultas data sit valitura a certa die, haec dies in isto spatio, ut puta trium vel quinque annorum, computanda est, ita ut incipiente ultimo die eiusdem numeri, tempus sit elapsum; si vero a receptione facultatum initium sumat, cum litterae non recipiantur media nocte, prima dies non computabitur, et tempus finietur solum expleto die eiusdem numeri (c. 34, § 3). Itaque si formula recepta fuerit 15 ianuarii 1922, et facultates concessae sint ad quinquennium, tempus erit elapsum, elapsa die 15 ianuarii 1927.

Art. III. Facultates singulis formulis concessae.

Ordo dicendi. Initium faciemus a formula prima, quae, cum sit minus ampla, facultates magis omnibus communes exibet. Dein ad explicandas facultates quae propriae sunt formulae secundae, tam minoris quam maioris, et formulae tertiae, tam minoris quam maioris, gradum faciemus.

§ 1. Facultates Formulae Primae

Ipsa Formula distinguit A. Facultates circa sacramenta et sacros Ritus; B. Facultates circa absolutiones, benedictiones, indulgentias, etc. etc. C. Facultates pro ipso Ordinario.

A. Facultates circa sacramenta et sacros ritus.

51. - « *1. Permittendi suis missionariis ut* missam *celebrare possint* in mari, *dummodo mare sit tranquillum, in loco tamen decenti; atque ut, in casu necessitatis, missa celebrari queat* una hora post mediam noctem. »

a) In ista prima facultate agitur de missa in mari et de missa ante auroram. Permissio ista pertinet ad iurisdictionem istam voluntariam, quae ex c. 201, in subditos ubique exerceri potest; atque ipse usum prioris permissionis multis forent impervius nisi licitus esset extra territorium

Ergo, secundum dicta n. 43, ubicumque sint vel Ordinarius vel missionarii, licebit Ordinario utramque istam celebrationem de qua in n. 1 vel scripto vel viva voce suis subditis permittere; idque, observatis aliis condicionibus, vel singulis missionariis vel omnibus vel quibusdam selectis, - et, vel habitualiter indefinite, vel ad certum tempus, vel ad singulos aut plures casus. Nulla enim limitatio modi permissionis apponitur.

b) Mare debet esse *tranquillum.* Saeviente itaque tempestate, nulla facultas conceditur. Verum, extra tempestatem, mare potest esse vario gradu agitatum. In hoc casu, ni fallimur, tranquillitas aestimari potest comparate, idest, attento periculo effusionis calicis, quod pro varia ipsius navis stabilitate adesse vel abesse poterit. Si, considerata condicione maris et navis, periculum fuerit effundendi calicem, celebratio vetita erit; licita autem, si periculum moraliter nullum fuerit.

c) Celebratio fieri debet *in loco decenti.* Decreto 1 mart. 1902, S. C. *P. F.* cellulas pro privatis viatorum usibus destinatas, tamquam locum indecen-

tem simpliciter notaverat. Verum litt. 13 aug. 1902 ad Vic. Apost. Madagascar. severitatem istam sic temperavit: « Quod per decretum S. H. Cong. diei 1 mart. vertentis anni est cautum super celebratione missae in navibus, tantum respicit abusus illos qui orirentur, si in privatis cellulis viatorum, usibus vitae destinatis, indecenter offerretur augustissimum sacrificium missae. Non autem absolute celebratio in cellis prohibita est, quando adiuncta omnia removent irreverentiae pericula. Quamobrem, firmis manentibus decreti praedicti praescriptionibus, velit Amplitudo Tua idem sincero sensu intelligere, ac missionarios sine causa turbatos, quietos facere. »

Missionarii itaque potius in alio loco, magis decoro, missam celebrare conabuntur. Quod si copia ista non habeatur, tunc videbunt quo modo, in ipsa cella, missa offerri queat. Ipsius cellae amplitudo, vacuitas ab aliis personis, mensa cui altare exstrui queat, prudentem casus aestimationem fundabunt. Si, re perspecta, celebratio possit esse devota et non indecora, cella locus celebrationis esse poterit.

Celebratio missae *una hora post mediam noctem* postulat casum necessitatis. Necessitas hic non supponit gravissimam causam propter quam missa omitti nequeat, sed aderit quotiescumque missa alia hora moraliter celebrari nequeat. Si v. g. hora secunda cum dimidio sit proficiscendum, iam ex sola devotione, hora prima post mediam noctem celebratio erit licita, ex facultate ab Ordinario, vi praesentis numeri, concessa. Interpretationem istam fundamus in causis quae sufficere dicuntur ut religiosi similibus privilegiis utantur.

52. - « *2. Permittendi thurificationem in missis cantatis a solo celebrante absque ministris, dummodo duo saltem clerici, superpelliceo induti, missae inserviant.* »

Facultas ista, quae conceditur ad supplendas missas sollemnes in diebus festis vel in exsequiis, etiam in Europa facillime obtinetur pro locis ubi ministri in sacris desunt. Immo in ipsa Urbe usurpatur.

Subordinatur autem condicioni ut duo saltem clerici, superpelliceo induti, missae inserviant.

Clerici tamen non requiruntur qui clericalem tonsuram obtinuerint; sed esse poterunt quotquot adolescentes missae decenter inservire possunt. Duo *saltem* postulantur, quia melius fuerit tres vel quattuor adhibere, quorum unus vel duo thuribulo ministrando, alii ipsi missae ministrandae deputentur. Ut liquet, facultas ista non potest dari nisi in territorio utenda.

53. - « *3. Permittendi ut in ecclesiis sui territorii* tres missae *statim post mediam noctem* nativitatis Domini *celebrari possint, cum potestate administrandi fidelibus s. communionem, cauto tamen ut omnia cum debita reverentia fiant.* »

Facta ista licentia, iam in ecclesiis istius territorii licebit quod c. 821, § 3 permittitur religiosis seu piis domibus oratorium habentibus cum facultate ss. eucharistiam habitualiter asservandi. Quare, sicut in isto canone, non omnibus sacerdotibus sed tantum singulis ecclesiis tres huiusmodi missae permitti possunt. Si unus sacerdos tres missas dicat, nemo alius poterit, vi huius privilegii, missas in media nocte nativitatis Domini celebrare.

Quid autem si quasi-parochus vel parochus velint media nocte uti iure communi c. 821, § 2, et unam missam paroecialem celebrare? Num missa ista impediet tres missas coocessas praesenti privilegio?

Cum, in facultate n. 3 non apponatur clausula « dummodo nullo alio titulo missae eadem hora celebrentur » secundum regulam generalem, n. **39** indicatam, respondendum videtur missam iure concessam cumulari posse cum missis hac facultate concessis.

Cautelae de debita reverentia potissimum sumendae sunt quod ad astantes, qui sobrii noctem transegerint et devote se ad s. synaxim praeparaverint.

54. - « *4. Permittendi ut in ecclesiis sui territorii* functiones maioris hebdomadae *celebrari valeant iuxta peculiarem ritum a s. m. Benedicto Pp. XIII propositum pro ecclesiis minoribus paroecialibus, in quibus ministrorum numerus vel copia cantorum ad praedictas sacras functiones sollemniter peragendas haberi nequeat: dummodo tamen constet ibidem satis esse consultum reverentiae sacris mysteriis debita, et quod nulla exinde abusui pateat occasio; et quatenus neque praedictus ritus servari possit, permittendi ut in iisdem ecclesiis unica missa lecta, loco sollemnis, celebrari possit feria V. in Coena Domini et sabbato sancto.*

a) Ex ipso iure communi, functiones hebdomadae sanctae possunt, annuente episcopo, in minoribus paroeciis, sine cantu peragi ad formam Ritualis Benedicti XIII (cuius exstat peculiaris editio). Id ergo vi iuris communis, Ordinarius in paroeciis vel quasi - paroeciis sui territorii, concedere potest. Praesenti autem facultate indiget ut idem in aliis ecclesiis permittere queat. Oportet tamen ut etiam hoc modo simpliciore ritus decenter peragatur. Ad hoc saltem tres necessarii sunt clerici (late dicti), bene instructi et superpelliceo induti. Cf. resp. S. *R. C.* 31 iul. 1821, ad I (n. 2616) et in t. IV Decr. S. *R. C.* suffragium de isto responso.

b) Si ne hoc quidem fieri decenter potest, Ordinarius facultate munitur permittendi in iisdem ecclesiis unicam missam lectam, loco sollemnis tam feria V in Cena Domini quam sabbato sancto.

Maior est concessio missae sabbato sancto quam in Cena Domini. Etenim, ut in praelaudato suffragio de decreto n. 2616 observatur, Feria V in Cena Domini non est proprie dies aliturgicus, sed missae plures prohibentur ut, ad recolendam

ultimam Cenam qua Apostoli manu Domini eucharistice refecti sunt, generalis communio fiat etiam sacerdotum; dum sabbato sancto, sacra liturgia interrupta manet usque ad celebrationem resurrectionis, quae per se in nocte ante Dominicam Paschae sollemniter commemorabatur.

55. - « *5. Permiltendi ut in ecclesiis sui territorii ter in hebdomada, extra Quadragesimam*, missa privata de requie *celebrari possit, etiam diebus ritus duplicis maioris et minoris, exceptis Dominicis, necnon feriis, vigiliis atque octavis privilegiatis, diebus tamen quibus eadem missa a rubricis permittitur, computatis.* »

a) Vis facultatis haec est, ut in singulis hebdomadis, excepto tempore Quadragesimae, in omnibus ecclesiis vel oratoriis publicis, ter, et quidem ab omnibus sacerdotibus, missa privata de requie celebrari possit. Si ergo rubricae, propter omnia festa duplicia, nullam permittant missam de requie, ter poterit iis derogari; si duae iam sint dies quibus missae ex rubricis generalibus permittuntur, una dies addi poterit; et duae addi poterunt si rubricae semel tantum dent occasionem privatae missae de requie.

b) Aliae dies in aliis ecclesiis ad arbitrium rectoris eligi poterunt. Sed in singulis, sacerdotes omnes ad istam electionem factam se accommodare debebunt, ne plus quam ter in hebdomada apparatu nigro celebretur contra praescripta rubricarum.

c) Etiam extra Quadragesimam, facultate excluduntur : festa secundae classis aut ritus altioris, Dominicae, et privilegiatae feriae, vigiliae atque octavae.

Feriae priviligiatae sunt feria IV Cinerum et feriae omnes maioris hebdomadae; - *Vigiliae privilegiatae* sunt vigiliae Nativitatis Domini et Pentecostes; et vigilia Epiphaniae; - *Octavae privilegiatae* sunt Paschae, Pentecostes, Epiphaniae, Corporis Christi, Nativitatis Domini, Ascensionis; et, Romae tantum, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli. (Cf. *Notanda quae-*

dam practica circa officium et missam iuxta novas rubricas, auctore IOS. PAUWELS Mechliniae, Dessain.

56. - « *6. Permittendi* religiosis sororibus *sacrarii servitio addictis, ut sacra vasa sacrasque suppellectiles tangere, necnon pallas*, corporalia *et* purificatoria abluere *valeant.* »

a) Cum facultas ista asterisco notetur, Ordinarius potest ipsam permittendi facultatem missionariis subdelegare. Cum agitur de sororibus quae sacrario addictae sunt, licentia tangendi vasa sacra etc. ipso iure c. 1306, § 1 iisdem conceditur. Ut ergo aliquid operetur data facultas (quod c. 68 exigitur) dicemus latius accipi posse quam in canone, sororem quibus permitti potest ut sacra vasa tangant. Canon postulat ut vasorum custodiam habeant ; hic satis erit ut aliquo modo sint permanenter vel transitorie addictae sacristiae.

b) Facultate autem abluendi derogatur c. 1306, § 2, qui postulat ut purificatoria, pallae et corporalia prius a clerico in maioribus ordinibus constituto abluantur. Ergo hic ipsa prima ablutio sororibus permitti potest.

57. - « *7. Concedendi* infirmis decumbentibus, *de quibus certa spes non adsit ut cito convalescant, etiam ante finem mensis a quo decumbunt ut* S. Communionem *sumere possint bis vel ter in hebdomada ; et si agatur de sacerdotibus vel religiosis, etiam cotidie*, non servato ieiunio : *hoc est, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint* ».

a) Hac facultate concessionis, quae etiam est subdelegabilis ab Ordinario, ampliatur facultas communis ipsis infirmis data, de consilio confessarii, c. 858, § 2. Ampliatur tum quod ad *tempus* tum quod ad *numerum* communionum.

Canon enim exigit ut *a mense* decumbant: haec condicio simpliciter supprimitur. Satis est ut spes non

adsit certa, proximae convalescentiae. Proxima est quae intra paucos dies, tres vel quattuor, habeatur. Canon non permittit nisi semel vel bis in hebdomata communionem non ieiuno. Hic communio bis vel ter in hebdomada sic permitti potest; immo cotidie, dummodo agatur de sacerdote vel de religioso.

b) Quod ad reliqua, redit interpretatio data a nobis v. g. in *Epitome iuris canonici*, II, n. 124.

Observes usum invaluisse ut vox *decumbentes* late sumatur, ita ut etiam infirmi qui se ad ecclesiam conferre possunt facultate uti non prohibeantur.

Sedulo autem notandum est, etiam sacerdotibus solam communionem permitti posse; numquam celebrationem, nisi sint ieiuni: solum S. Officium possit a ieiunio requisito pro celebratione dispensare.

58. - *8. Dispensandi, canonicis exsistentibus causis, super* impedimentis matrimonialibus *minoris gradus (c. 1042) tam publicis quam occultis, etiam multiplicibus.*

Concedendo tamen has dispensationes, Ordinarius prae oculis habeat regulas statutas in Codice a c. 1035 ad c. 1080, circa impedimenta in genere et in specie ».

a) Conceditur hic facultas subdelegabilis dispensandi in impedimentis minoris gradus, tam publicis quam occultis, etiam *si plura* sint, i. c. multiplicia. Impedimenta minoris gradus sunt, ex c. 1042 § 2: 1. Consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis; - 2. Affinitas in secundo gradu lineae collateralis; - 3. Publica honestas in secundo gradu; - 4. Cognatio spiritualis; - 5. Crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum ».

b) Facultas non habetur nisi causae canonicae exsistant. Igitur, quamvis, ex c. 1054, « Dispensatio a minore impedimento concessa nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritetur, » Ordinarius tamen dispensare nequit partes quas noverit ita mentiri ut

nulla causa canonica exsistat. Postquam autem dispensaverit ipse bona fide, si comperiat causas falso allegatas esse, dispensatio valida manet. Namque ipsa formula nos remittit ad regulas generales Codicis, inter quas reperitur c. 1054.

c) *Causae canonicae*, quae, saltem pro minore impedimento, singulatim sufficere posse videntur, in instructione S. C. *P. F.* 9 maii 1877 (*Collect.* n. 1470) hae indicabantur: Angustia loci; - Aetas feminae superadulta (ultra 24 annorum ad 40); - Deficientia seu incompetentia dotis; - Lites super successione bonorum iam exortae aut imminentes; - Paupertas viduae, numerosa prole onustae vel quae simul sit iunior et in periculo incontinentiae; - Bonum pacis; - Nimia, suspecta, periculosa familiaritas; - Copula (praesertim cognita vel divulganda) et praegnantia; - Infamia mulieris; Revalidatio matrimonii bona fide et - sollemniter contracti; - Periculum matrimonii mixti vel coram acatholico ministro; - Periculum incestuosi concubinatus; - Periculum matrimonii civilis; - Remotio gravium scandalorum; - Cessatio publici concubinatus; - Excellentia meritorum in benefactore Ecclesiae. (Cf. *Epitome iuris canonici* II, n. 360).

d) Prae *oculis habendae regulae* in citatis canonibus hae potissimae esse videntur: 1. Praescripta annotatio dispensationis concessae in foro interno non sacramentali, et effectus in foro externo (c. 1047).

2. Postquam petitio dispensationis missa est ad S. Sedem, Ordinarius ne utatur facultate sua, nisi ex gravi et urgente causa et S. Sedem moneat de isto usu (c. 1048). Usus tamen iste est validus.

3. Si cum impedimento *publico* super quo facultas dispensandi ex indulto concessa, aliud (publicum vel

occultum) concurrat super quo facultas non habeatur (1) pro omnibus adeunda est S. Sedes. Sed si, post impetratam a S. Sede dispensationem, impedimentum super quo facultas habetur comperiatur, Ordinarius sua facultate uti potest (c. 1050). Cf. *Epit.* II. n. **355.**

4. Dispensatione concessa ex *facultate generali* (sicut in casu praesenti), conceditur eo ipso legitimatio prolis natae vel conceptae ex iis quibuscum dispensatur, nisi fuerit adulterina vel sacrilega (c. 1051). Facultas generalis potest esse ex potestate ordinaria vel ex delegatione generali.

5. De obreptionis vel subreptionis vitio quod non irritat dispensationem, si agitur de impedimento minore (c. 1054).

6. Obligatio faciendi expressam mentionem facultatis pontificiae (c. 1057).

7. Absterrendi sunt fideles a matrimonio cum iis qui notorie aut fidem catholicam abiecerint aut societatibus ab Ecclesia damnatis ascripti sunt. Nec parochus praedictis nuptiis assistere potest nisi consulto Ordinario (c. 1065).

8. Si publicus peccator aut censura notorie innodatus prius nolit ad sacramentum paenitentiae accedere aut cum Ecclesia reconciliari, parochus (et quasi parochus) eius matrimonio ne assistat nisi gravis urgeat causa, de qua, si fieri possit, consulat Ordinarium (c. 1066).

9. Canones sequentes impedimenta enumerant.

59. - « *9.* Sanandi in radice, *iuxta regulas in Codice a c. 1133 ad c. 1141 statutas, matrimonia ob aliquod impedimentum de quo supra N. 8 nulliter contracta. Quod vero attinet ad prolis legitimationem, Ordinarius prae oculis habeat c. 1051.* »

(1) Qui casus distinguendus est a casu quo impedimentum reservatum S. Sedi concurrat cum impedimento occulto a quo Ordinarius dispensare potest, vel cum impedimento *etiam publico*, a quo, ut in voto, dispensat ex potestate ordinaria. Cf. DE SMET, II, 782.

a) Soli quattuor canones 1138-1141 agunt de sanatione in radice. Memorantur tamen canones praecedentes 1133-1137, qui agunt de convalidatione simplici, ut ipsis regulis quibus derogatur propria ratio sanationis in radice melius innotescat.

Porro sanatio in radice ipso c. 1138, § 1 definitur matrimonii « convalidatio, secumferens, praeter dispensationem vel cessationem impedimenti, dispensationem a lege de renovando consensu, et retrotractionem, per fictionem iuris, circa effectus canonicos, ad praeteritum ».

b) Bene attendendum est principium quo *omne* sed *solum* matrimonium initum cum utriusque partis consensu *naturaliter sufficienti*, potest in radice sanari, dummodo consensus perseveret (c. 1139). Et quia Ecclesia in radice non sanat matrimonium contractum cum impedimento iuris naturalis vel divini, etiamsi postea impedimentum cessaverit » (c. 1139). § 2), nullitas quae sanatur non potest origi nisi ex impedimento iuris ecclesiastici vel ex defectu formae. Atque et *praesenti* facultate, oriri debet ex impedimento minoris gradus. Sanari tamen potest matrimonium cui consensus naturaliter validus postea accesserit, etsi ab initio defuerit.

c) In casu aliquo speciali, potest S. Sedes cui sanatio per se reservata est, etiam derogare regulae generali qua Ecclesia non sanat in radice matrimonia contracta cum impedimento iuris naturalis vel divini. De sanatione cf. *Epitome iuris canonici*, II, 454-458.

B. Facultates circa absolutiones, benedictiones, indulgentias, etc.

60. - « *10. Absolvendi ab omnibus* censuris, *sive simpliciter sive speciali modo Romano Pontifici reservatis* ».

a) Facultas ista, subdelegabilis, est absolvendi in *utroque foro*. Potestas ista circa solas censuras seu

poenas medicinales S. Sedi reservatas, non autem circa alias poenas versatur. Excipiuntur autem censurae specialissime reservatae Romano Pontifici.

b) Non memorantur censurae *Ordinario* a iure reservatae. Sed Ordinarius habet potestatem ordinariam communicandi facultatem absolvendi ab istis censuris. Quare facultas Ordinario loci data foret superflua, si Ordinarius cui censura reservatur sit Ordinarius loci. Non foret autem superflua si casus reservetur proprio Superiori religioso, et casus sit publicus. Cf. cc. 2237. 2326. 2343, § 4; 2350, § 1. 2385. 2388.

c) Quamvis, pro foro extreno satius sit usurpare formulam ab Ordinario communicatam (1), nulla tamen absolutionis formula est essentialis. Cf. c. 2250, § 3. In foro autem sacramentali absolutio eadem formula a censuris et a peccatis confertur. Intentio autem esse debet prius absolvendi a censuris, sal-

---

(1) Ita dicimus, quia in ipso *Rituali*, T. III, c. 3 servanda in primis dicitur forma praescripta a Superiore qui potestatem dedit absolvendi. Si autem in mandato ponitur « in forma Ecclesiae consueta absolvat », tunc observanda est formula cum caerimonia quae hodie difficulter servabitur.

Hanc regulariter adhiberi convenit, secundum c. 2250, § 3. Sed sive difficultas exsecutionis, sive minor casus gravitas, plerumque sinet ut usurpetur simplicior forma quae in Rituali II, 3, n. 7 his verbis redditur: « Dominus Noster Iesus Christus te absolvat: et ego, auctoritate ipsius et sanctissimi Domini nostri Papae (si a Papa fuerit delegatus), (*vel* reverendissimi episcopi N. *vel* talis Superioris) mihi concessa, absolvo te a vinculo excommunicationis in quam incurristi (vel incurrisse declaratus (-a) es) propter tale factum (vel causam, etc); et restituo te communioni et unitati fidelium et sanctis sacramentis Ecclesiae, in nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. »

Pro suspensionis vel interdicti absolutione, formula Ritualis (III, c. 5) proponitur ut non praecepta. Post Confiteor et Misereatur... Indulgentiam... « Auctoritate mihi ab (N.) tradita, ego absolvo te a vinculo suspensionis (*vel* interdicti) quam (*vel* quod) propter tale factum (vel causam) incurristi (seu incurrisse declaratus es), in nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen. »

Si potestas data est dispensandi super irregularitate, sive in foro conscientiae sive extra, confessarius addat consequenter: « Et eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate (*vel* irregularitatibus) in quam (*vel* in quas) ob talem causam (*vel* tales causas, eas exprimendo) incurristi: et habilem reddo, et restituo te exsecutioni Ordinum et officiorum tuorum, in nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen. »

tem si, ut excomunicatio vel interdictum personale, censura licitum usum sacramentorum impediat.

61. - « *11. Dispensandi vel commutandi* vota privata *Sedi Apostolicae reservata, de quibus in c. 1309* ».

a) Facultas ista, subdelegabilis, permittit ut, propter iustas causas, tam Ordinarius quam missionarii ab ipso subdelegati possint vota ista vel relaxare, sine alio onere imposito, quod est *dispensare;* vel etiam aliud opus facilioris vel utilioris exsecutionis sufficere: quod est *commutare.* In qua commutatione attendat, commutationem non posse regulariter fieri in opus iam alias debitum. Talis commutatio vix a dispensatione differret.

b) Sola vota privata vi praesentis facultatis relaxari possunt. Vota publica, seu in receptione ordinis sacri vel in religione emissa, subsunt peculiari regimini. Cf. *Epitome,* II, n. 640.

c) Vi canonis 1320, *iuramenta promissoria* ab iisdem relaxari possunt qui potestatem habent in vota. Sed attendendum est ne dispensatio vergat in praeiudicium cuiuspiam qui obligationem remittere recuset: sola S. Sedes possit tunc huiusmodi iuramentum dispensare.

62. - « *12. Benedicendi solo crucis signo, cum omnibus indulgentiis a S. Sede concedi solitis,* coronas *precatorias,* cruces, *parvas statuas et sacra* numismata; *et adnectendi coronis indulgentias quae a s. Birgitta et quae a Patribus Crucigeris muncupantur* ».

a) Indulgentiae de quibus hic agitur sunt indulgentiae dictae Apostolicae (1), cuius elenchus initio omnis Pontificatus innovatur. Ultimus elenchus emanat ex aud. Pontificis 17 febr. 1922, eiusque dedimus Commentarium *Periodica de re canonica et morali,* XI p. 39 ss.

(1) Cf. decl. 12 iun. 1913 ex aud. SS (A. A. S., V. (1913) p. 305).

b) Non est necesse, etsi fortasse commendandum sit, ut dum signum crucis efficitur verba pronuntientur; et unico signo crucis simul indulgentiae a S. Birgitta et a Patribus Crucigeris iisdem coronis annectuntur.

c) Etsi uno eodamque opere non possunt plures acquiri indulgentiae, nisi opus sit confessio vel communio, aut nisi aliud expresse significetur, S. *Paenitentiaria*, facto verbo cum Sanctissimo, die 9 maii 1922, declaravit simul acquiri posse indulgentias apostolicas et alias indulgentias eidem operi coniunctas.

d) Facultas ista conceditur subdelegabilis. Videtur exerceri posse ubique erga subditos Ordinarii; erga alios tantum intra territorium.

Practice autem, cum coronae dictae a S. Birgitta postulent ut post singula decem *Ave Maria* recitetur symbolum Apostolorum, quod minime fieri solet, utile potissimum erit indulgentias dictas a Crucigeris cum apostolicis indulgentiis coniungere.

Praeterea, peculiari concessione PII X in aud. 12 iun. 1907, indulgentiae dictae a Crucigeris cum indulgentiis SS. Rosarii a recitantibus Rosarium cumulari possunt (Cf. *Acta S. Sedis*, XL, 442).

68. - « *13. Impertiendi, praeter concessionem de qua in c. 914, ter in anno, in sollemnioribus festis*, Benedictionem Papalem *iuxta praescriptam formulam cum indulgentia plenaria ab iis lucranda qui, vere paenitentes, confessi et s. Communione refecti, eidem benedictioni interfuerint, Deumque pro s. Fidei propagatione et iuxta mentem S. Pontificis oraverint* ».

a) Agitur hic de sollemni ista benedictione Papali quae per se ab episcopo danda est in Pontificalibus paramentis, ex throno, post sollemnia missarum quae ipse celebravit vel quibus saltem sollemniter astiterit.

S. Rituum Congregatio, 23 febr. 1884 (*Decr. auth.* n. 3605 ad IX) declaraverat quidem requiri ut Missa Pontificalis ab ipso

Antistite celebraretur, sed c. 914 hanc rigorem expresse remisit et sufficere dixit ut Missae sollemni tantum astiterit.

Praelati qui non sunt episcopi induent sacra paramenta quorum usum habent.

b) Ipse c. 914 hanc benedictionem papalem cum indulgentia plenaria concedit episcopis, in sua quisque dioecesi, bis in anno, hoc est in sollemni die Paschatis Resurrectionis et alio die festo sollemni, ab ipsis designando ; Vicariis autem et Praefectis Apostolicis, in suis territoriis, uno tantum ex sollemnioribus per annum diebus. Vis igitur praesentis facultatis haec est, ut eam benedictionem praeterea *ter* in anno impertiri possint, in sollemnioribus festis.

c) Cum sollemnitatis ratio non magis determinetur, haec, vel ex ipso ritu liturgico vel ex externa celebratione et concursu populi repeti posse videtur. Sollemnior dies potest itaque esse festum patroni loci, vel piae peregrinationis, vel ecclesiasticum commemorati ingentis beneficii publici, praeter maiora festa Domini vel B. M. Virginis, Pascha, Nativitas, Corpus Domini, Pentecostes, Assumptio, Immaculata Conceptio.

d) Observes, ad lucrandam indulgentiam plenariam pro benedictionibus praesenti facultate superadditis, exigi ut Deus oretur pro Fidei propagatione et iuxta mentem S. Pontificis. Mentio ista « pro Fidei propagatione » iam fiebat in Formula extraordinaria C. In ipsa mente tamen S. Pontificis Propagatio Fidei iam continetur. Etenim, ex S. C. *Indulg.* mens S. Pontificis est « exaltatio S. Ecclesiae, extirpatio haeresium, propagatio fidei, peccatorum conversio, pax et concordia inter principes christianos ». Vis novae condicionis haec igitur esse videtur, ut haec intentio magis efferatur ; ut a pluribus, expressa ad eam attentio habeatur, et sic potiorem partem obtineat in

oratione generaliter fusa ad intentiones praescriptas. Quae generalis intentio hic quoque erit sufficiens.

e) Praescripta formula ex Caerimoniali episcoporum (1), haec est: « *Precibus et meritis beatae Mariae semper Virginis, beati Michaelis archangeli, beati Ioannis Baptistae et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et omnium sactorum:*

" Misereatur vestri Omnipotens Deus, et dimissis omnibus peccatis vestris perducat vos Iesus Christus ad vitam aeternam.

Indulgentiam, absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium verae et fructuosae paenitentiae, perseverantiam in bonis operibus tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus.

Et Benedictio Dei Omnipotentis, Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus†Sancti descendat super vos et maneat semper.

R. *Amen.*

Demum additur: « *Attentis facultatibus a sanctissimo in Christo Patre et Domino nostro, Domino.... divina providentia Papa... datis Reverendissimo Domino Dei et Apostolicae Sedis gratia huius sanctae N. Ecclesiae Antistiti, eadem dominatio Sua Reverendissima Summi Pontificis nomine dat et concedit omnibus hic praesentibus indulgentiam plenariam in forma Ecclesiae consueta. Rogate igitur Deum pro felici statu SS. Domini Nostri Papae, Dominationis Suae Reverendissimae et sanctae Matris Ecclesiae* „.

Formula ista latina et vernacula lingua recitatur.

f) Si Praelatus non est episcopus dioecesanus, quaedam, secundum veritatem mutanda habebit. Sic, Vicarius Apostolicus non se dicet « Huius Sanctae N. Ecclesiae Antistitem », sed suam qualitatem enuntiabit.

---

(1) Desumpta est ex brevi *Clementis* XIII *Inexhaustum indulgentiarum*, quod reperitur in Append. VII *Decr. auth.* S. Congr. Indulg.

Si non habeat usum Pontificalium, adhibere debebit formulam quae, ex Benedicto XIV, est in Rituali Romano T. VIII, c. 32.

Admonito populo de indulgentia ab Apostolica Sede concessa, sacerdos sine ministris stola et superpelliceo indutus ante altare genuflexus dicet : « *Adiutorium nostrum.* etc. - R. *Qui fecit caelum et terram.* V. *Salvum fac populum tuum Domine.* - R. *Et benedic haereditati tuae.* V. *Dominus vobiscum.* - R. *Et cum spiritu tuo.*

Dein stans : « *Oremus. Omnipotens et misericors Deus, da nobis auxilium de sancto ; et vota populi huius, in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis, tuamque benedictionem praestolantis et gratiam, clementer exaudi : dexteram tuam super eum benignus extende, ac plenitudinem divinae benedictionis effunde, qua bonis omnibus cumulatus, felicitatem et vitam consequatur aeternam. Per Christum Dominum Nostrum.* - R. *Amen.* »

Accedit dein ad cornu epistolae et unico crucis, cum crucifixo, signo benedicit, proferens alta voce haec verba : « *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius et Spiritus Sanctus.* - R. *Amen.* »

g) Facultas praesens non est subdelegabilis. Quia tamen facultates formulae censentur quoque concessae Vicario generali vel Vicario delegato, poterit Antistes loco suo benedictionem committere isti Vicario generali vel delegato. Sed indulgentia dici debebit concessa, nomine S. Pontificis ab ipso episcopo vel Vicario Apostolico aut Praefecto Apostolico.

h) Itaque non agitur hic de benedictione papali quae in fine missionum etc. ex privilegiis vel indultis conceditur. In hac benedictione, eadem formula usurpari potest quae ex Rituali t. VIII, c. 32, modo est descripta. Sed sufficit quoque, ex Resp. S. *Rituum* Congr. 11 maii, 1911 : « Unicum signum Crucis cum

Crucifixo, adhibita formula: Benedictio Dei Omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, descendat super vos et maneat semper. - Amen. »

64. - « 14. *Concedendi ut, servatis consuetis condicionibus, indulgentiam* plenariam *in* primae communionis *sollemnis distributione et in* s. confirmationis *administratione, christifideles ad S. Communionem vel Confirmationem rite accedentes lucrari possint.* »

a) Communio de qua hoc loco agitur est generalis ista communio puerorum quam vi n. V. Decreti *Quam singulari* 8 aug. 1910, parochi semel aut pluries in anno indicere debent (1). Tam ii qui tunc primum ad s. mensam accedunt, quam pueri qui iam antea sancta de altari privatim libarunt possunt sub consuetis condicionibus, plenariam indulgentiam lucrari.

b) Nullam alteram novimus indulgentiam quae communioni *sollemni* qua tali coniungatur. Soli autem qui primam communionem *sollemnem* vel confirmationem recipiant, hanc indulgentiam lucrantur, ut patet ex postremis verbis n. 14 « ad s. communionem vel confirmationem rite accedentes ».

c) Ipsi autem primae communioni, *qua tali*, annectitur indulgentia plenaria quam non soli pueri accedentes, sed etiam astantes consanguinei ad tertium usque gradum lucrari possunt. Omnibus vero astantibus offertur indulgentia septem annorum et septem quadragenarum (PIUS X, 12 iul. 1905. Cf. *Acta Sanctae Sedis*, XXXVIII, p. 122).

65. - 15 « *Concedendi* indulgentiam plenariam *primo* conversis *ab haeresi, servatis consuetis condicionibus.* »

a) Subdelegabilis ista facultas permittit ut vel Ordinarius vel subdelegatus missionarius in prima

---

(1) Cf. *Periodica*, V. pag. 170 ss.

communione conversi ab haeresi indulgentiam plenariam concedat.

b) *Conversi ab haeresi* non sunt quotquot peccatum haeresis etiam publicum retractant, sed ii sunt qui sectam haereticam cui ascripti erant, in foro externo abiurant; praeter eos qui, ratione aetatis sectam formaliter abiurare non debebant, sed tamen in gremium matris Ecclesiae, iam rationis compotes, ab haeresi se recipiunt.

66. - 16. « *Impertiendi* indulgentiam plenariam *singulis ex clero qui, per quinque saltem dies* sacris exercitiis *interfuerint, ac sacrosanctum missae sacrificium celebrantes, vel saltem ad s. synaxim accedentes pias ad Deum preces effuderint pro s. Fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis.* »

a) *Sacra exercitia* disignant seriem praedicationum vel propositarum meditationum ad vitae reformationem vel perfectionem ordinatarum.

b) Indulgentia offertur iis qui sacris exercitiis *interfuerint*, non autem iis qui sacra exercitia per se et privatim obierint. Oportet ergo ut exercitia pluribus communiter tradantur.

c) Cum non postulentur quinque solidi seu integri dies (sicut c. 1001, § 1, sex integri dies postulantur ante ordines sacros), sufficit ut primo et quinto die una exercitatio proponatur et tres interponantur dies pleni exercitiorum.

d) Indulgentia solis clericis prostat, omnis tamen gradus.

e) Ad condiciones ordinarias accedit hic quoque oratio pro Fidei propagatione.

f) Observes facultatem non esse subdelegabilem, ita ut ab ipso Ordinario indulgentia concedenda sit.

67. - « 17. *Concedendi benedictionem Apostolicam cum* indulgentia plenaria *omnibus christifidelibus qui*

spiritualibus exercitiis seu sacris missionibus, *de quibus in c. 1349, § 1, ultra medietatem interfuerint, benedictioni cum cruce in fine postremae contionis impertiendae, vere paenitentes, confessi ac sacra communione refecti astiterint, atque ecclesiam in qua contiones huiusmodi habebuntur devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint pro sanctae Fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis.* »

a) Hic iam subdelegabilis facultas conceditur dandi benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria omnibus fidelibus pro participatione exercitiorum spiritualium vel sacrarum missionum de quibus in c. 1349. Quid sint sacrae istae expeditiones ad renovandum fervorem christianum et convertendos peccatores directae, diximus *Epitome*, II, n. 682. Formula benedictionis explicata est, n. **63**, h.

b) Nullum tempus minimum dicitur esse necessarium. Verum condiciones sunt ut fideles ultra dimidiam partem praedicationum audierint vel caerimoniarum participarint; ac benedictioni cum cruce in fine postremae contionis impertiendae astiterint. Videndum itaque est quotiens fideles convocentur. Si decies, oportet ut saltem sexies interfuerint. Omitti autem nequit assistentia ipsi benedictioni cum cruce. Praeterea distincta postulatur visitatio ecclesiae ubi sacrae contiones habentur; in qua visitatione per aliquod temporis spatium orandum est pro S. Fidei propagatione et ad mentem S. Pontificis.

c) Cum oratio aequivalens quinque Pater et Ave certo sufficiat ut impleatur condicio orandi ad mentem S. Pontificis, sed non videatur stricte necessaria, et cum ipsa Fidei propagatio ad istam mentem pertineat, putamus satis esse ut Pater et Ave quinquies recitentur coniunctis intentionibus Propagationis

Fidei et S. Pontificis, saltem si vere devote et non festinatim recitentur.

68. - « *18. Concedendi in actu* visitationis *paroeciarum, quasi paroeciarum et missionum, necnon communitatum tam saecularium quam religiosorum, ut* indulgentiam plenariam *una vice tantum lucrari possint christifideles, dummodo contriti, confessi ac s. communione refecti, pias ad Deum preces fuderint pro s. Fidei propagatione, et iuxta mentem S. Pontificis.* »

a) Cum visitationes istae canonicae vel ab ipso Ordinario vel a delegatis sacerdotibus fieri possint, facultas ista conceditur subdelegabilis.

b) Communitates saecularium sunt v. g. convictus alumnorum adolescentium, orphanotrophia, hospitalia, etc.

c) Addita oratione pro s. Fidei propagatione, visitator potest, consuetis ceteris condicionibus, visitatis christifidelibus indulgentiam plenariam *semel* proponere lucrandam. Semel i. e. in singulis visitationibus canonicis.

d) Immo, propter c. 927 qui permittit ut etiam peregrini in territorio indulgentias ab episcopo concessas lucrentur, arbitramur etiam peregrinos in paroeciis vel quasi paroeciis et hospites in communitatibus, indulgentiae istius esse capaces.

69. - «*19. Concedendi christifidelibus ut* indulgentias *propter quas confessio saltem bis in mense requiritur, lucrari possint etsi, ob legitimum impedimentum, inde a mense ad paenitentiae sacramentum non accesserint.* »

a) Subdelegabilis praesens facultas temperat c. 931, § 3 qui ab actuali confessione, per se requisita, dispensat christifideles qui solent bis in mense ad paenitentiae sacramentum accedere. Vi concessae facultatis poterunt christifideles omnes indulgentias lucrari etiamsi habitualiter tantum semel in mense confiteantur. Verum oportet: ut id indulgeatur sive per

Ordinarium (qui potest quoque decreto generali facultatem facere) sive per subdelegatos ab ipso missionarios. Ac praeterea solis impeditis id concedi valet. Impedimentum ex paucitate occasionum confessionis oriri debebit. Porro res rationabiliter intellegenda est. Si quis, semel in mense habeat per plures continuos dies occasionem confessarii, non debet intra unam hebdomadam bis confiteri ; sed copia esse supponitur duarum confessionum quae satis altera ab altera separatae sint.

b) Si impedimentum non fuerit habituale, ipse c. 931 iam omnes indulgentias lucrandas offert fidelibus qui, *nisi legitime impediantur*, solent bis in mense confessionem facere. Specialis confessio tamen necessaria manet pro indulgentiis iubilaei vel ad instar iubilaei.

Atque observes condicionem etiam iis imponi qui nullo peccato gravi absolvendi sunt. Ceterum non ipsa absolutio, sed sola confessio requiritur. Cf. *Epitome*, II, n. **216.**

70. - « *20. Concedendi ut omnes praedictae* indulgentiae *applicari possint* per modum suffragii *animabus in purgatorio detentis.* »

a) Si indulgentiae a S. Pontifice immediate concederentur, iam per se, vi c. 930, essent defunctis applicabiles. Verum cum hic facultas detur concedendi indulgentias, peculiaris potestas vi c. 913 danda fuit ut indulgentiae possent defunctis prodesse.

b) Etiam haec facultas est subdelegabilis.

71. - « *21. Benedicendi crucifixos cum indulgentia plenaria, vulgo* toties quoties *nuncupata: id est a quocumque ex fidelibus in mortis articulo constitutis lucranda. Grassantibus autem epidemicis aut contagiosis morbis, concedendi ut fideles* in periculo mortis *constituti, indulgentiam plenariam lucrari possint, Christi crucifixi imaginem vel crucem deosculando; vel, ea de-*

ficiente, sanctissimum Iesu nomen corde saltem, si ore non potuerint, invocando. »

a) Subdelegabilis ista facultas *ubique* erga subditos Ordinarii, erga omnes autem *in eius territorio* exerceri poterit. Huc vero spectat, ut Ordinario et eius subdelegatis concedat benedicendi crucifixos vocatos *Toties Quoties*; grassante vero contagioso morbo, faciliorem reddat acquisitionem istius indulgentiae.

b) Ex declaratione S. *Officii* 11 iun. 1914, indulgentia toties quoties crucifixis annexa id efficit « ut quicumque christifidelis in articulo mortis constitutus aliquem ex huiusmodi crucifixis benedictis, etiamsi illi non pertineat, osculatus fuerit, vel quomodocumque tetigerit, dummodo confessus ac sacra communione refectus, vel, si id facere nequiverit, saltem contritus, SS. Iesu nomen, ore, si potuerit, sin minus corde, devote invocaverit, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienter susceperit, plenariam indulgentiam acquirere valeat » (1).

Quocirca, etiam postquam vere reales declaratae sunt indulgentiae Apostolicae, ita ut eadem res benedicta ad plures successive, intactis indulgentiis, transire possent, utilissima tamen manet facultas benedictionis *toties quoties*, quia imago crucifixi cui annexa est indulgentia *toties quoties*, non debet, sicut res mere benedicta indulgentiis Apostolicis ab ipso infirmo in ipso mortis articulo detineri, sed iam antea potest pluribus infirmis indulgentiam, in hora mortis lucrandam communicasse. (Cf. *Periodica*, X, 319.)

c) Grassante lue, ipsa traditio pluribus successive facta, periculosa fieri potest. Quare tunc concedi potest omnibus periculose aegrotis (observes hic iam non dici in *articulo*, sed in *periculo* mortis) ut indulgentiam plenariam lucrentur deosculando quamlibet,

(1) Cf. *Periodica*, VIII, 204

etiam non benedictam, Christi crucifixi imaginem vel crucem; immo, si nullam habeant, satis erit ut nomen Iesu corde saltem, si ore non potuerint, invocent. *Quamlibet*, inquam, imaginem Christi crucifixi, etiamsi si, quia chartacea, benedici non potuisset, cum hic a condicione benedictionis dispensetur. Crux potest simplex esse sine imagine Salvatoris.

Indulgentia autem de qua agitur est semper eadem de qua fuit sermo in initio; i. e. est indulgentia bonae mortis quae in ipsum mortis momentum differtur.

72. - « *22. Concedendi ut, expleto divino officio diei, legitima concurrente causa, privatim recitari possit* matutinum cum laudibus *diei sequentis, statim post meridiem.* »

a) Cum non sit subdelegabilis, concessio ista ab ipso Ordinario facienda est.

b) Condicio tantae anticipationis est ut divinum officium diei sit expletum. Quod ad ipsum validum facultatis usum requiri, compertum habemus, ex interrogationibus factis in S. C. *Propag. Fidei* apud viros qui auctoritate praestant.

c) *Legitima* concurre debet *causa*. Legitima erit si talis sit qualis in similibus concessionibus postulari consuevit; i. e. causa rationabilis, causa quam Superior vel confessarius approbaverit. Causa esse potest studiorum vel occupationum, recitationis facilioris, maioris devotionis. Immo, ex MARC, probante PUTZEYS, n. 173, usus huiusmodi privilegii sine causa validus est, ita ut solum peccatum veniale efficiat.

d) Facultas circumscribitur recitatione privatim facta. Privata autem recitatio opponitur recitationi in choro praeceptae. Manet ergo privata, recitatio facta a pluribus communiter, instar chori, sed ex mera devotione, sine obligatione.

e) *Meridianum* tempus poterit aestimari, ex c. 33,

§ 1, usuale, verum, medium, legale vel aliud extraordinarium.

73. - « *23. Permittendi suis missionariis ut* vestes laicales *induere possint, si aliter vel transire ad loca eorum curae commissa, vel in eis commode permanere non potuerint.* »

a) Facultas ista, non subdelegabilis, ab Ordinario erga solos suos missionarios, i. e. qui suae dioecesi vel quasi-dioecesi sunt saltem temporarie addicti, exerceri potest. Ita habet expresse formula concessionis.

b) Vestes *laicales* eas intellegas quibus clericus a laico minime distinguitur. Servata enim distinctione, habitum necessarium vel licitum praescribere extra functiones sacras, pertinet per se ad Ordinarium.

c) Id tamen non possunt arbitrario modo concedere, sed tantum propter difficultatem aliter perveniendi ad loca suae missionis, vel ibidem permanendi. Ita dicimus, quia verbum *commode* non ad solam permansionem, sed ad ipsum primum missionis aditum pertinere videtur, ex rationabili formulae interpretatione. Cur enim severius in itinere, quod mox absolvetur, quam in continua permansione rem intellegas, nulla ratio afferri posse videtur.

74. - « *24.* Assignandi pensiones *quasi - parochis vel missionariis ex infirmitate resignantibus quasi - paroecias vel missiones, in quas per decem annos incubuerunt, solvendam annuatim a successore, non excedentem tertiam partem fructuum quomodolibet provenientium ex quasi - paroeciis vel missionibus, deductis expensis.* »

a) C. 1429 Ordinariis locorum permittit ut beneficiis paroecialibus, in commodum parochi vel vicarii eiusdem paroeciae a munere abeuntis, imponant pensiones, quae « ne excedant tertiam partem reditus paroeciae, quibusvis deductis expensis et incertis re-

ditibus ». Ex § tamen 1, pensiones istae nequeunt esse perpetuae vel ad vitam pensionarii, sed solum ad vitam beneficiarii qui pensionem solvere debet.

b) Hic autem, cum simpticiter permittatur pensionum assignatio, ut praesens facultas aliquid operetur, dicemus permitti constitutionem pensionis ad vitam pensionarii.

c) Sed adduntur condiciones magis severae. Oportet ut quasi-parochus vel missionarius ex *infirmitate*, non ex alia causa, resignet quasi-paroeciam vel missionem, postquam eam per decem annos procuraverit.

d) *Quasi-paroeciae* sunt, ex c. 216, § 3, partes Vicariatus Apostolici vet Praefecturae Apostolicae, quibus peculiaris rector fuerit assignatus. *Missio* autem hic est idem quod quasi-paroecia.

e) Tertia pars hic sumi potest etiam ex reditibus incertis. Nam fructus quomodolibet provenientes computari possunt. Ergo iura stolae atque etiam oblationes fidelium quae intra annum, incertae tamen quantitatis, fieri consueverunt, hoc fructuum, nomine veniunt. Fructus enim est, amplo usu, omnis reditus, utilitas, accessio quae ex aliqua re colligitur, redigitur, percipitur. (Cf. VICAT, *Vocabularium utriusque iuris*) ; vel brevius, « quidquid res fert, vel percipitur intuitu rei » (D' ANNIBALE, *Summula*, II, 105).

C. *Pro ipso Ordinario.*

75. - « *25.* Asservandi *in sacello domus stabilis suae residentiae* sanctissimum Eucharistiae sacramentum, *ea lege, ut lampas indesinenter ante tabernaculum lucescat, clavis diligenter custodiatur, aliaque iuxta liturgicas leges plene serventur.* »

a) Etsi nomine Ordinarii veniat etiam Vicarius generalis, facultates istae, ut liquet ex n. **28**, sunt

propriae episcopi vel quasi-episcopi, i. e. eius qui praeest Vicariatui vel Praefecturae.

b) In *stabili* sua residentia ipsi conceditur asservatio Eucharistiae. Facultas ergo ipsum non comitatur sicut facultas altaris portatilis.

Potest tamen aliquis habere plures stabiles residentias, ut si per hiemem in uno loco, per aestatem in alio commoretur; vel si per partem anni in uno territorio, per alteram partem in altero residere debeat.

Et cum non dicatur in loco *principalis* residentiae, sed simpliciter in domo *stabilis* suae residentiae, privilegium poterit in duobus vel tribus locis, dum ipse ibi residet, Ordinario suffragari.

c) Ut condicio, exigitur substantialis obvervatio legum liturgicarum. Commemoratur expresse lex de lampade, de clavis custodia. Addas, ex c. 1265 § 1, ut saltem semel in hebdomada regulariter in eo sacello missa offeratur.

76. - « *26.* Lucrandi indulgentias *quas aliis, vi facultatum sibi concessarum impertiendas censuerit, impletis tamen condicionibus.* »

a) Canon 927 per se concedit ut *omnes subditi* extra territorium et exempti in territorio sicut et peregrini lucrari possint indulgentias ab episcopis concessas. Dubitari itaque potuit utrum necne etiam de indulgentiis valeat c. 201, § 3, qui usum iurisdictionis voluntariae in proprium commodum permittit. Omne dubium aufertur facultate n. 26.

b) Indulgentias istas, si non sunt locales, Ordinarius ubique consequi poterit. (Arg. ex c. 927.)

77. « *27.* Utendi *ipse* personaliter, *in iisdem tamen adiunctis*, facultatibus *seu permissionibus quas, intra limites in praecedentibus articulis expressos, concedendas esse censuerit.* »

Facultas ista videtur satis colligi posse ex ipso

c. 201, § 3, modo citato. Commodum concessae facultatis est ut omnem praestet securitatem.

78. - « *28. Utendi* throno *cum* baldachino *et* cappa magna *in Pontificalibus*; *necnon permittendi presbyteris in ecclesiis suae iurisdictionis celebrantibus ut sui* nominis *tamquam antistitis sive in precibus ferialibus sive in* Canone missae *mentio fiat*: *quatenus haec ipsi a iure concessa non fuerint.* »

a) Hac facultate varia quae per se competunt episcopo dioecesano in sua dioecesi permittuntur Vicariis et Praefectis Apostolicis; alia solis iis qui charactere episcopali sunt insigniti: i. e. thronus cum baldachino et cappa magna in Pontificalibus; alia etiam iis qui charactere episcopali carent: i. e. nominatio in Canone et in precibus ferialibus.

Observes, cum agitur de nomine in Canone et in precibus, mentionem istam ab Ordinario praecipi posse.

b) Quia haec per se competunt episcopo residentiali in sua dioecesi, et plures episcopi residentiales hanc formulam obtinent, additur clausula « quatenus haec ipsi a iure concessa non fuerint ».

De privilegiis Vicariorum Apostolicorum et Praefectorum Apostolicorum cf. scripta a nobis in *Periodica*, IX, (26) ss.

Supplementa

79. - Sicut supra notavimus, formulis tam maioribus quam minoribus iam addi consueverunt quaedam facultates iurisdictionis gratiosae, aliae iis qui sunt charactere episcopali ornati; aliae ceteris Superioribus missionum. Quia communes sunt, has hic primae formulae statim subicere visum est.

Ipsa concessio S. C. *P. F.* hoc modo introducitur: « *Vigore potestatis sibi a SS. D. N.... Div. Prov. Papa... tributae, haec S. Congregatio christiano Nomini*

propagando R. P. D. Ordinario... sequentes facultates concessit... a die tamen computandum quo aliae facultates (Formula... maior vel Formula... minor) *datae sunt, et ad normas in eodem folio facultatum expressas sub capite Animadversiones*, nempe:

I. Supplementum pro Formulis minoribus.

80. - « 1. Erigendi *illas etiam* Confraternitates *a S. Sede approbatas quarum instituendarum ius Apostolico ex privilegio aliis reservatum est* (*c. 686, § 2*), *una excepta Confraternitate SS. Rosarii, iisque ascribendi Christifideles; ac* benedicendi coronas et scapularia earundem Confraternitatum *propria, cum applicatione omnium indulgentiarum et privilegiorum quae Summi Pontifices iisdem Confraternitatibus impertiti sunt.* »

a) In hac concedenta facultate, S. C. de *P. F.* utitur potestate sibi facta a LEONE XIII in audientia 5 dec. 1888. Potestas tunc erat vere universalis. Sed decreto S. C. *Indulgentiarum et ss. Reliquiarum* erectio Confraternitatis SS. Rosarii reservata est Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, ita ut antea concessae facultates revocatae sint. Quod etiam declaratum est a S. *Officio*, 8-10 maii, 1901 (Cf. *Beringer - Steinen, Die Ablässe*, II, n. 53).

b) Reservatae saepe sunt erectiones Confraternitatum seu associationum quae Ordinis religiosi sunt propriae.

c) Sed ipsa erectio non semper sufficit indulgentiis acquirendis; cum saepe praeterea postuletur aggregatio archiconfraternitati seu associationi primariae. De aggregatione autem in praesenti facultate tacetur, et nulla clausula pro indulgentiis necessitatem aggregationis supplere videtur. Verum manifesta mens praesentis gratiae est ut associationes quarum erectionem permittit, nulla indulgentia priventur. Quare, facta erectione, sollicitudinem de aggregatione deponi posse arbitramur.

d) Potest quoque Ordinarius benedicere coronas et scapularia earundem Confraternitatum propria cum applicatione omnium indulgentiarum et privilegiorum quae legitimae istarum rerum benedictioni annexa sunt.

e) Observes facultatem istam subdelegari non posse.

f) Observes quoque in hac formula rediri ad terminologiam Codici anteriorem. Codex enim nomen *Confraternitatis* reservat sodaliciis quae ad incrementum publici cultus constituta sunt, dum in hac facultate est nomen generale datum omnibus piis consociationibus quae non sunt Tertii Ordines. (Cf. cc. 685 et 707, § 2.)

81. - « 2. Subdelegandi *suis missionariis facultatem ascribendi Confraternitatibus de quibus supra* n. 1, *Christifideles; ac* benedicendi coronas et scapularia earundem Confraternitatum propria, *cum applicatione omnium indulgentiarum et privilegiorum quae summi Pontifices iisdem Confraternitatibus impertiti sunt.* »

a) Dum facultas *erigendi* ad solum pertinet Ordinarium, facultas *ascribendi* iisdem Confraternitatibus et benedicendi coronas et scapularia est subdelegabilis, quia frequentiorem usum habet.

Poterunt ergo missionarii subdelegati, omnia scapularia Confraternitatum imponere, v. g. B. M. V. de Monte Carmelo, Septem Dolorum, etc.

b) Plura autem scapularia nulli Confraternitati sunt coniunctae: puta scapulare SS. Cordis, S. Ioseph, ipsius Passionis Domini: nulla haec benedicendi facultas *hoc loco* communicatur.

82. - « *3.* Benedicendi, *ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis, omnia scapularia a Sede Apostolica probata, eaque imponendi sine onere inscriptionis.*

« *Hanc partiter facultatem Ordinarius suis missionariis subdelegare potest.* »

a) Hac nova facultate, praecedens ampliatur tum *extensive*: quatenus iam ad omnia probata a S. Sede scapularia potestas extendatur; tum *intensive:* quatenus fit dispensatio ab onere inscriptionis in registro Confraternitatis.

II. Supplementum pro formulis maioribus.

82. Duae priores eiusdem tenoris sunt ac duae priores pro formulis minoribus. Tertia sic effertur :

« *3.* Subdelegandi *pariter suis missionariis sequentem duplicem* facultatem *quae eidem Ordinario, qua episcopo, in canone 349, § 1, n. 1 conceditur, nempe:*

a) benedicendi, *ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis,* omnia scapularia *a Sede Apostolica probata, eaque imponendi sine onere inscriptionis ;*

b) erigendi, *ritibus pariter ab Ecclesia praescriptis, stationes* Viae Crucis, *cum omnibus indulgentiis quae huiusmodi pium exercitium peragentibus a Summis Pontificibus impertitae sunt; et* applicandi easdem indulgentias crucibus et crucifixis *pro infirmis aliisque legitime impeditis, prae oculis habito decreto* S. Paenitentiariae, *diei 14 decembris anno 1917.* »

a) Sub littera *a*) redit tertia facultas subdelegabilis supplementi pro formulis minoribus. Commemoratur autem privilegium episcoporum benedicendi ritibus ab Ecclesia praescriptis, rosaria, etc. et scapularia a Sede Apostolica probata, idque sine onere inscriptionis. Cardinales autem, ex c. 239 § 1, 5, idem possunt solo crucis signo.

b) Conceditur hic facultas subdelegandi missionarios suos ut possint Vias Crucis erigere, et crucibus et crucifixis indulgentia Viae Crucis conectere; sed soli legitime impediti has indulgentias lucrari possunt.

c) Prae oculis haberi debet decr. S. *Paenitentiariae* 14 dec. 1917, quod refertur ad decr. S. *Officii* 24 iul. 1912. Hinc ad lucrandas indulgentias cum

crucifixo sic benedicto, una cum recitatione 20 *Pater Ave et Gloria*, requiritur quaedam saltem recordatio pia passionis Domini. (Ibi ad IV. Cf. *Periodica*, IX p. 71.)

d) Cum haec facultas propria sit episcoporum, missionarii itaque qui pertinent *ad Praefecturam Apostolicam* sibi alia via ac per praesentes facultates, potestatem erigendi Viam Crucis et benedicendi cruces cum istis indulgentiis procurare debebunt v. g. a. Generali Fratrum Minorum.

§ 2. Facultates formulae secundae.

Ipsae facultates quae prima formula concedentur, demonstrant eas destinari regionibus quae neque ex distantia neque ex adiunctis socialibus vel politicis peculiarem difficultatem offerunt. Quare nulla mentio facta est privilegii Paulini; nulla potestas data in impedimenta maiora matrimonii.

Iam de formula secunda est agendum; et primo quidem de minore, quae conceditur Superioribus qui non sunt episcopi.

I. Formula secunda minor.

A. Circa Sacramenta et sacros ritus.

84. - « *1. Concedendi suis missionariis facultatem* benedicendi aquam baptismalem *ea breviori formula qua missionariis Peruanis apud Indos Summus Pontifex Paulus III uti concessit.* »

a) Vi istius facultatis, possunt Ordinarii concedere etiam habitualiter usum formulae Pauli III ad benedicendam aquam baptismalem.

Formula ista reperitur in Appendice Ritualis. Duas tantum orationes complectitur.

Adhiberi non potest nisi in locis ad quae eius usus est extensus: quod formula secunda in manu ponit Ordinariorum.

b) Id Ordinarii *suis missionariis* concedere possunt. Quinam sunt tales? Illi omnes, ni fallimur, qui, vel actu vel habitu, legitime in suo territorio ministeria sacra exercent.

Supponamus sacerdotem idoneum qui, propter aliquam iustam causam, puta infirmitatem, versetur in Ordinarii territorio. Sicut ipsam iurisdictionem ad praedicandum et audiendas confessiones, ita quoque hanc facultatem Ordinarius ei concedere poterit. Ipsi peregrini sunt, in territorio, missionarii Ordinariorum, si sint sacerdotes et ad ministeria admissi. Sic, in formulis anterioribus, facultas communicandi sacerdotibus idoneis qui in eorum dioecesibus laborabunt, permittebat, teste PUTZEYS, n. 170, fine, communicationem etiam sacerdotibus extraneis, dummodo in dioecesi pro salute animarum laborarent.

85. - « *2. Concedendi facultatem* administrandi confirmationis sacramentum *uni vel alteri, ex suis sacerdotibus, in quacumque regione a sua residentia longe dissita, absente tamen quocumque episcopo, servato decreto S. H. Congregationis diei 4 maii anni 1774, atque anni 1774, atque instructione « De Sacramento confirmationis » - in Appendice Ritualis inserta.* »

a) Praesentis Codicis disciplina, canon 782 § 3 concedit ipso iure Vicariis et Praefectis Apostolicis facultatem administrandi confirmationem, sed tantum intra fines sui territorii et durante munere tantum.

Facultas 2 formulae dat Ordinariis, sive fuerint episcopi sive non fuerint, facultatem concedendi uni vel alteri sacerdoti facultatem administrandi sacramentum confirmationis.

b) Uni vel alteri id est paucis, ita tamen ut non stricte ad duos facultas limitanda sit. *Pauci* intellegenti sunt, ni fallimur, tum *absolute*, tum *relative*. Absolute, ut numerus vere sit exiguus; relative, ut ratio habeatur generis facultatis et necessitatis eam communicandi.

Subdelegatio potest esse ad actum vel habitualis. *Sacerdotes sui* videntur intellegendi sicut, supra, missionarii sui. Verum oportet ut ceterae condiciones etiam impleantur.

c) Concessio non potest dari nisi in regione a residentia Ordinarii longe dissita: quod moraliter

est intellegendum, ita ut molestum esset et, attenta distantia superanda et frequentia itinerum quae forent necessaria ad convenientem huius sacramenti administrationem, nimis difficile esset uni tantum res committeretur.

d) Condiciones autem observandae sunt quae in ipso n. 2 adduntur. Ne tamen frequentius nutet ipse valor, nulla est ita expressa ut sit condicio valoris. Quare sacerdos cui Ordinarius, fretus praesenti facultate, hanc administrationem commisit, propter quaestionem de distantia vel de absentia omnis episcopi, nullum scrupulum habere debet.

Oportet autem ad liceitatem, ut *quilibet episcopus absit*: intellege in ista regione in qua deputatur sacerdos. Nec praesens censetur episcopus qui non possit vel nolit confirmationem administrare, ut si per territorium mere transeat. Praeterea, administratio facienda est « servato S. H. Congr. 4 maii 1774 atque instructione *De sacramento Confirmationis* in appendice Ritualis Romani ». Duo esse documenta dixeris, dum re vera tamen non est nisi unum, cum instructio 4 mai 1774, quae mense iulio 1888 a S. *Officio,* omissis quae propria sunt missionariorum, extensa est ad omnes sacerdotes quibus ministratio confirmationis obtingat, sit ex integro transumpta in Rituale in eoque evaserit instructio de qua in praesenti facultate fit sermo.

e) Ut potissima istius sive decreti sive instructionis monita memoremus :

1. Sacerdos uti debet chrismate confecto ab episcopo, et, excepto casu necessitatis, in ipso anno.

2. Commendatur ministratio in hebdomade Pentecostes et hora nona.

3. Confirmatio per se administranda est iis qui septem saltem annos sint nati. Antea tamen laudabiliter confirmantur graviter infirmi, vel qui, propter absentiam ministri, diutius exspectare deberent.

4. Confirmandi debent esse in statu gratiae, et optandum est ut sint ieiuni.

5. Convenienter tum de rudimentis Fidei tum de ipso sacramento instruendi sunt.

6. Nitida fronte, non impexis capillis, sed vestibus simplicibus et modestis accedant.

7. Turpe vel indecens nomen potest tunc in christianum converti.

8. Patrinus adhibeatur unus, eiusdem sexus ac confirmandus. Salva causa quae ministro iusta esse videatur, idem patrinus non praesentet nisi unum vel duos. Nisi necessitas aliter facere cogat, sit patrinus confirmationis diversus a patrino baptismi.

Si nullus reperiatur patrinus, licet aliquos sine patrino confirmare : qui tunc erunt patrini aliorum.

9. Si sacramentum sit Orientalibus administrandum, petenda est instructio S. Sedis.

86. - *De numeris 3. 4. 5. 6. 7.* Numeri isti idem concedunt quod quinque primi formulae primae, quos nn. **51-55** explicavimus.

Solum hoc discrimen observamus, in n. 3 formulae secundae omitti verba « *suis missionariis* » quae in n. 1 formulae primae adduntur. Id parum referre existimamus, ita ut inde quoque confirmemur in sententia qua verba ista non stricte intellegenda diximus.

87. - « *Permittendi etiam in omnibus diebus festis et dominicis* Missam votivam de B. M. V. *iis qui ob defectum oculorum aliamve infirmitatem, legere nequeant missas singulis diebus occurrentes iuxta missalis romani rubricas.* »

a) Hoc loco facultas, non subdelegabilis, conceditur permittendi sacerdotibus caecutientibus vel qui, propter aliam infirmitatem (v. g. balbutiem) legere missas praescriptas nequeunt, seu difficile tantum possint, ut cotidie legant missam votivam B. M. V.

b) Quamvis S. Sedes interdum aliam missam votivam indulgeat, Ordinarius solam missam *de Beata*, vi praesentis facultatis, permittere potest. Diebus autem

quibus rubricae id permittunt, nihil obstat quin idem sacerdos legat missam defunctorum; ipsi integrum etiam est, si decenter possit, missam diei legere.

c) De ritu servando a sacerdote cui haec missa votiva indulgetur, omnino adeunda nunc est memorabilis instructio S. *Rit. Congr.* 12 ian. 1921 quam dedimus cum commentariis, *Periodica* X, p. 306, ss.

Observes v. g. *Gloria* et *Credo* esse in ista missa addenda quotiescumque missa diei currentis haec continet; idem valere in iubilaeo ordinationis sacerdotis. *Gloria* non solum in sabbato, sed etiam infra octavas etiam simplices B. M. V. addendum est. Nec secunda vel tertia oratio adduntur quando a ritu ecclesiae in qua missa celebratur, orationes de Tempore excluduntur. In festis et per octavas etiam simplices B. M. V. in Praefatione non dicitur « et te in veneratione » sed verba dicenda sunt quae missa de festo vel de octava postulantur.

Die autem Nativitatis Domini, possunt sacerdotes qui sic missam votivam celebrant, ter eandem prorsus missam dicere votivam; in die autem Commemorationis omnium fidelium defunctorum possunt eandem missam *cotidianam* defunctorum bis repetere, ita ut ipsi ter celebrent.

Id concessit BENEDICTUS XV, 26 ian. 1920. Cf. *Periodica*, X, p. 213.

88. - « *9. Permittendi ut, iusta de causa, SS.mum Sacramentum* cum duobus luminaribus *ex quacumque substantia confectis* exponi *possit.* »

a) Agitur, in hac facultate, de luminibus requisitis in SS. expositione. Per se, in expositione tam privata quam publica, sex saltem cerei ardere debent; et in instructione Clementina de XL horarum expositione saltem 20 requiruntur.

b) Hic, facultate non subdelegabili, potest Ordinarius permittere ut SS. Eucharistia exponi possit, privatim et etiam publice (nam nulla fit distinctio) cum duobus tantum luminaribus ex qualibet substantia confectis. Potest itaque etiam, annuente Ordinario, cum lumine electrico exponi.

Iusta tamen postulatur causa, quae ex difficultate aliud lumen vel habendi vel servandi accensum (ponas alia lumina constanter vento exstingui), vel ex nimio pretio alius luminis repeti debebit.

c) Facultas ista pro sola *expositione* conceditur. Nec pro missae sacrificio, nec pro ipsa custodia SS.mi in tabernaculo utenda offertur. Hinc observes maiorem severitatem ad recedendum a rubricis postulari pro sacrificio missae quam pro SS.mi expositione.

Minor quidem est simplex SS.mi custodia quam eius expositio. Sed iam ex iure communi c. 1271, ubi oleum olivarum haberi nequeat, Ordinarii loci « prudentiae permittitur ut aliis commutetur, quantum fieri potest vegetalibus ».

89. *De numeris 10 et 11.* Idem concedunt quod nn. 6 et 7 formulae primae conceditur. Cf. explicationem, nn. **56** et **57**.

90. - « *12. Conferendi, rationabili de causa,* Ordines minores *omnes simul, etiam cum prima tonsura.* »

a) Codex canonicus, c. 978, § 3, haec habet: « Nec primam tonsuram conferre licet una cum aliquo ex ordinibus minoribus, neque omnes ordines minores una simul. »

Hoc loco facultas, non subdelegabilis, datur Ordinario derogandi utrique vetito.

b) Nec gravis causa requiritur: sufficit rationabilis, quae ex occupationibus missionariorum, ex distantia, ex commoditate studiorum facile colligitur.

c) Si caerimonia melius fiet aut incommodum sit in separatis ordinationibus, licebit una eademque caerimonia, et primam tonsuram et quattuor ordines minores iisdem ordinandis conferre.

91. - « *13. Dispensandi, gravi tamen de causa, cum utriusque cleri* diaconis *super* defectu aetatis *unius anni, ut, eo non obstante, ad s. presbyteratus ordinem promoveri possint, dummodo idonei sint, et dimidiam*

partem quarti anni cursus theologici rite, secundum Codicis praescriptiones c. 976, absolverint. »

a) C. 975 postulat, ad subdiaconatum, annum vicesimum primum completum; ad diaconatum, annum vicesimum secundum completum; ad presbyteratum, vicesimum quartum completum.

Facultas, non subdelegabilis, hic fit Ordinario dispensandi super defectu aetatis requisitae ad presbyteratum, si solum unus annus desit, i. e. si candidatus compleverit annum tertium.

b) Dispensatio non potest dari nisi diaconis: in aetate diaconatui requisita Ordinarius nihil dispensare potest.

c) Nihil idcirco de studiis demere Ordinarius potest. Quare oportet ut, ad normam c. 976, § 2, transacta sit medietas quarti anni studiorum theologiae. Observes itaque quantum studia regulariter et complete facta cordi sint Ecclesiae.

d) *Gravis* praeterea requiritur *causa*. Hanc non dabit regulariter utilitas privata; sed plerumque penuria sacerdotum seu ministrorum sacrorum in istis regionibus suppeditabitur.

e) Expresse fit facultas dispensandi cum diaconis *utriusque cleri*, ita ut etiam religiosi hoc beneficio frui possint. Sed oportet ut idonei sint: i. e. ut ab ipsis sperari queat utile subsidium ad supplendum defectum in numero ministrorum seu sacerdotum.

Et sicut non potest Praefectus Apostolicus extra territorium ordines minores conferre, ita etiam dispensare non potest nisi diaconos in territorio suo commorantes, et a quibus utilia servitia, saltem per aliquod tempus, sperare poterit. Cf. PUTZEYS, de analogo art. facultatum anteriorum, n. 105.

92. - « *14. Dispensandi, canonicis exsistentibus causis, super* impedimentis matrimonialibus *sive minoris sive maioris gradus* (*c. 1042*), *tam publicis quam*

occultis, iuris tamen ecclesiastici : exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine, ex defectu praescriptae aetatis et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio ».

« *Concedendo tamen has dispensationes, Ordinarius prae oculis habeat regulas statutas in Codice a c. 1035 ad c. 1080, circa impedimenta in genere et in specie; et, in impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, servatis condicionibus ab Ecclesia praescriptis : videlicet de amovendo a catholico coniuge perversionis periculo, ac de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate baptizanda et educanda; monita parte catholica de obligatione qua tenetur conversionem coniugis acatholici prudenter curandi; eaque lege ut, neque ante neque post matrimonium coram Ecclesia initum, partes adeant ministrum falsi cultus ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum. Si agatur vero de matrimoniis cum hebraeis vel mahumetanis, peculiari ratione oportet ut: constet de status libertate partis infidelis ad removendum periculum polygamiae; absit periculum circumcisionis prolis; et si civilis actus sit ineundus, sit tantum caerimonia civilis, nullaque Mahometis invocatio aut aliud superstitionis genus interveniat* ».

a) Facultas hic concessa dispensandi fere omnia impedimenta matrimonialia, nobis opportunitatem praebet accuratius dicendi de gravissimo isto argumento; quod magis necessarium vel utile est, quia facultas est subdelegabilis, ita ut moraliter omnes missionarii de normis prudenter sequendis instructi sint oportet.

Data facultas respicit impedimenta tum dirimentia tum impedimentia, ut manifesto constat ex exemplo impedimenti mixtae religionis, quod in subiectis monitionibus expresse commemoratur. Sola excipiuntur impedimenta presbyteratus, affinitatis in linea recta

consummato matrimonio, et defectus aetatis. Duae priores exceptiones positae quoque sunt facultatibus quae ipsis Codicis cc. 1043 - 1045 dantur Ordinario locorum, parocho, sacerdoti qui matrimonio assistit, confessario, urgente mortis periculo vel in casibus qui perplexi dicuntur. Tertia exceptio (quae urgente periculo mortis vel in casu perplexo non est attendenda) addita est, ni fallimur, quia si, in quibusdam regionibus, praecox corporis maturitas suadet indulgentiam, constantia affectus nimis saepe desideratur, et civiles leges solent severiores esse, ita ut matrimonia citius facta civilis sanctionis praesidio destituantur, et inconstantibus coniugibus facilem occasionem offerant concubinatus adulterini et tamen legalis. Haec valde consideranda sunt missionariis, ne praepropere matrimonii remedium suadeant iuvenibus qui prava commercia fovent.

b) Usus etiam validus praesentis facultatis supponit canonicas causas dispensandi. *Canonicae* dicuntur causae quae secundum hodiernam S. Sedis disciplinam concedendae dispensationi sufficiunt. N. 58 indicavimus causas canonicas ex instructione S. C. *P. F.* 9 maii 1877, qua tamen expresse monemur alias addi posse. Et ex formulis Datariae has alias desumere licet cum R. D. DESMET (*De sponsalibus et Matrimonio*, n. 826): paucitatem virorum, v. g. post bellum; securitatem religionis catholicae in coniugibus; spem conversionis partis acatholicae; conservationem bonorum in familia, vel honestatis seu socialis condicionis familiae.

Sed quae causae canonicae sunt in impedimentis minoris gradus, iam non erunt tales si impedimenta sint gradus maioris. Hic itaque requiritur, ut causa sit *absolute* et *relative* gravis; quod prudentem comparationem causas et impedimenti postulat. Iuvat hic distinguere causas ex ipsa *utilitate communi* et causas ex

bono privato depromptas. Prioris generis sunt excellentia meritorum, cessatio publici scandali, periculum matrimonii civilis, matrimonii mixti, incestuosi concubinatus vel matrimonii mixti vel coram acatholico ministro, spes conversionis partis acatholicae: tales causae sufficiunt pro omnibus impedimentis; dum pro impedimentis mixtae religionis vel disparitatis cultus, rationes mere privatae, ut angustia loci, aetas superadulta, solae non sufficerent.

Ecclesia quoque faciliorem se exhibet erga magnates et potentes, tum quia saepe causa tunc ipsis meritis familiae completur; et quia, cum multum prodesse vel nocere possint religioni, ad bonum commune interest ut sint bene affecti erga Ecclesiam.

Illud demum hodie observandum est. Severitas, etiam Conc. Tridentino inculcata, non iam urgetur; et iis qui eam obstinate petant, dispensatio conceditur, si agatur de impedimentis *dispensabilibus*. Ista enim obstinatio velut complet causam. Nam vel periculum creat publici concubinatus aut matrimonii mere civilis; vel si bona partium religio periculum istud avertit, durum videtur et minus aequum paucis qui melioris sunt voluntatis, negare quod peiori concederetur.

Quare, hodie ecclesiastica impedimenta hanc potius habent utilitatem, ut plures a prohibitis vel exclusis matrimoniis deterreant, et parentes catholici et ministri sacri suis consiliis noverint iuvenes ab istis coniugiis optandis tempestive avocare.

c) In danda dispensatione prae oculis habendae sunt regulae Codicis quas n. **58**, d) indicavimus.

d) Praeterea urgendae sunt condiciones ab Ecclesia praescriptae, si agitur de impedimentis mixtae religionis vel disparitatis cultus. Atque haec est condicio valoris ipsius dispensationis. Si ergo, in speciali casu, hae condiciones obtineri nequeant, erit ad S. Sedem recurrendum, vel dispensatio negari debebit.

e) Estne idem dicendum, si partes adiverint ministrum acatholicum vel aditurae praevideantur?

Ratio dubitandi est c. 1063, § 2, qui parocho permittit ut assistat matrimonio sponsorum qui hanc legem violaverint vel eam violaturi sint, si gravissimae concurrant causae, removeatur scandalum et Ordinarius prius consulatur.

Et quia facultates praesumuntur ad mentem Codicis redactae, eius sumus sententiae, donec res authentice declarata sit, per se quidem istam legem observandam esse ut non dispensetur nisi moraliter constet ministrum acatholicum, qua talem, a partibus non aditum iri. Si tamen concurrant adiuncta c. 1063, § 2, Ordinarius possit nihilominus dispensationem valide concedere.

e) In matrimoniis cum hebraeis vel mahumetanis, cavendum est ab omni superstitione : sive invocationis Mahumeti, sive circumcisionis ritualis. *Ritualem* dico, nam si ratio valetudinis id suadeat, liquet circumcisionem nulla lege prohiberi, cum hic etiam inter christianos, propter huiusmodi causas, non ita raro exerceatur.

93. - « *15. Sanandi in radice, iuxta regulas in Codice a c. 1133 ad 1141 statutas, matrimonia ob aliquod impedimentum de quo supra n. 14, nulliter contracta. Quod vero attinet ad prolis legitimationem, Ordinarius prae oculis habeat c. 1051.* »

a) Iisdem verbis, hoc loco, sed quod ad alia impedimenta, conceditur subdelegabilis facultas sanandi in radice matrimonia nulliter contracta, quibus in formula prima, n. 9 concedebantur. Atque idem dicendum est de prolis legitimatione. Quare recurrit explicatio data supra, n. **59**.

94. - « *16. Sanandi pariter in radice matrimonia mixta attentata coram magistratu civili vel ministro acatholico.* »

a) Post Codicem, ubique, in matrimoniis *mixtis* observandae sunt sollemnitates ecclesiasticae, ita ut si mere coram magistratu civili vel ministro acatholico celebrentur, attentata sint potius quam contracta, propter impedimentum clandestinitatis.

b) Scientia tamen aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem necessario non excludit (C. 1085).

Igitur, post diligentiorem inquisitionem, fieri potest ut moraliter constet de vero consensu quem pars catholica dederit coram magistratu civili, quamvis probe conscia fuerit impedimenti iuris ecclesiastici. Id v. g. satis facile habebitur si, propter teporem religiosum, fides debilitata fuerit et de efficacia legis ecclesiasticae in his rebus pars parum fuerit sollicita; vel si adhuc putaverit contractum matrimonii a sacramento separari posse.

In his adiunctis, quando convalidatio in forma ordinaria obtineri nequit, ad consulendum conscientiae partis catholicae solum remedium in ipsa sanatione in radice consistere potest.

c) Facultate sub n. 16 permittitur Ordinarius vel eius subdelegatus, matrimonia ista prudenter sanare in radice. Prudenter, inquam, ac proin bene perpendendo quamnam spem perpetuae stabilitatis talia matrimonia offerant.

B. - *Circa absolutiones, benedictiones, indulgentias, etc. etc.*

95. - *17. Absolvendi ab omnibus* censuris, *sive simpliciter sive speciali modo Romano Pontifici reservatis.*

« *18. Dispensandi vel commutandi* vota privata *Sedi Apostolicae reservata de quibus in c. 1309.* »

Recurrent hic ambae facultates subdelegabiles quae iam in formula prima, sub nn. 10 et 11 concessae erant. Cf. explicationem datam supra, n. **60** et **61**.

96. - *N. 19* conceditur facultas delegabilis benedicendi coronas etc. quae n. 12 in prima formula iam est tradita. Cf. explicationem. n. **62**.

97. « *Conferendi uni alterive ex suis sacerdotibus facultatem* consecrandi *iuxta formam in Pontificali praescriptam,* calices, patenas et altarium lapides, *adhibitis tamen oleis ab episcopo catholico benedictis.* »

a) Vi praesentis facultatis, potest ipse Ordinarius se onere levare consecrandi calices, patenas et altarium lapides. Apostolico enim indulto munitur quo consecrationes istas simplici sacerdoti committere ipsi licet. Atque habitualem hanc facultatem facere potest uni vel alteri ex suis sacerdotibus. Sicut diximus n. **85**, unus vel alter idem est quod vere pauci. Ut suos autem considerare potest Ordinarius sacerdotes qui actu sub ipso ministeria in suo territorio exercent.

b) Haec delegatio in Pontificali Romano non praevidetur. Quare usum praescribit mitrae, quam tamen simplex sacerdos adhibere non potest. Is ergo mere induet superpelliceum et stolam albam.

c) Olea ipse benedicere non potest, sed ea ab episcopo catholico recipere debet. Non exigitur ut episcopus sit eiusdem ritus.

d) Memorandus hic est c. 1200, qui permittit ut Ordinarius deputet sacerdotem ad iterum consecranda altaria etiam immobilia quae consecrationem amiserint. Ac formula brevior consecrationis confecta est a *S. R. C.* 9 sept. 1920. Cf. *Periodica*, X, p. 234 ss.

98. - *21.* Erigendi *pium exercitium* Viae Crucis *ritu ab Ecclesia praescripto cum applicatione omnium indulgentiarum quae huiusmodi exercitium peragentibus a Summis Pontificibus impertitae sunt; et applicandi easdem indulgentias crucibus et crucifixis, pro infirmis aliisque legitime impeditis, prae oculis habito decreto s. Paenitentiariae, diei 14 dec. 1917.* »

Hoc numero conceditur Ordinario subdelegabilis facultas quae in Supplemento formulae solis episcopis tribuitur. Cf. dicta n. **82**, sub litt. b.

99. - *NN. 22 ad 31* easdem facultates concedunt

quae in formula prima sub n. 13 ad 22 positae sunt. Quare explicatio harum facultatum reperietur supra, nn. **63** ad **72** inclusive.

100. - « *32. Concedendi ut ob legitimam gravemque rationem, de qua eius conscientia oneratur,* loco divini Officii, rosarium vel *aliae preces recitari possint.* »

a) Agitur hic de commutatione officii divini in alias preces. Postulatur legitima et gravis causa. *Legitima* i. e. quae, attenta personae qualitate et eiusdem munere, sit probanda. Sic studia quae munere non postulantur, legitimam causam non efficerent. Legitima, contra, causa erit iter pro missionis utilitate, labor secundum munus susceptus. Praeterea oportet ut causa sit *gravis*, i. e. ut non possit facile omitti, et difficile cum recitatione officii divini componatur. Tanta tamen non debet esse difficultas ut per se ab onere excuset. Sed ut casus serio perpendatur, conscientia Ordinarii declaratur onerata. Cavere enim debet, non solum ut in casu peculiari sufficere videantur rationes, sed etiam ne nimia commutandi facilitate usus breviarii, qui hodie tam stricte urgetur, paulatim languescere incipiat.

b) Optima causa, semper probata, est ipsa infirmitas, i. e. vel debilis visus eius qui non potest (etiamsi perspicilia adhibeat) officium sine difficultate legere ; vel capitis gravedo. Causa etiam esse potest necessaria assiduitas in audiendis confessionibus vel alius labor apostolicus. Ac possit Ordinarius statuere v. g. iis qui per quinque horas confessiones audierint, sufficere ut tertiam partem rosarii recitent. Fieri quoque potest ut iter difficiliorem efficiat breviarii recitationem.

c) « *Rosarium vel aliae preces* » Ad quaestionem positam a R. P. KONINGS, *S. Officium* 2 iul. 1884, respondit n. VIII per rosarium intellegi integrum ro-

sarium, « sed relinqui prudenti arbitrio et conscientiae episcopi, attentis peculiaribus personarum circumstantiis, commutationem in tertiam partem aut in preces tertiae parti respondentes » (Apud PUTZEYS n. 248).

Itaque commutatio officii in integrum rosarium pro normali haberi potest; commutatio in minus longas preces, peculiares rationes postulat. Potest quoque Ordinarius variis Officii partibus proprias preces substituere.

Hoc exemplum refert ex episcopo BRAY, PUTZEYS, n. 168: « Quando non leviter aegrotans horas canonicas persolvere non potest absque gravi incommodo, aut inter paganos iter agens officium recitare non potest ob tumultum et clamorem paganorum, etc., aut tota die occupatus vel in cura infirmorum vel in instructione neophytarum Breviarium recitare nequit ob defatigationem,-supplere possit per recitationem Rosarii hoc modo: si nullam Officii divini talis diei partem recitaverit, recitet tres coronas B. M. V; unam loco Matutini et laudum, alteram loco parvarum Horarum; tertiam loco Vesperarum et Completorii. Si autem unam tantum ex his tribus partibus officii praetermiserit, recitet unam coronam; si vero duas partes, recitet duas coronas B. M. V. - Addit: circa hoc nemo sit, quaeso, neque scrupulosus neque laxista; et omnes, quantum moraliter fieri poterit, conentur ut digne, attente ac devote Officium divinum cotidie recitare valeant. »

Hanc alteram aestimationem refert ex S. Paenitentiaria pro caecutiente vel eo qui ob minimam lectionem dolorem capitis sentiat, ita ut ad ulteriorem Breviarii recitationem et ad alias actiones fiat inhabilis: Loco Matutini, corona B. M. V. et saltem Ps. *Miserere* et *Benedictus*; pro singulis Horis septies *Pater* et *Ave* cum ps. *De Profundis*; pro Vesperis duodecies *Pater* et *Ave*, cum Ps. *Dixit Dominus* et *Magnificat*; pro Completorio, septies *Pater* et *Ave* cum Ps. *Qui habitat* et Cantico *Nunc dimittis* et Symbolo Apostolorum. LEO X in C. *Inter cetera*, 20 ian. 1521, Tertiariis qui in Congregatione erant obligati ad officium, sed istud recitare nesciebant, substituit pro Matutino duodecim *Pater Noster*, et pro qualibet alia hora Septem *Pater* et *Ave*, addito *Gloria Patri* in fine cuiuslibet Pater, addito etiam *Credo* et *Miserere*, in principio Primae et Completorii.

101. - *Sub nn. 33 et 34* conceduntur facultates quae, iisdem verbis sub nn. 23 et 24 concedebantur formula prima. Quare haec iam explicata sunt nn. **73** et **74**.

C. *Pro ipso Ordinario*

102. - « *35. Fruendi* indulto *personali alatris privilegiati quotidiani, dummodo intuitu huius privilegii nihil omnino, praeter consuetam eleemosynam percipiat.* »

a) Personale altaris privilegiati indultum efficit ut missae celebrantis sint ubique privilegiatae, i. e. procurent indulgentiam plenariam, per modum suffragii, uni ex animis pro quibus sacrificium offertur. Huiusmodi privilegium omnibus conceditur qui actum heroicum in favorem animarum purgatorii fecerint.

b) Quia missae privilegiatae pro defunctis in maiore sunt aestimatione, ne indulgentia praetextus fiat cuiuspiam quaestus, ipse Codex, c. 918. § 2 expresse statuit: « Pro missis celebrandis in altari privilegiato nequit, sub obtentu privilegii, maior exigi missae eleemosyna ». Praesens autem formula hanc praescriptionem in condicionem convertit ipius privilegii, ita ut qui maiorem eleemosynam pro missa privilegiata perceperit, re ipsa privilegio exciderit. Ponitur enim vox « *Dummodo* », quae condicionem valoris significat.

103. - *Nn. 36 et 37* repetunt quod nn. 26 et 27 formulae primae conceditur. Cf. dicta nn. **76** et **77**.

His facultatibus addendum est Supplementum de quo diximus nn. **80-82**.

II. Formula secunda maior.

104. - Formula secunda maior a minore non differt nisi in duobus numeris.

N. 2 dat facultatem « *Conficiendi olea sacra cum sacerdotibus quos potuerit habere; et si necessitas urgeat, etiam extra diem Cenae Domini.* »

a) Per se in oleorum consecratione 12 presbyteri, 7 diaconi et 7 subdiaconi adhibendi sunt; et quando deficiunt, imploranda est toties quoties dispensatio S. Sedis. (Cf. resp. S. *R. C.* 19 iun. 1875, *Decr. auth.* n 3359.) Hinc apparet vis et opportunitas privilegii, quod permittit episcopo ut, etiam sine diaconis vel subdiaconis, et cum presbyteris quos potuerit habere, olea sacra consecret.

b) Dum in sola Cena Domini olea ista consecrantur, permittitur ut episcopus eadem etiam extra istam diem conficiat. Oportet tamen ut necessitas urgeat. Nec dies specialis exigitur: ipsa necessitate urgente definitur.

N. **38**, conceduntur episcopo quatenus nondum eadem ipso iure habuerit, thronus cum baldachino et cetera quae n. 28 formulae primae continentur et explicata sunt supra, n. **78**.

Omittitur ex formula minore n. 21, de erectione Viae Crucis, cum facultas erigendi viam crucis et annectendi crucibus indulgentias viae crucis episcopis iure comuni 349, § 1, n. 1 tribuantur.

Subdelegatio tamen ipsi non competebat. Quare Supplemento formulae maioris est huic defectui provisum, sicut explicavimus, n. **83**.

N. B. Ex comparatis formulis colligimus facultatem nominationis in canone et suffragiis non esse *Formulis* concessam Praefectis Apostolicis qui charactere episcopali careant.

§ 3. Facultates Formulae III

105 - *Observatio generalis*. Multo amplior quam prima erat formula secunda. Non tamen supponebat loca missionum. Quare nihil de Privilegio Paulino continebat. Tertia iam Formula, quae amplissima vocari possit, ad adiuncta etiam extraordinaria quae in terris barbaris vel paganis, v. g. saeviente persecu-

tione, accidere possunt, suas facultates accommodat. Plures autem refert facultates iisdem verbis quibus diu ante Codicem concedebantur. Et cum, in quibusdam punctis, v. g. in occulta delatione SS. Eucharistiae, multo benignior disciplina invaluerit, fieri potest ut ex iure communi quaedam liceant quae ipsa formula non conceduntur. Liquet autem speciales Formulae facultates iuri communi minime praeiudicare. Idcirco in explicanda formula, respectus iuris communis a nobis non neglegetur.

Mirabitur quispiam nullam concedi facultatem permittendi *binationem*, quae antea in F. III. IV et VI tribuebatur. Ratio suppressionis esse potuit c. 806, qui Ordinariis locorum potestatem facit permittendi binationem, quando, prudenti ipsorum iudicio, propter penuriam sacerdotum, notabilis fidelium pars missae die festo de praecepto adstare non possit. « *Non possit* » i. e. sine seria difficultate. Quaenam sit notabilis fidelium pars, non ita constat. Vicenarius numerus admittitur a d'ANNIBALE, III. 405 (55); numerum istum sufficere, semel, in antiquo responso S. *Officii* 1688, negatum est. Sed mens S. Sedis est ut, sine anxietate, ipse Ordinarius iudicet esse gravem causam permittendi, propter talem vel talem numerum, binationem. Id expresse traditur in Instr. S. C. *P. F.* 24 maii 1870 (*Collect.* n. 1352), sub nn. 13 et 14. Sic, ut decem vel quindecim carcere detenti, aut moniales, missae diebus festis assistere possent, sufficiens causa dici potest (Arg. n. 17 citatae Instructionis. Cf. PUTZEYS, n. 159).

Dies autem festi de praecepto intellegi debent dies quibus populus re vera missam audire debet. Cf. resp. *S. R. C.* ad episc. Namurcensem, die 11 sept, 1841 (*Decret. auth.* n. 2841) et, post Codicem, NOLDIN, III, 206.

I. Formula tertia minor.

A. Circa sacramenta et sacros ritus

106 - *NN. 1 et 2,* repetunt facultates 1 et 2 Formulae secundae, quae explicatae sunt supra, nn. **84** et **85.**

107 - « *3. Permittendi ut* Missa *celebrari possit, in casu necessitatis, etiam* sine ministro, sub dio *et* sub terra, *atque etiam* in mari, *dummodo mare sit tranquillum, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum vel sine reliquiis Sanctorum ; et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, si aliter celebrari non possit ; atque ut missa celebrari queat* una hora post mediam noctem. ».

a) Facultas ista respicit dispensationem a quibusdam praescriptis liturgicis. Facultas ista exerceri potest ab Ordinario, erga omnes in suo territorio ; extra territorium etiam erga suos subditos, v. g. dum se conferunt ad missiones suas.

b) Requiritur *casus necessitatis.* Is habetur si aliter celebrari nequeat. In fine enim istius numeri, condicio sic exprimitur « si aliter celebrari non possit ». Et si praeterea exigeres gravem causam celebrandi, coartares, contra receptum usum, facultatem celebrandi *in mari,* quae circumstantia tamen, in hoc numero, videtur difficiliorem reddere celebrationem quam defectus ministri, ob verba formulae «*atque etiam* in mari ».

c) Celebrare sine ministro (qui saltem usque ad completum offertorium assistat) per se mortale est. Verum hic conceditur indultum.

Observes, ex resp. *S. R. C.* in Erien. 4 sept. 1875 ad 1 (*Decret. auth.* n. 3368) a sacerdote qui sine ministro celebrat, semel tantum dici debere *Confiteor* ante introitum.

d) *Sub dio.* Communiter non licet celebrare

missam nisi in ecclesia vel oratorio publico, consecrato vel benedicto, ad normam iuris, vel oratorio semi-publico aut in oratorio domestico, legitime erecto. Verum ex ipso iure communi c. 822, § 4, possunt tum loci Ordinarius, vel, in domo religionis exemptae, Superior maior licentiam celebrandi super petram sacram in decenti loco (numquam tamen in celebrantis cubiculo) concedere ob iustam ac rationabilem causam, in aliquo extraordinario casu et per modum actus. Quam facultatem esse restrictive interpretandam, respondit *Commissio Codici interpretando*, 16 (29) oct. 1919 ad 12 (Cf. *Periodica*, X, p. 101). Praeterea privilegium altaris portatilis permittit celebrationem super petram sacram in omni decenti loco, non tamen in mari.

Vi praesentis facultatis, potest Ordinarius missam in loco publico, sed profano (sub dio) directe et generaliter permittere si aliter celebrari nequeat.

e) *Sub terra*: in loco subterraneo, ut si, in persecutione, securitas sacerdotis id postulet.

f) « *Atque etiam in mari* »., condicionibus explicatis supra, n. **51**.

g) « *In loco tamen decenti* » Observes excludi c. 823, § 1 templa haeriticorum vel schismaticorum, etsi olim rite consecrata vel benedicta fuerint. Ratio prohibitionis est species cuiuspiam communicationis quae sapit indifferentismum. Vetitum istud cessat in quisbusdam partibus ubi simultaneus usus aedificii a catholicis et acatholicis toleratur. - Sed, deficiente alio, altare rite consecratum alterius ritus usurpare licet.

h) *Etiamsi altare sit fractum vel sine reliquiis Sanctorum*. Fractione quae sive quantitate sive loco sit enormis, et remotione reliquiarum exsecratur altare vel petra sacra. Permitti potest celebratio in tali altari, vi praesentis facultatis. Si tamen altare vel petra refici tempestive possunt et iterum consecrari

v. g. formula breviore cui alludit c. 1200 et quam dedit *S. R. C.* 9 sept. 1920 (Cf. supra n. **97**, d), liquet reparationem istam et consecrationem faciendam esse, ne versemur extra casum necessitatis.

i) *Praesentibus haereticis, schimaticis, infidelibus e excommunicatis si aliter celebrari non possit* ».

In rigore iuris hodierni vetita non est celebratio coram istis, nisi sint excommunicati vitandi. Cf. c. 2259, § 2. Vis facultatis est ut etiam in casu necessitatis coram huiusmodi excommunicato celebratio fieri queat.

In regionibus barbaris curandum tamen videtur ut non baptizati, etiam catechumeni, soli missae catechumenorum assistant, et finita contione post evangelium recedant, ut sic magis dignitati sacrificii consulaur et maior honor christianis deferatur.

f) Atque ut missa celebrari possit *una hora post mediam noctem* ». Cf. de hac facultate, n. **51**, d.

108. - « *4. Permittendi ut* missa celebrari *possit* cum uno luminari, *adhibendo in casu quodcumque lumen dummodo cera ex apum industria confecta deficiat; necnon permittendi ut missa* absque luminaribus *celebrari possit, in locis ubi non inveniuntur olivae et nulla alia substantia ad lampades nutriendas inveniri potest; in casu tamen verae necessitatis, et graviter onerata conscientia ipsius Ordinarii.* »

a) Per se, in missae celebratione, requiritur duplex candela accensa ex cera apum (quod ad maximam partem). Ac *sino ullo lumine* sacris operari ita grave est, ut solum ad conficiendum viaticum quod sit sacramentum necessitatis, sic celebrare liceat. Cum *solo diverso lumine* celebrare, reputatur quoque grave; CAPPELLO (*De sacramentis*, I, 775) tamen id non putat, secluso scandalo, excedere veniale. Atque ex causa mediocriter gravi, id fas erit, deficiente copia cereorum. Immo SUAREZ et GOBAT id

ex sola devotione semel aut iterum permittunt. Uno tantum cereo uti non excedit veniale « a quo puto proinde quamcumque causam rationabilem, adhuc solius devotionis, secluso scandato, excusare » (S. ALPHONSUS, L. 6, n. 394, Dubitatur 2°). Si exstinguantur candelae post consecrationem, immo post offertorium, sacerdos a sacro cessare non potest, sed exspectare debet donec lumen afferatur. Post quadrantem tamen, missam dicere pergat. Cf. CAPPELLO, l. c.

b) Vi praesentis facultatis, celebratio permitti potest cum *uno lumine*. Atque ubi cera apum deficiat, quodlibet lumen, etiam electricum, permitti potest. Deficit autem etiam si rarissima sit et nimis pretiosa. Haec enim moraliter intellegenda sunt.

c) Permitti etiam potest ut *absque luminaribus* celebretur, si nulla substantia ad lampades nutriendas reperiri possit; sed hic requiritur vera necessitas, et de necessitate ista graviter oneratur coscientia Ordinarii. Huc pertinet responsum severum S. *Officii*, ad episc. Brixinensem 30 iun. 1858, postulantis ut urgeat necessitas et aliter fieri nequeat (1). Necessitas aderit, si ministrandum sit viaticum, vel si populus aut ipse celebrans non possit die festo aliter audire sacrum (PUTZEYS, n. 161, p. 277); immo hodie sufficere putamus ut propter aliam gravem rationem missa non videatur omittenda.

109. - « *5. Permittendi ut in utraque purificatione calicis aqua tantum adhiberi possit, dummodo tamen extrema adsit vini deficientia* »

a) « Peccaret quidem sacerdos, si in purificatione calicis sola aqua uteretur... Sed hoc non erit plus quam veniale, ut communiter dicunt » (S. ALPHONSUS, L. 6, n. 408).

b) Praesenti facultate usus solius aquae per-

(1) Allegatur ab AICHNER, quem citat PUTZEYS, n. 161.

mitti potest, sed severa condicio apponitur « dummodo extrema adsit vini deficientia ».

110. - *Nn. 6 ad 11* inclusive concedunt quod formula secunda minor concedit nn. 4 ad 9 inclusive. Cf. explicationem, supra, nn. **52-55** et **87. 83.**

111. - « *12. Permittendi ut, in locis ubi olivae non inveniuntur, et nulla alia substantia ad lampades nutriendas haberi potest,* ss. Sacramentum *etiam* sine lumine asservari *possit, in casu tamen verae necessitatis et graviter onerata conscientia ipsius Ordinarii.* »

a) Ex c. 1271, coram tabernaculo una saltem lampas diu noctuque continenter lucere debet, « nutrienda oleo olivarum vel cera apum ; ubi vero oleum olivarum haberi nequeat, Ordinarii loci prudentiae permittitur ut aliis oleis commutetur, quantum fieri potest, vegetalibus. »

Sub gravi praecipitur ut lumen ardeat. Minus constabit de gravi peccato illius qui aliud lumen lumini ex oleo vel cera substituat, propter dicta de lumine adhibendo in sacrificio missae.

b) Deficiente omni substantia qua lampades nutriantur, praesens facultas Ordinario indulget ut permittat asservationem sine lumine. Sed vera necessitas postulatur et graviter oneratur eius conscientia. Non sufficit ergo ut materia deficiat ; sed oportet praeterea ut sit moralis necessitas servandi ss. eucharistiam. Haec habebitur, si secus non esset praesto viaticum aegrotis ministrandum, vel etiam si secus populus vel communitas religiosa non posset iam sanctissimum visitare in ecclesia.

112. « *13. Permittendi si ab haereticis vel ab infidelibus sit periculum sacrilegii, ut* ss.mum Sacramentum *pro infirmis,* sine lumine *in loco tamen decenti* retineri *possit.* »

a) Prorsus diversa est haec causa a superiore. In superiore, mere deficiebat materia ad nutriendam

lampadem; hic, materia non deest, sed periculum habetur sacrilegii si sanctissimum in consueto tabernaculo vel cum lumine asservetur. Periculum istud etiam a fure catholico, sed parum pio, interdum timendum est. Ad usum facultatis non est opus ut periculum proficiscatur ab haereticis vel infidelibus: hi nominantur quia profanatio frequentius a talibus timenda est.

b) Ad avertendum istud periculum, Ordinarius permittere potest ut ss.mum pro infirmis extra ecclesiam vel sacellum, in loco decenti asservetur et quidem sine lumine. Locus decens erit conclave, distinctum a proprio missionarii cubiculo; atque optandum est ut ibi sit tabernaculum.

c) Si per solam noctem periculum timendum sit, ss.mum consueto more servetur per diem; et noctu, in loco tuto abscondatur.

d) « Si sanctissimum in domo sacerdotis asservatur et in ea nullum sacrilegii ab haereticis timendum est periculum, neque incommodum sat grave excusat », lumen requiri videtur... « Impotentia tamen, paupertas sine remedio, aut alia gravis causa excusare potest ». (PUTZEYS, n. 165).

113 - 14. Hoc numero idem conceditur quod n. 10 formulae secundae minoris. Cfr. explicationem, n. **56**.

114. - « *15. Permittendi suis missionariis ut* administrare *valeant christianis graviter decumbentibus* ss.mam Eucharistiam sine lumine *et sine superpelliceo et stola, dummodo constet de periculo cui exponerentur, si induerent superpelliceum et stolam, lumenve accenderetur* ».

a) Per se, sacramentum publice deferendum est ad infirmos, ac proin cum lumine; et cum lumine est administrandum. Et sacerdos stolam et superpelliceum induere debet.

Ministrare eucharistiam sine lumine... reputatur tantum veniale, ut communiter dicunt... Ministrare autem sine stola et superpelliceo communiter censent DD. esse mortale ex genere

suo... Omissa tamen tantum stola, dicit RONCAGLIA pluribus videri solum veniale (S. ALPHONSUS, L 6. n. 241.) Quare non excedet veniale, ministrare cum stola sine superpelliceo.

b) Vi praesentis facultatis, non subdelegabilis, potest Ordinarius permittere suis missionariis ut christianis graviter aegrotantibus ss. eucharistiam ministrent sine lumine et sine superpelliceo et stola. Non sola *viatici* ministratio sed etiam *communionis* ex devotione, sic permitti potest. Oportet tamen ut ministretur graviter, quamvis fortasse nondum periculose, aegrotantibus; atque, ut condicio, additur ut constet de periculo cui vel missionarii vel christiani exponerentur, si induerent superpelliceum et stolam, lumenve accenderetur. Et si solum lumen sit periculosum, vestes erunt adhibendae; et contra.

Graviter aegrotant autem qui ex morbo notabiliter affliguntur, vel quorum morbus facile evadere potest periculosus et mortalis.

c) Memoranda est hoc loco facultas c. 847, qui permittit ut *ob iustam et rationabilem causam* sacra communio ad infirmos occulto deferatur. Rationabilis causa esse potest, praeter periculum publicae irreverentiae, oppositio familiae aegroti, timiditas ipsius aegroti, incommoda nimis frequentis delationis publicae, negatio publicae delationis a parocho, qui tamen nolit ipse eucharistiam occulto deferre.

Quando ss. eucharistia occulto defertur, sufficit licentia cuiuslibet rectoris ecclesiae seu custodis ss. eucharistiae. Ritus autem a BENEDICTO XIV constitutus observandus est.

« Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo seu bursa pyxidem recondat quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et numquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici associetur ». Postrema tamen rubrica in non uno loco satis saepe neglegitur. Cf. *Epitome iuris*, II, n. 114.

Per se quidem in cubiculo aegroti lumen foret parandum; sed omissio luminis non censetur gravis.

115. - *Nn. 16 et 17* reperiuntur in formula minore, nn. 11 et 12. Cf. supra, nn. **57** et **90**.

116. - « *18. Permittendi iusta de causa, ut suis subditis omnes* sacri Ordines, *etiam presbyteratus, diebus ferialibus etsi continuis conferri possint.* »

a) Ex iure comuni c. 1006 ordinationes in sacris celebrandae sunt sabbatis quattuor temporum, sabbato ante Dominicam Passionis et sabbato sancto. Licet tamen episcopo easdem, ob iustam causam, habere quolibet die dominico aut festo de praecepto. Ac facultas ordinationis *extra Tempora* ordinationes iisdem diebus dominicis aut festis permittit. Praeterea ex c. 978, § 2, tres menses inter singulas ordinationes in sacris intercedere deberent « nisi necessitas aut utilitas Ecclesiae, iudicio episcopi, aliud exposcat ».

b) Praesenti autem facultate, potest Ordinarius permittere ut tribus diebus, etiam *ferialibus*, quamvis *continuis*, sacri ordines suis subditis conferantur. Et sufficit iusta causa, qualis facile erit incommodum reperiendi episcopum, mittendi ter ad episcopum suos subditos.

c) Facultas ista erga subditos videtur ubique exerceri posse, praesertim cum concedatur utenda Superiori qui non est episcopus et in cuius territorio per se nullus episcopus reperitur. Subditi autem manent ipsius clerici, etiam si alibi studiis vacent.

d) Specialis mentio fit de diebus continuis, quia antea saepe apponebatur haec exceptio: « diebus tamen non continuis ».

117. - « *19. Dispensandi, gravi tamen de causa, cum utriusque cleri* diaconis *super* defectu aetatis *decem et octo mensium, ut, eo non obstante, ad s. Presbyteratus ordinem promoveri possint, dummodo idonei sint, et dimidiam partem quarti anni cursus*

theologici rite, secundum Codicis praescriptiones, c. 976, absolverint. »

Hoc loco conceditur facultas dispensandi in aetate, sicut n. 13 formulae secundae conceditur, ita tamen pro anno hic permittatur dispensatio a 18 mensibus. Cf. supra n. **91**.

118. - Nn. *20. 21. 22* conceditur in *impedimenta matrimonii* facultas quae etiam in nn. 14. 15 et 16 secundae formulae tribuitur. Itaque explicata est, supra, nn. **92. 93. 94**.

119. - « *23. Dispensandi cum gentilibus et infidelibus* plures uxores *habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retineri possint, nisi prima voluerit converti* ».

a) Facultas ista, inter speciales quae antea iam concedebantur, eodem tenore, a nobis exscripta est in nostro libello *De casu Apostoli* n. 81, ubi etiam explicatur. Observes eam valere pro muliere quae in polyandria versetur ; polygamiam esse posse *simultaneam* vel *successivam*, ac primae uxori interpellationem esse faciendam utrum necne ipsa converti velit. Si autem omne matrimonium dubium fuerit, licet sine speciali facultate permittere infideli ut quamlibet christianam ducat. Et si non recordetur quaenam uxor sit prima, quamlibet retinere poterit quae fiat christiana. Immo, ex C. *Altitudo* PAULI III, 1. iun. 1537, quae c. 1125 ad omnes regiones in similibus adiunctis est extensa, potest unam ex illis uxoribus accipere quam voluerit ut cum ea matrimonium contrahat per verba de praesenti, ut moris est. Etenim, ob suam ignorantiam de prima uxore, non habet nisi dubium matrimonium.

Prima autem uxor non est necessario ea quae ei primo coniuncta est, sed quacum primum matrimonium certum fecerit.

Si nulla uxor converti voluerit, non potest Ordi-

narius, sine speciali facultate, uti sua generali potestate dispensandi in impedimento disparitatis cultus ut polygamus *aliam* paganam ducat.

b) Attendenda quoque hic est extensio ad alias regiones, per c. 1125, duarum aliarum Constitutionum i. e. S. Pii V, *Romani Pontificis*, 2 aug. 1571, et Gregorii XIII, *Populis*, 25 ian. 1585. Iam vero, C. *Romani Pontificis* permittit ut polygamus maneat cum uxore quae cum ipso baptizetur, sine ulla distinctione primae vel alterius et sine interpellatione primae.

120. - « *24. Dispensandi super* interpellatione *coniugum in infidelitate relictorum pro omnibus* casibus ordinariis, *dummodo scilicet, adhibitis antea omnibus diligentiis, etiam per publicas ephemerides ad reperiendum locum ubi coniux infidelis habitat, iisque in irritum cessis, constet saltem summarie et extraiudicialiter coniugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum infra tempus in monitione praefixum suam voluntatem non significasse.* » (1)

a) Iam ante Codicem distinguebatur ordinaria et extraordinaria facultas dispensandi in interpellatione. *Ordinaria* describitur ipsis verbis formulae ; *extraordinaria* confertur n. 25 praesentis formulae.

Ex ipsis S. *Officii* responsis, collegimus, n. 77 opusculi de *Casu Apostoli*, facultatem istam exercri posse quotiescumque interpellatio cernatur ob absentiam et distantiam coniugis, vel ignoratam residentiam (adhibitis tunc diligentiis ad eam inveniendam) impossibilis aut certo inutilis fore.

b) Atque, ex c. 1125, norma Brevis *Populis ac nationibus* tuto applicari potest.

c) Itaque ex hac facultate dispensari poterit in

(1) Nn. 24 et 25 conceduntur facultates quae omnibus competere videntur vi c. 1125 qui ad alias regiones extendit CC. Pauli III, S. Pii V et Gregorii XIII, de lato usu privilegii Paulini. Commodum tamen facultatum istud est, ut normas praescribant prudentis applicationis praefatarum constitutionum.

interpellatione: quando, diligenti perquisitione facta, *locus residentiae prorsus ignoratur*; - quando ne *nuntiis* quidem *aditus patet* ad locum ubi infidelis residet; - quando ipsa *distantia* nimiam difficultatem affert, (distantiam istam S. Sedes numquam definire voluit); - quando infidelis monitus, intra statutum tempus non respondit; - quando certo argumento monitio *inutilis* esse iudicetur; - ob *urgentem necessitatem*, i. e. ni fallimur ob necessitatem talem in qua possint episcopi a matrimonialibus impedimentis dispensare: i. e. quando alia via non suppetit vitandi grave damnum partium vel innocentis, nec tempus habetur S. Sedem adeundi.

Processus autem summarius conficiendus est. I. e. scripta relatio paucis verbis facienda est unde necessitas dispensationis appareat. Ubi tamen constet de ratione, processus non est ad valorem requisitus.

121. - « *25. Itemque dispensandi super* interpellatione *coniugis in infidelitate relicti, siquidem certo constiterit, saltem summarie et extraiudicialiter, interpellationem fieri non posse sine evidenti* gravis damni *aut coniugi iam ad fidem converso aut christianis inferendi periculo.*»

a) Haec est facultas quae dicebatur *extraordinaria* et pro certo tantum casuum numero concedi solita erat. Hic quidem coniux adiri potest; sed interpellatio secumfert manifestum periculum gravis damni vel coniugi, vel proli, vel aliis christianis.

b) Non quidem damnum, sed eius *periculum* certum esse debet, ita ut praesumptio per se non sufficiat.

c) Atque iterum praecipitur processus summarius conficiendus.

122. - « *26. Permittendi ut, accedente gravi causa,* interpellatio *coniugis infidelis* ante baptismum *partis quae ad fidem convertitur fieri possit; necnon, gravi*

pariter de causa, ab eadem interpellatiane ante baptismum partis quae convertitur dispensandi, dummodo, hoc in casu, ex processu saltem summario et extraiudiciali constet interpellationem fieri non posse, vel fore inutilem. »

a) Haec facultas, subdelegabilis sicut tres praecedentes, ante Codicem rarissime concedebatur. Anticipata ista interpellatione interdum provideri potest illi qui necessariam ad baptismum obligationem aegre impleret. Requiritur autem ut, post interpellationem, discessus demonstretur talis qui post baptismum perseverare censeatur.

b) Causa erit, v. g. si nimis difficile post baptismum, obtineretur temporaria separatio eorum qui, aliqua bona fide late dicta, simul vivunt. Temporaria ista separatio indicenda foret usque ad responsum coniugis infidelis quo is negat cohabitationem.

c) Conceditur quoque, in iisdem adiunctis, facultas *dispensandi* ab interpellatione, *ante baptismum*. Praeter gravem causam, opus est ut ex processu saltem summario et extraiudiciali constet interpellationem moraliter fieri non posse, aut fore inutilem.

B. *Circa absolutiones, benedictiones, indulgentias, etc. etc.*

123. - *Nn. 27 ad 43* inclusive sunt etiam in formula minore nn. 17 ad 33, inclusive. Cf. explicationes, supra, nn. **60** ad **62**; **73**; et **95** ad **101**.

124. - « *44. Permittendi suis missionariis ut artes* medicinae *et* chirurgiae *exercere valeant, dummodo in illis periti sint, operentur absque incisione, praeterquam ad sanguinem emittendum, et nihil exigant pro huiusmodi exercitio; et in curandis mulieribus ea vitent quae sanctitatem characteris quo insigniti sunt, dedecent.* »

a) Canone 139 prohibentur clerici atque etiam religiosi non clerici, ne sine apostolico indulto medicinam vel chirurgiam exerceant.

b) Quia, in missionibus, ipsa caritas exceptionem postulat, et beneficiis corporalibus viae conver-

sionibus aperiuntur, indultum hoc numero *prudenter* conceditur. Quare in primis exigitur *peritia* in exercente.

c) Excluditur incisio, quae lenitati clericali est minus consentanea, et facile periculosa evadit. Exclusio tamen non iam est absoluta ; cum permittatur ad sanguinem emittendum. Atque ex peculiari concessione S. Pontificis, licentia extendi potest ad quasdam « operationes » non difficiles et valde beneficas, ut est operatio qua hernia sanatur, si vere peritus adsit.

d) Ne tamen aliqua specie avaritiae beneficium minuatur neve ex artibus quae per se a vocatione sua alienae sunt missionarii sustentationem quaerant, condicio apponitur gratuiti exercitii.

e) Sanctitas vocationis peculiarem curam postulat modestiae, si ipsae mulieres curandae sint. Ad Superiores pertinet cautiones quas tempora et loca postulant praescribere.

f) Etiam seclusa praesenti facultate, missionarius peritus potest ipsa lege caritatis cogi ut urgenti necessitati succurrat.

125. - *N. 45* datur facultas quae in formula secunda minore et in prima conceduntur sub nn. 34 et 24. Cf. supra n. **74.**

126. - « *46. Dispensandi cum catholicis pauperibus qui opera sua valde indigent, ut* serviliter laborare *valeant* diebus Dominicis, *exceptis Paschate et Pentecoste, post tamen s. missae auditionem, si possit audiri ; si vero non possit, recitatis precibus suppletivis.* »

a) Facultas dispensandi in hoc Ecclesiae praecepto, eaque delegabilis, conceditur pro singulis casibus Ordinariis et parochis c. 1245. Ut ergo praesens concessio aliquid efficiat, dicemus hic facultatem subdelegabilem concedi dispensandi etiam *habitualiter* catholicos pauperes qui opera sua valdeind igent; ita ut Ordinarius possit etiam edicto generali non tamen perpetuo, nomine S. Sedis, hanc dispensationem promulgare.

b) Quando usus fit facultatis iuris communis, nulla peculiaris postulatur condicio. Si vero usus fit praesentis facultatis, tunc duo festa sollemnia excipienda sunt; ac praeterea imponenda est auditio s. missae vel, si eius occasio non habeatur, recitatio precum suppletivarum, quas dispensans indicare pro adiunctis poterit: v. g. Rosarium integrum vel, cum litaniis Sanctorum et actibus fidei, spei et caritatis, unam coronam B. M. V. vel coronam cum exercitio viae crucis.

C. Pro ipso Ordinario.

127. - Nn. *47. 48. 49.* idem concedunt quod nn. **35. 36.** et **37.** formula secunda minore conceditur. Cf. supra, nn. **102. 76.** et **77.**

His facultatibus addendum est Supplementum de quo, nn. **80-82.**

II. Formula Tertia maior.

128. - Formula haec non differt a minore; nisi n. 2 de confectione oleorum sacrorum, de qua diximus, n. **104**;

N. 47, de asservatione ss. eucharistiae in sacello domus stabilis residentiae suae, de qua egimus, n. **74**;

N. 50, de usu throni cum baldachino et cappa magna; de nominatione in canone et precibus ferialibus, quod privilegium declaratum est n. **78**.

His addas, ex n. **83**, Supplementum pro formula maiore.

CAPUT III.

DE COMPARATA RATIONE PRAESENTIUM FORMULARUM ET EARUM QUAE URBANO VIII PONTIFICE REFORMATAE PRODIERUNT.

129. - Si praesentes facultates comparemus cum iis quae, regnante URBANO VIII, reformatae sunt, haec pauca observanda veniunt.

1. Non pauca dubia de significatione facultatum, magis perspicuis enuntiationibus sublata sunt.

2. Magis liberali manu communicantur facultates Vicariis generalibus et omnibus qui aliquo titulo Praesidi territorii succedunt; et simpliciore formula permittitur communicatio omnibus missionariis vel subditis, facta tamen accuratiore distinctione facultatum quae subdelegari possunt et facultatum quae ab ipso Ordinario (vel a suo Vicario generali vel Vicario delegato) exerceri debent.

3. Magis generaliter conceditur facultas absolvendi a censuris, dispensandi a votis et ab impedidimentis matrimonii. Quod prorsus menti novi Codicis consentaneum est.

4. De dispensatione ad irregularitatibus, a lege ieiunii et abstinentiae et de facultate circa libros prohibitos, in novis formulis siletur.

Silentium istud explicandum nobis videtur facultatibus quae iure communi omnibus Ordinariis concessae sunt. Sic c. 990 dat non solum Ordinariis eorumque delegatis in irregularitates facultatem quae formulis concedi consueverat, sed etiam confessarios munit potestate in casibus urgentioribus.

Canon 1245 non soli Ordinarii locorum, sed etiam parochi obtinent facultatem ordinariam, ac proin delegabilem, dispensandi, in casibus singularibus ab observationibus festorum et ieiunii et abstinentiae.

Canone 1401, Ordinarii ecclesiastica librorum prohibitione non astringuntur; atque, c. 1402, § 1 conceditur potestas dandi, in casu urgentiore, licentiam pro singulis libris. Primis formulis saeculi XVI nihil plus concedebatur. Atque, cum nunc facultates S. C. *P. F.* magis reserventur missionibus proprie talibus, fortasse minor existimata est necessitas dandi generaliorem facultatem quae, per S. C. *P. F.* si opportunum videtur a S. C. S. *Officii*, obtineri potest, ut ipso c. 1402, § 2 insinuatur.

QUAESITA VARIA

QUAESITA COMMUNIA SAECULARIUM

8. - De partitione cleri inter duas dioecesis divisae partes.

Prima quaestio. Magna quaedam dioecesis in duas partes ita dividitur, ut, permanente antiquae dioecesis titulo, nova dioecesis ex parte altera constituatur.

An et quousque clerici, antiquae dioecesi adscripti, cogi possunt ad transitum in dioecesim de novo erectam?

R. Quaestionem hanc consideramus abstrahendo ab omni positiva S. Sedis decisione. Securior semper et facilior via erit recursus ad Summum Pontificem, a quo postuletur ut sive per se ipsum, sive per S. Congregationem Concilii opportuna applicare velit remedia (1). Quae tamen decisio si deficiat, in afferenda solutione, sequentia adminiculo esse posse videntur principia atque consectaria.

Relatio quae clericum suae dioecesi ligat, constituitur tum iure, tum obligatione, et quidem duplici sub respectu:

a) Clericus, postquam fuerit dioecesi adscriptus, ius habet ut non arbitrarie e clero eiusdem dioecesis expellatur; cui iuri correlativa respondet obligatio ex eadem dioecesi non exeundi. Haec tamen obligatio

---

(1) Sic recenter provisum est partitioni cleri inter dioeceses Cameracensem et Insulensem, per bullam *Concistoriali decreto*, 25 oct. 1913, qua Insulensis dioecesis erecta est, et ut statim ac Cameracensis dismembratio novaeque dioecesis Insulensis erectio effecta sit, eo ipso presbyteri iure adscripti censeantur et sint dioecesi in cuius territorio, vel curae animarum vel alio ecclesiastico officio legitime addicti exstant (Cf. A. A. S. 5 (1913) p. 482.

(2) *Quemlibet clericum oportet esse vel alicui dioecesi vel alicui religioni adscriptum, ita ut clerici vagi nullatenus admittantur* (can. 111, § 1).

non eodem rigore urget ac praedictum ius; aliquando enim ratio adesse potest aliam quaerendi dioecesim, dum numquam nisi in casu degradationis, clericum e dioecesi expellere licet; ac, si de dioecesis mutatione agatur, coacta translatio ad novam dioecesim characterem haberet alicuius poenae quae in iure canonico prorsus ignoratur.

b) Clericus ius habet ut ab episcopo suo beneficium aliudve officium ecclesiasticum recipiat, inspectis suis dotibus suaque capacitate. Cui iuri correlativa respondet obligatio munus ecclesiasticum ab episcopo commissum accipiendi. Quae rursus obligatio non tam absolute urget ac praefatum ius; etenim ut clericus stricte cogi possit ad munus ecclesiasticum suscipiendum, interveniat necesse est vel Ecclesiae necessitas, vel specialis titulus quo forsan clericus ad subdiaconatum promotus sit, vel ratio expensarum quas forsan episcopus educationi clericali subditi sui praestiterit.

His principiis consideratis, patet imprimis adscriptionem determinatae dioecesi omnino impedire ne clericus, contra suum renisum, ad dioecesim extraneam mittatur.

In casu tamen subiecto fatendum est dioecesim noviter erectam non esse undequaque nec pro omnibus prorsus extraneam. Etenim materialiter, quoad territorium et incolas, cum antiqua dioecesi partim concordat; formaliter quoque cum eadem colligatur, siquidem ab ea enata sit per S. Sedis supremam decisionem.

Ex altera parte, pro quibusdam clericis qui iam pridem in antiquae dioecesis territorio laboraverunt, translatio ad dioecesim noviter erectam facile odiosa evadere potest. Quod tunc praesertim accidet, si translatio ad locum valde remotum facienda sit, vel si nova dioecesis subsidiis materialibus aut spiritualibus destituatur.

In solvenda proinde difficultate, duo haec prae oculis sunt habenda et, in quantum possibile, concilianda: ex una parte, personalia singulorum clericorum iura; ex altera parte, spirituales novae dioecesis necessitates.

Deficiente regula positiva speciali, sequentes normae, tamquam aequitati canonicae conformes, proponi posse videntur: 1. Erecta nova dioecesi, episcopus antiquae dioecesis a suis clericis expostulabit utrum nonnulli ad novam transmigrare cupiant vel consentiant; 2. Si sufficiens numerus non se praesentat, illi clerici ad servitia novae dioecesi praestanda urgendi essent, qui origine simul et domicilio speciales iam cum nova diocesi habent relationes; quibus subsidiarie addi possent illi qui diuturnum, puta 20 annorum, domicilium in nova dioecesi absque origine, habent. In urgendo, episcopus opportune utetur suasionibus et praeceptis; non tamen regulariter censuris, propter characterem insolitum et in iure ignotum praecepti de quo agitur. Censurae ceterum cum magna circumspectione et tantum in poenam delicti bene qualificati ferendae sunt (can. 2241 et 2242).

Non vellemus tamen omnem censurae usum excludere, praesertim si, urgente populi necessitate, aliquis clericus, iam diu in nova dioecesi constitutus, opem suam novae dioecesi praestare recusaret, etiam provisionaliter et usque dum S. Sedes rem definitive solveret.

3. Hisce mediis incassum adhibitis, ulterior coactio limites episcopalis potestatis excedere videtur. Unica tunc remaneret via: recursus nempe ad Sedem Apostolicam, quae sive missionarios mittendo, sive aliquos antiquae dioecesis clericos cogendo, spiritualibus utriusque dioecesis necessitatibus providebit.

Secunda quaestio. An clerici quorum interest ius habent ad regulas cognoscendas, quibus motus est

episcopus in facienda cleri inter duas dioeceses partitione ?

R. Complexus rationum quibus motus est episcopus non debet ex integro et ex professo publici iuris fieri. Cum tamen de decisione agatur quae ordinariam episcopi potestatem praetergreditur et iura quaesita laedere potest, illi quorum interest ad privatam illarum regularum notitiam ius habere videntur. In iure enim canonico receptum est, relationes inter episcopum et clerum saecularem, deficiente in episcopo potestate dominativa, per principia regendas esse in lege vel saltem in praecepto nota et manifestata.

Ipsa suspensio *ex informata conscientia*, per modum censurae irrogata, exigit ut clerico causa patefiat, propter quam suspensio infligitur (can. 2188, 2°).

Tertia quaestio. — In una divisae dioecesis parte, frequentiores sunt clericales vocationes quam in altera. Episcopus cuius dioecesis maiori vocationum numero gaudet, promittit collegae suo se quotannis aliquot sacerdotes ipsi ad tempus commodaturum esse. Potestne hoc temporarium in nova dioecesi servitium ab episcopo clericis suis imponi ?

R. Tale servitium, quamvis temporarium, proprias certe saecularium clericorum obligationes non subintrat. Receptum enim est unumquemque clericum pro suae dioecesis servitio ordinari : can. nempe 969, § 1, declarat neminem ordinari posse, qui « iudicio proprii episcopi non sit necessarius vel utilis ecclesiis dioecesis, ad quam scil. legitimo titulo pertinet. Quamvis can. 128 in genere edicat clericos per suum episcopum adigi posse ad munus suscipiendum, quoties id exigat Ecclesiae necessitas, can. 969 aliique Codicis loci paralleli clare evincunt ista verba intellegenda esse de necessitate dioecesis ad quam clericus iuridice pertinet. Motiva ceterum ex origine vel domicilio desumpta, quae in responso ad primam quaestionem allega-

vimus, nequeunt in praesenti casu invocari. Remanet ergo dicendum, episcopum posse tantum clericos suos vivide adhortari, expositis intimis utriusque dioecesis relationibus, necnon bono spirituali animabus praestando.

Quae solutio etiam tunc servanda est, quando clericus titulo missionis, aut servitii dioecesani, aut alio quodam simili titulo ad ordines maiores promotus est. Semper enim, hac in materia, principium praevalet, vi cuius relationes quasi contractuales non exsistunt, nisi clericum inter atque propriam ipsius dioecesim. (1)

Quarta quaestio. — An potest episcopus, antequam clericos suos ordinet, per modum condicionis exigere ut praedictum temporarium servitium se praestituros esse spondeant?

R. Ante tonsurae collationem, si candidati numero superabundanti se offerunt, potest episcopus hanc exigere promissionem, cum simpliciter admittere non teneatur candidatos quorum numerus necessitates suae dioecesis superat. Si vero iste numerus non est pro dioecesis propriae necessitatibus nimius, promissio illa exigi non posse videtur; debet enim tunc episcopus candidatos, qui vocationis signa prae se ferunt, pro sua dioecesi admittere. Post tonsurae collationem promissio illa nequit exigi, cum iam ipsa tonsura vinculum inter clericum ac dioecesim fundet, iuxta regulas ordinarias interpretandum.

Promissio oboedientiae a neo-sacerdote in ordinatione emissa, non se latius extendit quam iuris communis regulae patiuntur.

Quinta quaestio. — Clericis mere tonsuratis, vitam religiosam ingredi cupientibus, potestne episcopus

---

(1) Cf. F. CLAEYS BOUUAERT. *De canonica cleri saecularis obedientia* p. 259 ss. Lovanii, 1904.

imponere ut, antequam ad religionem transeant, unius anni servitium in collegio aliquo dioecesano adimpleant?

R. Nisi specialia interveniant adiuncta, hoc imponere nequit episcopus. De iure enim libere possunt clerici minores vitam religiosam ingredi: hoc sequitur *a fortiori* ex eadem libertate clericis maiorum ordinum relicta (can. 542, n. 2), necnon ex facultate redeundi ad statum laicalem (can. 211, § 2). Quoad specialia adiuncta, hoc est notandum: a) Educatio clericalis, hucusque gratuito ab episcopo procurata, strictum ius per se episcopo non confert; talis enim gratuitas est beneficium quod, de se, intactum relinquit exercitium ulterioris iuris a clerico forsan expetendi; b) condicio expresse ab episcopo vel a fundatore, in vicem gratuitae educationis imposita, titulum utique dare potest tale servitium exigendi. Tunc enim intervenit quasi contractus, quo clericus se determinatae cuidam obligationi obnoxium reddidit. Spatium autem unius anni profecto non excederet legitimam durationem servitii praestandi per tempus moraliter computandum.

F. Claeys Bouuaert
Prof. in Seminario Gandavensi

QUAESITA PROPRIA RELIGIOSORUM

9. - De ultro accepta iurisdictione parochi.

I. Species facti. - Titius, professus religionis clericalis exemptae, in loco versatur unde cum Superioribus suis communicare nequit. Proxime instat dies ieiunii. Iustam causam habet cur a ieiunio ab habente facultatem dispensari possit, quamvis non

ita seria sit causa, ut, absque dispensatione se excusatum aestimare queat. Inde adivit parochum loci, ut ab eo obtineret dispensationem quam a Superiore proprio impetrare non poterat.

Quaeritur iam utrum necne parochus sua potestate dispensandi in temporibus sacris erga religiosum istum efficaciter uti queat.

II. Resp. - 1. In primis optime fecit Titius, dum nullam facultatem sibi ex praesumpta voluntate Superioris sui ascripsit. Id enim interest inter licentiam et dispensationem, ut licentia, non vero dispensatio praesumi possit. Si quidem dispensatio non fit nisi a voluntate quae agat; praesumpta autem voluntas nihil agere potest, cum non exsistat sed mere esset si Superior rei conscius fieret.

2. Loquendo de ultro accepta iurisdictione Episcopi, haec in altera nostri operis *De religiosis domibus et personis* editione scribebamus: « Res non vacat dificultate, cum fictione iuris censeantur Regulares versari extra dioecesim, nec possint remittere suam exemptionem qua commendatur etiam S. Pontificis auctoritas. Nec res recentibus responsis S. Sedis est dirempta. Ita S. *Officium* (Cf. *Coll. Prop. Fid.* ed. 1. n. 1172) prius negavit Episcopo usum adversus Regulares *sua facultate* quinquennali dispensandi in aetate promovendorum; dein, 29 ian. 1896, eundem non concessit nisi facto verbo cum Sanctissimo.

« Nihilo minus communis hodie sententia, nixa praesertim reg. 61 iuris in 6°: « Quod ob gratiam alicuius conceditur non est in eius dispensdium retorquendum », id concedit fieri posse, modo proprius annuat Superior. Cfr. Sanchez, *in Decalogum*, l. 4, c. 39, n. 27 sqq. Piat, *Praelectiones iuris regularis*, I, p. 103, q. 9; II, p. 448, q. 26 ».

De parocho quaestionem umquam motam fuisse ignoramus.

In praesenti casu fortasse quispiam Titium nostrum considerare velit ut peregrinum, quem parochus in territorio suo a ieiunio dispensare profecto potest: sed, cum iurisdictio in regulares non sit territorio circumscripta verum personas ubique afficiat, religiosus minus proprie peregrinus vocari potest.

Attamen, in benignam sententiam inclinamus ob rationes factas de iurisdictione episcopi, quae hic aeque valere videntur et minore periculo adhibentur. Nullatenus enim est timendum ne ex petita dispensatione a parocho, episcopus quaedam nova iura in exemptos sibi vindicare cogitet.

Neque obstat licentiam Superioris non fuisse a Titio petitam. Etenim, cum solus consensus Superiorum sit habendus, assensus iste praesumi hic potest.

Accedit confirmatio ex mente Codicis qui religiosis indulget usum indultorum quibus Ordinarii locorum leges Ecclesiae temperare permittuntur.

PARS PRIOR

QUAESITA VARIA

QUAESITA PROPRIA RELIGIOSORUM

10. - De electione capitulari — I. **Species Facti**. Titius suffragiis capituli generalis, Superior religionis eligitur. Honorem istum et onus ferre recusat. Estne hoc ipsi integrum?

Resp. 1. Ipsae approbatae Constitutiones vetant interdum ne electus munus declinet: quo casu, constitutionibus standum esse liquet.

2. S. Pontifex, vel etiam, si agatur de instituto dioecesano, Episcopus vel quasi-episcopus, ex potestate sua dominativa vel iurisdictionali in religiosos, possint electo praecipere ut electionem acceptet. Id enim bono Instituti requiri potest, nec ab Instituto alienum est ut sit qui ei praesit.

3. Seclusis his casibus, obligatio acceptandi munus demonstrari nequit. Immo contrarium probatur. Etenim, attentis generalibus canonibus de electione, ex c. 175, potest electus intra octiduum utile a recepta intimatione suae electionis manifestare utrum munus acceptet an ei renuntiet; quo elapso octiduo, omne ius acquisitum electionis amittit; et ex c. 507, in electionibus religiosorum quae a capitulo fiunt, per se servandum est ius commune propositum cc. 160-182, inter quos c. 175 reperitur.

11. - De nominatione in consilio Generalis. Pleraeque nominationes Superiorum, si excipias Generalem cum assistentibus, fieri solent a Superiore generali cum suo Consilio. Hinc **quaeritur** utrum in

his nominationibus suffragium Consilii sit deliberativum an consultivum.

Resp. Codex de istis nominationibus nihil praecipit, ita ut Constitutiones sint observandae. Hae saepe statuunt ut nominationes fiant secretis suffragiis Consilii, et hi nominentur qui maiorem partem suffragiorum obtinuerint, facta interdum Generali facultate dirimendi suo suffragio aequalitatem suffragiorum. Silentibus Constitutionibus, recepto usu standum erit.

12. - De voce passiva, quaeritur utrum religiosus vel religiosa quae ad aliud Institutum transierit, servet, durante noviciatu, vocem passivam in religione a qua transiit?

Titia, religiosa votorum perpetuorum, obtenta facultate S. Sedis, Congregationis severioris noviciatum ingressa est. Dum ibi probatur, Sorores Instituti unde digressa est, consciae eius dotum, eam in Superiorissam generalem sibi eligunt. Valetne ista electio?

Resp. Eam valere arbitramur. Etenim, donec novam professionem fecerit, manet professa prioris religionis, et supposita aetate et antiquitate professionis, nulla qualitas in ea desideratur. Verum, ex ipso indulto quo transire ad aliud Institutum ipsi licuit, ei permittitur in eodem manere. Ergo optionem habebit vel acceptandi munus, redeundo ad priorem Congregationem, vel idem detrectandi.

13. - De integritate noviciatus.

Caius die 1 septembris noviciatum ingressus est. Propter gravem causam debuit in prima hebdomanda per tres dies abesse; proxime autem sequente mense augusti, per 28 octo dies abfuit, ita ut summa dierum quibus a mense septembri ad augustum abfuit esset triginta et unius dierum. Noviciatus itaque interruptus est, ita saltem ut die 2 septembris professionem facere non posset. Sed si annum canonicum computes a die quo post primam trium dierum absentiam rediit, tunc

per annum substantialiter integrum dicetur fuisse novicius, si ad 2 septembris una circiter hebdomada addatur et si dein suppleas 28 dies quibus in mense augusto abesse debuit. Poterit ergo professionem in primis diebus mensis octobris facere. Estne ista computatio legitima, an, contra, debentne tres priores dies absentiae cum 28 posterioribus necessario coniungi, ita ut rediens exeunte mense augusto, noviciatum per per annum integrum repetere debeat?

Resp. Nulla ratio cogit Superiorem et novicium ut omnes dies absentiae ita coniungant ut ad eundem noviciatus annum pertineant. Sed sicut, post interruptionem, profecto licet novicio a die quo rediit initium anni canonici computare, sic ante completam interruplionem, licebit ei formaliter vel virtualiter annum denuo inchoare. Et hoc censebitur fecisse ut non debeat per annum moraliter totum denuo probari.

Quaeritur praeterea utrum supplendi sint omnes dies quibus ultra quindecim, infra tamen triginta dies abfuerit, an, contra, sufficiat ut tot diess uppleantur quot satis sint ut novicius censeatur non iam ultra quindecim die abfuisse? Ut aliis verbis utamur, suntne supplendi omnes dies absentiae an soli qui quindecim superant?

Resp. Omnes esse supplendos apparet ex c. 556, § 2 quod icitur ad valorem satis esse ut *dies hoc modo transacti* - suppleantur. Dies hoc modo transacti sunt omnes qui cum licentia Superiorum extra noviciatum acti sunt.

14. - De publica ratione emittendi vota. Debentne vota religiosa ad valorem emitti coram duobus testibus?

Resp. Ius commune nihil tale postulat. Vota religiosa dicuntar publica non quatenus fiant palam, sed quatenus ab Ecclesia sunt acceptata (c. 1308 § 1); et c. 576 mere praescribit ut servetur ritus in Constitu-

tionibus praescriptus, et documentum emissae professionis ab ipso professo et saltem ab eo coram quo professio emissa est, subscriptum servetur in tabulario religionis.

15. - De confessione facta socio itineris. Ante Codicem ius commune regularium hoc habebat, ut religiosi in itinere confiteri deberent socio eiusdem Ordinis qui esset idoneus. Nunc, Codex, ubi disciplinam de confessione religiosorum tradit, casum silentio praetermittit.

Inde **quaeritur** utrum necne disciplina ista perseveret, cum agitur de religiosis Institutorum clericalium exemptorum. (Alii enim, sicut antea, licentiam seu facultatem Ordinarii loci confessionis consequendam habent ut possint etiam suorum confratrum confessiones excipere.)

Resp. Si Constitutiones expresse iurisdictionem socio itineris tribuant, confessio apud socium institui poterit; si vero de re taceant, omnino procurandum videtur ut Superior competens rem declaret. Ratio est quia c. 879 ad confessiones valide audiendas exigit iurisdictionem *scripto vel verbis expresse concessam.*

16. - De excusatione a praecepto communi Ecclesiae.

Species facti. Sorores quaedam, etsi non stricta clausura papali obligatae, perraro tamen e claustris exeunt. Deficiente cappellano, iam non habent copiam assistendi missae in proprio sacello. **Quaeritur** utrum necne possint se existimare impeditos a sacro die dominica audiendo?

Resp. Casus faciliorem solutionem habebit si velint Sorores per litteras adire Episcopum, qui possit ad ipsas vel mittere sacerdotem, vel, si id opportunum iudicaverit, dispensationem ab ista observantia festiva concedere. Per se tamen, si re vera egressus e claustris sit quidpiam plane extraordinarium, et

tantum de paucis dominicis agatur, religiosae suo clausurae usu ab adeunda ecclesia excusabuntur. Namque, ex frequentiore egressu ipsa disciplina religiosa detrimentum facile patietur. Nec adeo difficile se demonstrant theologi in aestimando incommodo gravi propter quod praeceptum dominicale interdum omitti possit.

17. - De condicione monialis quae ad tempus degat in alio monasterio.

Species facti. In religione quae constat separatis monasteriis, ita ut singulae moniales sint singulis monasteriis addictae, fit ut ipsa S. Congregatio, propter communem religionis utilitatem, mittat monialem quandam ad fungendum munere, v. g. magistrae noviciorum, donec persona apta in ipso monasterio reperiatur. **Quaeritur** iam de iuridica condicione istius monialis.

Resp. Si ipsae Constitutiones rem non definiant, monialis ista consideranda est, non ut monialis monasterii in quo temporale munus adimplet, sed ut hospes. Igitur quaecumque spectant ad ipsum munus ei commissum possidebit, sicut omnis alia muneris istius praefecta; sed iura monialium monasterii qua talium (v. g. in capitulo) non participabit.

18. - De administratione temporali. In re temporali administranda, Superiores et oeconomi sedulo distinguere debent bona frugifera quae sunt vel tribuuntur ut capitale seu patrimonium unde Institutum reditus percipiat, et alia bona quae Instituto nondum sunt incorporata. Prioris rationis bona non possunt alienari nisi secundum leges statutas de alienatione. Dum erogatio aliorum bonorum mere regitur Constitutionibus et c. 537 de largitionibus quae fiant ex bonis religionis et quae non permittuntur nisi ratione eleemosynae vel alia iusta de causa. Itaque, ut quaedam pressius definiamus:

a) Summae pecuniarum receptae donatione, hereditate, salva positiva donantium vel legantium vo-

luntate, libere, ad normam Constitutionum, a Superioribus erogari possunt, v. g. ut domui magis indigenti succurratur, ut aedificium utile exstruatur.

b) De *titulis* bancariis, actionibus, obligationibus, res minus constat.

Possunt quidem, sicut pecunia, commutari, sed sunt tamen per se bonum aliquod frugiferum. Res videtur ex adiunctis dirimenda. Si sit separata tantum actio vel obligatio, haec potius pecuniae assimilabitur. Si, contra, agatur de complexu quodam actionum, qui gallice dicitur « *un portefeuille* », is pro capitali donari vel legari censetur.

c) *Dotes* religiosarum rationem habent capitalis, cum per vitam religiosarum sua cuique dos servanda sit, et prudenter, cum interventu Ordinarii, sit investienda.

d) Capitale quoque est summa obtenda venditione fundi *immobilis*. Immobilia enim bona secundum se patrimonium religionis constituunt. Pecunia ad modicum tempus, donec occasio utilis erogationis habeatur, deposita in argentaria vel conversa in titulos, non ideo rationem boni de quo Superior libere disponat, amittit.

Quaeres utrum summa 30,000 francorum seu libellarum, pro cuius alienatione requiritur beneplacitum Apostolicum computanda sit attentis singulis contractibus, an simul additis pactionibus ?

Resp. Dummodo vere sint distinctae pactiones, et non agatur in fraudem legis, solus separatus valor singularum pactionum vel susceptarum obligationum considerari debet.

19. - De renunctiatione bonorum. Species facti. Religiosus secundum canones 569 et 581 de usu et usufructu bonorum suorum ante primam professionem; de ipsis bonis ante professionem sollemnem disponere debet. Ac mutatio dispositionis de usufructu, quae per se fieri potest, exigit tamen beneplacitum S. Sedis, si sit notabiliter in favorem religionis. Post pro-

fessionem sollemnem, cum religiosus factus sit incapax dominii, ipse nihil mutare potest, sed summum declarare, si quaedam obscura fuerint in documento quo de bonis suis disposuit. Cum tamen adiuncta variare possint, Titius, qui Superioribus suis plane fidit, velit omni dispositioni suae, sive de reditibus, sive de ipsis bonis, hanc clausulam apponere, qua plena facultas conferatur Superior generali mutandi omnes dispositiones, sicut adiuncta suadebunt. **Quaeritur** iam, utrum clausula talis apponi valide et licite possit? Et si possit, an vi talis clausulae, possit ipse Superior generalis dispositionem de reditibus mutare in favorem communitatis?

Resp. Nullo Codicis canone clausula ista addi prohibetur. Quare, si religiosus, ultronea voluntate, seclusa omni fraude vel importuna prece Superiorum, ita disposuerit, erit prorsus efficax. Nec tunc, si adiuncta id suadeant, vetabitur Superior dispositionem in favorem Instituti mutare, cum haec mutatio solam exsecutionem, minime autem primam intentionem religiosi disponentis de bonis vel de reditibus suis afficiat.

QUAESITUM COMMUNE

20. - De Competentia Episcopi vel Quasi-Episcopi.

I. Vicarius Apostolicus duo officia nova liturgica suo Vicariatui a S. Sede impetravit. **Quaeritur** iam utrum regulares debeant an possint ista officia recitare?

Resp. Nullum dubium est de ipso Vicario Apostolico regulari, cum debeat in missa et in officio se conformare calendario sui Vicariatus.

Quod ad alios regulares, per se, concessio officii facta cuipiam dioecesi, etiam cum mentione, « pro utroque clero », non afficit regulares qui distincto calendario utantur, sed clausula « De praecepto pro

regularibus utentibus proprio calendario » necessaria est (*Decr. auth.* n. 3084 ad 1 in Eugubina, 26 mart. 1859. Cf. n. 181 ad 1; 2964 ad 1.)

Verum, in locis missionum, stylus S. C. Rituum istud habet. Vel in isto Vicariatu, deficiente clero saeculari, unicum est calendarium, vel est proprium, distinctum a calendario regularium. In priore casu, officia sunt concessa regularibus, non autem in altera hypothesi.

2. Ex facultatibus Cong. de *Propaganda Fide*. Ordinariis missionum conceditur facultas permittendi, ob aequam causam, anticipationem breviarii iam a meridie, dummodo officium preacedens sit totum persolutum. **Quaeritur** iam num possit Ordinarius facultatem istam concedere regularibus qui sunt in collegio religionis nec curae animarum in Vicariatu addicuntur.

Cum facultas ista simpliciter hoc verbo sit data « concedendi », videtur Ordinarius id posse, accedente consensu Superioris regularis missionis (is enim est quasi-Provincialis) ad quem spectaret facultatem istam ipse dare, si eam haberet.

3. Episcopus *statuta confraternitatis* probavit, reservato sibi iure eadem immutandi: quod ius ceterum ad ipsum iam per se pertinet. Ex statutis istis, confratres communi aliorum suffragio cooptantur. Episcopus autem velit ipsos obligare ad cooptandum socium qui ipsis est invisus. Quod ni fecerint, ipse directe confratrem istum nominabit.

Potuitne hoc praecipere?

Resp. Semel approbata statuta observanda sunt. Integrum quidem est Episcopo statuta ista reformare, et sibi ius reservare eligendi confratres. Verum, donec istud non fecerit, seu, permanentibus statutis approbatis, cooptatio aliter facta atque in statutis praescribitur est illicita et invalida.

PARS ALTERA

MONUMENTA

1. — SS. D. N. Benedictus Pp. XV

EPISTOLA

Ad R. P. D. Petrum Pisani, Archiep. Tit. Constantiensem, delegatum apostolicum in Indiis orientalibus: nonnulla paterne admonens in Ecclesiae utilitatem.

(A. A. S. 5 ian. 1922, 14, 7.)

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — *Libenter quidem* egregios amoris atque obsequii sensus accepimus quibus Nos Indiae catholici e Madraspolitano conventu, in Deiparae honorem habito, ineunte hoc anno prosecuti sunt; eisdemque gratulamur vehementer quod ipse coetus in sollemnem cessit christianae fidei ac pietatis erga Immaculatam Virginem significationem. Iamvero ut rei fructus permaneat, et obsignetur quodammodo promissio coëuntium, qui quidem ad aram sacram polliciti sunt se, Episcoporum ductu, servaturos esse proposita inita, opportunum Nos hic ducimus viam ostendere quam catholicus quisque tum singillatim tum socialiter religiose sequi debeat. Haec via seu norma, uti constat ex Evangelio, ex apostolicis litteris scriptisque sanctorum Patrum, posita est in obœdientia fidelium pastoribus legitimis iuxta illud: « oboedite praepositis vestris et subiacete eis ». Etenim Episcopi in suis regendis dioecesibus nullo prorsus modo ex subditorum arbitrio pendent, neque ulli alii in agendis rebus quam Sedi Apostolicae rationem reddere debent, cum soli Petro dictum sit: « Pasce agnos meos, pasce oves meos ». Quapropter officium est tum cleri tum fidelium improbare non modo in se ipsis sed etiam in aliis eum, qui invaluit, *independentiae* spiritum; id enim occasionem praebet religionis nostrae adver-

Occasione congressus Mariani Madraspolitani.

Commendat R. P. oboedientiam episcopis

sariis zizania in vinea Domini disseminandi. Caveant igitur ne in Episcoporum decreta inquirant, cum ea suis sententiis non respondent, neve ipsa percenseant aut parvipendant quoquo modo, privatim vel publice, verbis vel scriptis, uti iam Litteris Nostris encyclicis *Ad Beatissimi Apostolorum* admonuimus: « Nemo privatus, vel libris diariisve vulgandis vel sermonibus publice habendis, se in Ecclesia pro magistro gerat. Norunt omnes cui sit a Deo magisterium Ecclesiae datum ». Ecclesia est plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens. Ex quo sequitur cum Ecclesia non esse qui cum Episcopo non sit. Secus enim agentes sacerdotes vel laici, acatholicos, quos inter versantur, imitarentur, scandalum eisdem et ansam praestando ut a verae Ecclesiae sinu remoti permaneant. Operam potius navent suo Episcopo, reverenter eidem obsequendo; neque, - etsi integrum cuique est ad Apostolicam Sedem iusta de causa provocare, - praetexant, ut se ab Ordinarii auctoritate et iussis subducant, velle se praescriptiones sequi ab eadem Apostolica Sede vel ab aliis Episcopis pro sua cuiusque dioecesi fortasse latas. Quod si interdum quasdam suas animadversiones vel optata Ordinario referre censerent, obsequenter id faciant, atque dumtaxat ob veritatis triumphum maiusque Ecclesiae bonum, numquam vero imponendo vel minitando, aut, quod peius esset, civiles auctoritates, ecclesiasticis negotiis prorsus extraneas, adeundo. Verumtamen iurisdictio Episcoporum non modo in iis exercetur quae ad religiosas et ecclesiasticas res pertinent, sed in ceteris etiam quaestionibus cuiusvis naturae, quae directe vel indirecte cum Ecclesiae sanctae emolumento animarumque salute coniunguntur. Itaque Episcopi triplici sua potestate utentes, *magisterii* scilicet, *ministerii* atque *regiminis*, tueri debent et auctoritative moderari quae sequuntur: tum *administrationes ecclesiasticas*, quamvis in iis regundis laudabili opera utantur sacerdotum vel laicorum, cum Episcopus renuntiatus sit in canonibus sacris tutor natus cuiuslibet pii operis vel fundationis: tum *catholicam iuventutis educationem*, quae quidem numquam a religiosa institutione seiungenda est; cum enim Servator Dominus de re loquens professus sit « unus est magister vester, Christus », Christus vero in persona Episcoporum vivat ac doceat, iuxta illud « qui vos audit me audit », ipsorum est legitimas ferre normas quas magistri catholici perdiligenter sequantur in iis quae ad scholas catholicas et ad clericorum conformationem in Seminariis maioribus vel minoribus spectant: tum denique *necessitudines* seu *relationes fidelium cum acatholicis in vita civili*, iudicando si usus et consue-

Quorum iurisdictio se protendit etiam

ad ecclesiasticas administrationes,

Ad iuventutis educationem,

Ad relationes cum acatholicis.

tudo cum quibusdam coetibus vel adhaesio quibusdam philanthropicis consociationibus, quae neutrales seu areligiosas se esse dictitent, grave periculum praebeant, in aliquo casu vel regione, a recta fide deficiendi. Praeterea in eo qui praeest non solum persona hominis sed, quavis ratione posthabita, Deus ipse conspiciendus est qui nos alloquitur, admonet, moderatur, iuxta illum Scripturae locum: « tamquam Deo exhortante, per nos » (II *Cor.*, v, 20). Omnes profecto exoptant, etiam in religiosis rebus, se ab iis gubernari qui sint eiusdem nationis; in quo quidem improbandi non sunt illi Indiae catholici qui ab indigenis Pastoribus se regi vellent. Huic optato numquam sane adversata est Ecclesia, quandoquidem in ea non est « Gentilis « et Iudaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et Scytha, « servus et liber », neque est *acceptio personarum:* idque luculenter ex eo liquet quod Pontifices Maximi summam curam semper adhibuerunt ut clerus indigena cotidie magis in sanctimonia doctrinaque proficeret. Verum Ecclesiae tantum est decernere tempus quando eidem optato satisfieri conveniat; Ecclesiae, inquimus, quae singularium dioecesium utilitatibus tamquam e specula invigilans, iam antiquitus missionales miserat, qui per asperrima quaeque itinerum, miseriarum, persecutionum, christianum nomen regionibus istis inferrent. Quisquis igitur, rerum eventus praecipitando, iudicium Romae quomodocumque, voce scriptisve, praevenire contendit, contumacem simul et inobsequentem se praebet erga Iesu Christi Vicarium, quasi Eidem non sit curae de filiorum Indiae salute atque prosperitate. Sed inter alia quae in Mariali conventu acta sunt, illud etiam constitutum esse comperimus ut opera missionariorum in convertendis ethnicis ad Christi fidem in dies promoveretur. Ad hanc rem, uti pluries ediximus, nihil est Nobis optatius quam praedicando Evangelio non modo europaei sacerdotes, verum etiam indigena clerus det operam, cum ipsius maxime, prae ceteris, munus sit populares suos infideles ad Ecclesiae amplexum vocare et perducere, ut illa verba decessoris Nostri f. r. Leonis XIII quantocius felicem habeant exitum: « Filii tui, India, administri tibi salutis ». Meminerint Indi omnes quantum valeret ad ethnicorum conversionem, priscis illis Ecclesiae temporibus, christianorum exemplum qui tamquam fratres inter se diligebant. Hos igitur ipsi sequantur, et, dissidiis compositis, ita et concordia inter se coniungantur et legitimae auctoritati subsint, ut in pace et caritate Christi semper permaneant *cor unum et anima una;* quae vitae ratio plurimum quidem conferet ad ethnicorum conversionem. Nec

Pastores constitui indigenas, et Ecclesia optat;

De tempore opportuno ipsa sola iudicat.

Conversioni ethnicorum clerus indigena allaboret.

Concordi animo cum missionariis alienigenis.

omittant pastoralia Episcoporum munia (nimis quantum iam gravia), allevare, seque gratos praestare erga tam strenuos inclytorum Ordinum et Congregationum alumnos qui vitam viresque pro Indiae emolumento impendunt. Quod si fecerint, sciant magnum se Nobis quoque solatium allaturos: peculiari enim amore Indos prosequimur; inter ipsos quodammodo per Delegatum Nostrum versamur; nihilque faciemus reliqui ut, quavis soluta quaestione et tranquillatis animis, India christianis omnibus Asiae communitatibus in exemplum praefulgeat. Atque interea validissimam opem magnae Dei Matris implorantes, quae in Mariali conventu *Patrona Indiae* renuntiata est, ac fore confisi ut « Qui incepit in vobis opus bonum, « ipse perficiat, confirmet solidetque », in auspicium donorum caelestium itemque ut praecipuae benevolentiae Nostrae signum tibi, venerabilis frater, Episcopis omnibus istius regionis, universoque clero ac populo unicuique eorum concredito, apostolicam benedictionem effuso animo impertimus.

Dies (15 oct. 1922). Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XV mensis octobris MCMXXI, Pontificatus Nostri anno octavo.

BENEDICTUS PP. XV

ANNOTATIO

Propter pretiosas commendationes istius epistolae vere apostolicae, eam integram dare visum est.

---

2. — SS. D. N. Pius Pp. XI

MOTU PROPRIO 1 MART. 1922

De praescriptionibus constitutionis pianae " vacante sede apostolica „ aliqua ex parte innovandis.

(A. A. S., 15 mart. 1922, 14, 145)

PIUS PP. XI

Cum proxime, ex occasione Conclavis, in quo, arcano Dei providentis consilio, ad catholicae Ecclesiae principatum, nullis Nostris meritis, evecti sumus, omnia quae ad Apostolicam Sedem vacantem et ad Romani Pontificis electionem pertinent ad praescripta dirigerentur Constitutionis Apostolicae, quam s. m. decessor Noster Pius X die XXV mensis decembris an.

MCMIV ediderat, ipsi VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales in coetibus cotidie habitis, qui congregationes generales praeparatoriae vocantur, optare se significarunt, ut posthac aliquod eius Constitutionis caput sic mutaretur, quemadmodum rerum temporumque ratio postularet. Itaque, re attente perpensa, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, Motu proprio ac certa scientia, haec, quae sequuntur, decernimus atque edicimus:

Constitutioni Pianae derogat R. P.

I. Derogantes iis quae in Constitutione Pii X *Vacante Sede Apostolica* tit. II, cap. I, n. 33 praescribuntur, ut Cardinalibus, qui longius absunt, fiat Urbem tempore adeundi facultas, decem dierum moram, quae, post diem obitus Summi Pontificis, ad Conclave ineundum dabatur, ad quindecim solidos dies prorogamus; praetereaque Sacro Cardinalium Conlegio potestatem facimus ingressus in Conclave etiam per alios duos tresve dies proferendi, ea tamen lege, ut decem et octo ad summum diebus elapsis, Cardinales, quotquot praesentes aderunt, statim Conclave ingrediantur et ad electionis negotium procedant. Quod vero attinet ad novendialia, servatis iis quae in memoratae Constitutionis tit. I, cap. v, n. 26 leguntur de exsequiis, tribus postremis diebus, sollemniore ritu persolvendis, Cardinales, in primo eorum conventu, praefinient dies quibus sex priora habenda sint.

Quod ad tempus ineundi conclave,

II. Quod in eadem Constitutione decernitur tit. II, cap. II, n. 38, ita volumus observari, ut cuilibet Cardinali, quamvis liberum sit duobus servientibus, clericis, vel laicis, vel uno clerico et uno laico uti, liceat tamen unum solum eumque laicum in Conclave secum adducere. Quod vero additur de servientibus Cardinali infirmo concedendis, id omnino immutatum esto.

Numerum Conclavistarum.

III. Legem, quae de Communione a Cardinalibus facienda habetur in Piana illa Constitutione tit. II, cap. v, n. 54, sic novamus, ut liceat cuilibet Cardinali sacrum facere; qui vero quavis de causa, se a sacro peragendo abstinuerit, is in designato sacello et consueta Missa ad sacram Synaxim accedat.

Communionem Cardinalium.

Iubemus autem Nostras has Litteras Motu proprio datas legi coram omnibus S. R. E. Cardinalibus praesentibus in prima Congregatione generali quae post obitum Summi Pontificis habebitur. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 1 mensis Martii, an. MCMXXII, Pontificatus Nostri primo.

Die (1 mart. 1922).

PIUS PP. XI

ANNOTATIONES

1. In n. 33 c. 1 Tit. II C. *Vacante Sede*, praecipiebatur ut praesentes Cardinales exspectarent absentes per solos decem dies « quibus exsequiae defuncti Pontificis celebrantur ». Mora nunc ad quindecim solidos dies prorogatur, potestate facta S. Collegio differendi per alios duos vel tres dies ingressum in Conclave, ita tamen ut ad summum duodeviginti dies inter obitum et Conclave interiacerent. Solidi dies sunt dies 24 horarum, quae secundum Codicis computationem, a media nocte sunt computandae, ita ut prima dies seu obitus non computetur.

Quia autem exsequiae fiunt per solos novem dies, hos definire iam fuit necesse. Porro Pontifex statuit ut sollemniores exsequiae tribus postremis diebus ante Conclave addictae manerent, Collegium vero Cardinalium sex alios dies definirent, qui proin esse poterunt continui vel disiuncti.

2. Ex secunda dispositione, iam licebit Cardinalibus in Conclave secum adducere, pro duobus per se praescriptis, unicum servientem, eumque laicum.

3. Tertia mutatione iam, suppressa obligatione communionis, optio datur Cardinalibus vel celebrandi vel accedendi ad s. synaxim, die qua ad negotium electionis procedunt.

---

3. — S. C. S. Officii

DECRETA 16. 17 NOVEMBRIS 1921 ET 15. 16 MART. 1922

Proscriptio libri et reprobatio libri

(A. A. S. 23 ian. et 3 april. 1922, 14, 41 et 193)

I. *Decretum 16. 17 nov. 1921. Damnatur quoddam opus P. Nivardi Schloegl, Ord Cirsterciensium.*

Dies (16. 17 nov. 1921).

Feria IV, dei 16 novembris 1921.

Opus proscriptum.

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis S. Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales in rebus fidei

et morum Inquisitores generales proscripserunt, dannavernnt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt opus cui titulus: *Die heiligen Schriften des Neuen Bundes: Aus dem Urtext übersetz mit Erlaüterungen und einer Einführung* von Dr. Nivard Schlögl, Ord. Cist. o. ö Professor an der Wiener Universität, Burgverlag, Richter und Zollner, Wien, 1920.

Confirmatio Pontificia.

Et insequenti feria V, die 17 eiusdem mensis et anni, SS. D. N. Benedictus divina providentia Papa XV, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, relatam sibi Em.orum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam mandavit.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 16 ianuarii 1922.

Aloisius Castellano, Supremae S. C. Officii Notarius

Dies (15, 16 mart. 1922)

II. *Decretum 15. 16 mart. 1922. Reprobatio libri* « Une mystique de nos jours ».

opus quod iudicatur improbandum.

E.mi ac R.mi Domini Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores generales, in ordinario consessu habito feria IV die 15 mart. 1922, decreverunt: Opus cui titulus: « *Chanoine S. Legueu. - Une mystique de nos jours. Soeur Gertrude - Marie, religieuse de la Congregation de Saint - Charles d'Angers* » esse reprobandum.

Confirmatio Pontificia,

Et insequenti feria V, die 16 eiusdem mensis et anni, SS. D. N. Pius divina Providentia Papa XI, in solita audientia R. P. D. Assessori Sancti Officii impertita, relatam sibi Em.orum Patrum resolutionem ratam habuit et publici iuris fieri mandavit.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 17 mart. 1922.

Aloisius Castellano, Supremae S. C. S. Officii Notarius

ANNOTATIONES

I. Contra ac soliti sumus, ambo ista decreta ex integro referre visum est, ut ex utriusque collatione distinctius cognosceretur nova forma improbationis operis, cuius decretum 15. 16 mart. nobis primum, ni fallimur, exhibet exemplum. Antea quidem opera quaedam minore nota sunt inusta, sed respectu certae classis lectorum. Sic Decreto 29 iul. 1922, S. C. *Consistorialis* opera quaedam prohibuit in seminariis. (Cf. *Periodica*, VI, 272.) Verum hic opus qua tale obiectum fit minoris improbationis, cuius vim ex com-

paratis ambobus decretis modo exscriptis facile intellegemus.

II. 1. Quod ad *sollemnitatem exteriorem* (quae tamen vim non afficit): In ipsa pagina exteriore *Acta Ap. Sedis*, prius decretum nuntiant hoc vocabulo: « *Proscriptio libri* » alterum vero isto vocabulo « *Reprobatio libri* ». Inscriptio altera alteri decreto praescribitur: « Damnatur, etc. » « Reprobatio libri etc. ». Prius decretum latum refertur in *generali consessu;* alterum, in *ordinario* consessu.

2. Quod *ad ipsam rem*: In primo decreto, legimus: « damnarunt atque in indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt »; in altero, tantum haec: « decreverunt opus esse reprobandum ».

Vi prioris decreti, liber sine licentia, nec legi nec servari, nec vendi potest etc.; nulla ecclesiastica prohibitio legendi, etc., alterum decretum consequitur. Sed lectores monentur in ipsorum manibus versari librum reprobandum, cuius proin indicationes pro suspectis habere debent.

Demum ipsa sanctio Pontificia paulisper variat: in priore decreto R. P. « approbavit, confirmavit » resolutionem; in altera eandem « ratam habuit ».

---

4. — S. Congr. Concilii

RESPONSUM 14 IAN. 1922

Circa donaria votiva et alienationes

(A. A. S., 15 mart. 1922, 14, 160)

Dubia.

Attentis deductis et resolutis in causa Dioecesis N. *Donariorum votivorum,* die 12 iulii 1819 (*A. A. S.*, XI, p. 416), Ordinarius Laudensis ab hac Sacra Congregatione reverenter postulavit infrascriptorum dubiorum solutionem;

I. Utrum ad alienationem rerum utcumque pretiosarum, semper necessarium sit beneplacitum Apostolicum, an possit Ordinarius, intra certos summae limites, huiusmodi alienationem permittere.

II. Utrum ad alienationem quorumcumque donariorum votivorum requiratur beneplacitum Apostolicum, an possit Ordinarius de eisdem disponere, intra certam summae quantitatem.

III. An ad alienationem donariorum votivorum requiratur beneplacitum Apostolicum, quando ipse oblator donarii in alienationem ultro consentiat.

IV. Utrum mera oblatio doni ad altare vel ad sacram iconem, praesumptionem voti secum ferat, an positive constare debeat donarium ex voto oblatum esse.

V. An in Ordinarii facultate sit, quando Consilium administrationis et Capitulum cathedrale inter se dissentiant, supplere alterutrius consensum, tum in negotio alienationum tum in quovis aequipollenti contractu.

Responsum 14 ian. 1922

Die 14 ianuarii 1922, Sacra Congregatio Concilii in plenariis E.morum ac Rev.morum Patrum comitiis in Palatio Apostolico Vaticano habitis, perpensis omnibus, respondendum censuit:

Ad 1. Ad Pontificiam Commissionem Codicis pro canonibus authentice interpretandis.

Ad 2. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad alteram.

Ad 3. *Affirmative.*

Ad 4. Donarium praesumi votivum, nisi de contraria donatoris vel offerentis voluntate aliunde constet.

Ad. 5. *Negative.*

Facta autem de praemissis SS.mo Domino Nostro Benedicto PP. XV relatione per infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium, in Audientia postridie habita, Sanctitas Sua datas resolutiones approbare et confirmare dignata est.

D. CARD. SBARRETTI, *Praefectus*

I. Mori, *Secretarius*

ANNOTATIONES

I. Pleraque dubia in hac Lauden. soluta conectuntur cum utroque dubio proposito in causa dioecesis N. *Donariorum votivorum*, 12 iul. 1919 (1). Interrogatum erat: I. An donaria votiva in ordine ad alienationem recensenda sint inter res pretiosas de quibus in c. 1532, § 1, n. 11. II. Quinam valor dici possit

(1) Cfr. *Periodica*, X, 66; vel A. A. S. XI, 416-419.

notabilis in rebus pretiosis, ita ut earum alienatio sit Ordinariis locorum vetita. Reformatis dubiis in formam unius dubii, S. C. responderat, donaria votiva alienari non posse sine beneplacito Apostolico.

II. Inde in *primo dubio* reponitur altera quaestio anno 1919 proposita. Inter utramque interrogationem istud tamen interest, nunc iam dubitari utrum necne, intra certos limites valoris, *res utcumque pretiosae* ab Ordinario alienari possint. Inter animadversiones, relator causae 1919, memorata duplici opinione extrema, cuius prior semper, altera vero tantum quando valor 30.000 libellas seu francos excedebat, apostolicum beneplacitum dicebat esse necessarium, summam 1000 libellarum seu francorum ut limitem facultatis Ordinarii indicaverat. Nunc tamen dubium remissum est ad Pontificiam Commissionem Codicis pro authentica canonum interpretatione. Quod ideo praesertim factum putamus, quia, indicata summa, nova oriebatur quaestio de moneta ad quam referebatur, utrum ad ficticiam monetam papyraceam, an potius ad veram et stabilem, quae aurea est.

Secundum dubium idem quaerit de donariis votivis. Ei respondetur consequenter ad solutionem datam anno 1919. Haec innitebatur in *speciali natura* donarii votivi, quod, stricte acceptum, erat voto proprie dicto dicatum imagini, altari vel sacello; et, ex intentione offerentis debebat ibi in perpetuum manere. Liquet rationes istas a nullo valore donorum pendere, sed aeque in omnia donaria votiva cadere.

Tertium dubium quaerit de efficacia consensus offerentis. Supponendo agi de donariis stricte votivis, seu de oblatis per votum, respondetur, post voti exsecutionem, voventem nihil posse in rem voto debitam vel ex voto oblatam.

In quarto dubio insinuatur usus variorum locorum

in quibus multa dona offeruntur ex pia sed libera offerentis voluntate. Quaeritur nempe, utrum res oblatae praesumendae sint necne, *ex voto* oblatae. Si enim res mere oblatae erant, liquet eas, intra limites facultatum suarum, assentiente oblatore, ab Ordinariis alienari posse sicut ceteras res ecclesiasticas. Ac respondetur donaria ista praesumenda esse stricte votiva. Quod sane ipsi nomini *donarii votivi* consentaneum est. Ceterum, cum agatur de petendo consensu oblatoris, facillime res ista potest dilucidari interrogando oblatorem. Quae interrogatio, tamquam facile medium cognoscendi veritatem, omitti non potest ab eo qui alienationem facere cupiat.

Quintum dubium est diversi argumenti. Liquet autem quando duo consentire debent, alterutrius dissensum sufficere ut necessaria condicio deficiat. Quare sapienter ad istud dubium responsum est *Negative*, i. e. alterutrius consensum ab episcopo suppleri non posse. Prudenti delectu personarum nimis frequentes dissensus vitari poterunt; ac remedium recursus ad S. Sedem Ordinario semper praesto manet.

---

5. — SS. D. N. Pii PP. XI

Litterae autographae 7 et 29 aprilis 1922

De conventu internationali Genuensi ad pacis negotia tractanda

(A. A. S. 20 apr. et 8 maii 1922, 14, 217 et 565)

A. *Litterae 7 aprilis*

Dal Vaticano, il 7 aprile 1922.

Venerabile Fratello, (1)

Con vivo piacere abbiamo letto la lettera che Ella si opportunamente ha diretto al suo popolo in occasione della Conferenza Internazionale, che per la prima volta in codesta

Laudatis litteris Archiepiscopi,

(1) Ad Ill. Archiepiscopum Genuensium.

gloriosa Città riunisce in pacifica discussione vincitori e vinti, ed alla quale si svolgono le speranze generali dei popoli.

Pontifex, memor suae missionis beneficae et pacificae, exoptat Legatis nationum spiritum indulgentis benevolentiae, ut aptum remedium universali calamitati.

Rappresentanti del Dio " di pace e di amore „ il quale con particolare provvidenza respicit super egenum et pauperem, e che con inscrutabile giudizio Ci chiamò così inopinatamente a raccogliere, con la successione al Supremo Pontificato, la missione di beneficenza e di pace del Nostro compianto Predecessore, Noi, come facciamo voti, così nutriamo fiducia che gli Inviati delle Potenze vogliono considerare le tristi condizioni nelle quali tutti i popoli si dibbattono, con animo non soltanto sereno, ma anche disposto a qualche sacrifizio sull' altare del bene comune; il che sarebbe e la prima condizione per portarvi efficace rimedio e il primo passo verso quella pacificazione universale che tutti s.mmamente desiderano. Se anche nel fragore delle armi, come dice la bella divisa della Croce Rossa: inter arma caritas, deve regnare la carità cristiana, ciò deve essere maggiormente vero dopo che furon deposte le armi e firmati i trattati di pace; tanto più che gli odii internazionali, triste retaggio della guerra, vergono a danno anche dei popoli vincitori e preparano per tutti un ben pauroso avvenire, non dovendosi dimenticare che la miglior garanzia di tranquillità non è una selva di baionette ma la mutua fiducia ed amicizia. Ed anche se dall' ambito della Conferenza vogliasi esclusa ogni discussione non solamente sui trattati precedentemente conclusi, ma anche sulle imposte riparazioni, ciò non sembra impedire ogni ulteriore scambio di idee che valga a facilitare ai vinti il sollecito adempimento dei loro impegni; il che finalmente si risolverebbe anche a vantaggio dei vincitori.

Etiam inter limites deliberationibus praestitutos, facilior reddi potest victis exsecutio suarum promissionum: quod omnibus profuturum sit.

Hortatur omnes fideles ut orent pro felici exitu conventus cui benedictionem caelestem et fructum concordiae apprecatur.

Animati da questi sentimenti di eguale amore verso tutti i popoli che Ci inspira la missione affidataci dal Divin Redentore, Noi l' invito che Ella, Venerabile Fratello, fedele interprete del Nostro pensiero, dirigeva al suo popolo, lo estendiamo a tutti i fedeli, esortandoli ad unire le loro preghiere alle Nostre per il felice esito della Conferenza. La benedizione del Signore discenda sopra di essa; e dalle decisioni che, con intelletto d' amore, come confidiamo, si prenderanno, rifulga sulla povera umanità quella tanta auspicata concordia che affratellando i popoli, li spinga nuovamente, dopo otto anni di dolori e di rovine, sul luminoso cammino del lavoro, del progresso e della civiltà; e si avveri così l' ideale della Chiesa, la quale, come ben dice (De moribus Ecclesiae Catholicae, *I, 30) S. Agostino:* cives civibus, gentes gentibus et prorsus homines, primorum

parentum recordatione, non societate solum, sed quadam etiam fraternitate coniungit.

Con questo fervido augurio impartiamo a Lei, Venerabile Fratello, al Clero e popolo della diletta Archidiocesi Genovese, l' Apostolica benedizione. *Benedictio Apostolica.*

PIUS PP. XI

In ipsis A. A. S. legitur haec gallica versio:

Du Vatican, le 7 avril 1922.

Vénérable Frère,

C' est avec un bien vif plaisir que Nous avons lu la lettre que vous avez si opportunément adressée à votre peuple à l' occasion de la Conférence Internationale, qui, dans votre glorieuse ville, réunit pour la première fois en discussion pacifique vainqueurs et vaincus, et vers laquelle se tournent les espérances générales des peuples.

Représentant du Dieu " de paix et d' amour „ qui de particulière providence respicit super egenum et pauperem *et qui, par l'effet d' un jugement impénétrable, Nous a appelé si inopinément à recueillir, avec la succession au Suprême Pontificat la mission de bienfaisance et de paix de Notre regretté Prédécesseur, Nous faisons des vœux, confiant qu' ils seront exaucés, pour que les délégués des Puissances veuillent bien considérer d' un esprit non seulement serein, mais encore tout disposé à quelques sacrifices sur l' autel du bien commun, la triste situation où se débattent tous les peuples. Ce serait à la fois la première condition pour y porter remède efficace et le premier pas vers cette pacification universelle dont tous ont le plus grand désir. Si dans le fracas même des armes, suivant la belle devise de la Croix Rouge* inter arma caritas, *doit régner la charité chrétienne, cela se doit vérifier davantage encore, une fois les armes déposées et les traités de paix signés: d' autant plus que les haines internationales, triste héritage de la guerre, tournent au désavantage des peuples vainqueurs eux-mêmes et préparent pour tous un bien redoutable avenir; car il ne faut pas oublier que la meilleure garantie de tranquillité n' est pas une forêt de baïonnettes, mais la confiance mutuelle et l' amitié. Et même en écartant, si l' on veut, de la Conférence toute discussion aussi bien sur les réparations imposées que sur les traités précédemment conclus, cela ne semble pas devoir empêcher tout échange ultérieur d' idées qui tendrait à faciliter aux vaincus le prompt accomplissement de*

leurs engagements ; ce qui finalement tournerait aussi bien à l' avantage des vainqueurs eux-mêmes.

*Animé de ces sentiments d' égal amour de tous les peuples, que Nous inspire la mission à Nous confiée par le Divin Rédempteur, cette invitation que vous-même, Vénérable Frère, adressiez, exact interprète de Notre pensée, à votre peuple, Nous l' étendons à tous les fidèles, les exhortant à unir leurs prières aax Nôtres pour l' heureuse issue de la Conférence. Que la bénédiction du Seigneur descende sur elle et que des décisions qui y seront prises dans un esprit d' amour, comme Nous en avons la confiance, resplendisse sur la pauvre humanité cette concorde si désirée qui, unissant les peuples d' un lien de fraternité, soit de nature à les pousser de nouveau, après huit ans de douleurs et de ruines, sur le chemin lumineux du travail, du progrès et de la civilisation ; et que se vérifie ainsi l' idéal de l' Église qui, suivant l' heureuse expression de Saint Augustin (*De moribus Ecclesiae Catholicae, *I, 30)* : cives civibus, gentes gentibus et prorsus homines, primorum parentum recordatione, non societate solum, sed quadam etiam fraternitate coniungit.

En même temps que Nous exprimons ce vœu fervent, Nous vous accordons à vous, Vénérable Frère, ainsi qu' au Clergé et au peuple du bien-aimé archidiocèse de Gênes, la bénédiction apostolique.

PIUS PP. XI

B. *Litterae 29 aprilis*

Dal Vaticano, 29 aprile 1922.

Signor Cardinale, (1)

Demonstrata iterum sollicitudine de animorum reconciliatione,

Il vivissimo desiderio onde siamo animati di vedere finalmente stabilito nel mondo l' impero della vera pace, la quale consiste principalmente nella riconciliazione degli animi e non soltanto nella cessazione delle ostilità, Ci fa seguire con la più sollecita premura, anzi con trepida ansia, il corso della Conferenza di Genova, per cui abbiamo già invitato il popolo fedele ad implorare con fervida preghiera le benedizioni di Dio.

Pontifex exoptat

E non possiamo nascondere, Signor Cardinale, la intima soddisfazione che provammo dal sapere rimossi, grazie al buon vo-

(1) Ad Em. Card. GASPARRI, a Secretis Status.

lere di tutti, gli ostacoli che fin da principio sembravano allontanare la possibilità di ogni accordo.

Nessuno infatti può dubitare che il felice esito di un così grande Consesso, il quale in sè accoglie i Rappresentanti di quasi tutte le Nazioni civili, non abbia a segnare una data storica per la civiltà cristiana, specialmente in Europa. I popoli che hanno tanto sofferto per il passato conflitto e per le recenti sue tristissime conseguenze, giustamente desiderano che per opera della Conferenza sia rimosso, per quanto è possibile, il pericolo di nuove guerre e provveduto al più presto alla restaurazione economica dell'Europa. Col pieno conseguimento di sì nobili intenti, connessi fra loro, o col prepararne almeno le basi per il futuro e non lontano avveramento, la Conferenza di Genova avrà ben meritato dell'Umanità, preparandole quasi un'Era nuova di pace e di progresso, in cui si possa dire con la frase biblica che iustitia et pax osculatae sunt, *non disgiungendosi la carità dalle esigenze della giustizia.*

ut tantus coetus procuret pacem in iustitia.

Un sì fatto ritorno allo stato normale dell'umano consorzio nei suoi elementi essenziali, conforme ai dettami della retta ragione che è pure certa ordinazione divina, tornerà sommamente vantaggioso a tutti, vincitori e vinti, ma singolarmente a quelle infelici popolazioni dell'estrema Europa, le quali, desolate già dalla guerra, dalle lotte intestine, dalla persecuzione religiosa, sono ora per giunta decimate dalla fame e dalle epidemie, mentre racchiuderebbero nei loro territorî tante fonti di ricchezza e potrebbero essere forti elementi di restaurazione sociale. A queste popolazioni, quantunque divise, per antica infelicità dei tempi, dalla nostra comunione, giunga insieme a quella del Nostro compianto Predecessore, la nostra parola di compatimento e di conforto ed insieme il voto ardente del Nostro cuore paterno di vederli con Noi godere degli stessi doni « di unità e di pace », espressi dalla comune partecipazione dei santi Misteri.

Quod omnibus erit proficuum, maxime autem necessarium Russiae populis quibus Pontifex ex animo compatitur.

Che se per colmo di sventura, anche in questa Conferenza venissero a fallire i tentativi di sincera pacificazione e di duraturo accordo, chi può pensare, Signor Cardinale, senza trepidazione, quanto si aggraverebbe la condizione già così misera e minacciosa dell'Europa colla prospettiva di sofferenze sempre maggiori ed il pericolo di conflagrazioni che travolgerebbero con sè tutta la civiltà cristiana, poichè, come ben dice S. Tommaso (De regimine Principum, *I, 10*) *e la esperienza conferma,* desperatio audacter ad quaelibet attentanda praecipitat.

Frustraneus autem conatus praesens, augeret Europae calamitates et pericula.

Quindi è che Noi, per quella universale missione di carità affidataci dal Divin Redentore, torniamo a scongiurare tutti

Quare Pontifex omnibus inculcat bonam

voluntatem; fideles autem hortatur ut ad Deum recurrant.

affinchè con spirito cristiano e con la mutua benevolenza che esso ispira, si uniscano nell'intento di procurare il bene comune che ridonderà infine anche a vantaggio maggiore e più duraturo delle singole nazioni. Ma poichè ciò non potrà farsi pienamente senza la grazia efficace di quel Dio che è e deve essere riconosciuto Autore primo e Reggitore supremo della società: Rex regum et Dominus dominantium, *a Lui esortiamo di nuovo caldamente tutto il popolo cristiano che ricorra, ripetendo in favore della civile società la bella preghiera che nella liturgia veneranda della Settimana Santa abbiamo fatto per la Chiesa:* Deus et Dominus Noster pacificare, adunare et custodire dignetur toto orbe terrarum, detque nobis quietam et tranquillam vitam degentibus glorificare Deum Patrem Omnipotentem.

Così veramente potrà conseguirsi quella prosperità pubblica che è il naturale fine di ogni società civile e che anche la Chiesa promuove, dirigendo gli uomini al loro fine soprannaturale: ut sic transeamus per bona temporalia ut non amittamus aeterna.

Apostolica Benedictio.

Nel portare a Sua conoscenza questi Nostri sentimenti e questi voti, affinchè i Nostri rappresentanti diplomatici se ne facciano caldi interpreti presso i rispettivi Governi e popoli, Noi Le impartiamo ben di cuore, Signor Cardinale, l'Apostolica Benedizione.

PIUS PP. XI

Traduction

Du Vatican, le 29 Avril 1922

Monsieur le Cardinal,

L'ardent désir dont Nous sommes animé de voir enfin s'établir dans le monde l'empire de la paix véritable qui consiste principalement dans la réconciliation des esprits et non pas seulement dans la cessation des hostilités, Nous fait suivre avec le plus vif empressement, et même avec une anxiété mêlée de crainte, le cours de la Conférence de Gênes pour laquelle Nous avons déjà invité le peuple fidèle à implorer par de ferventes prières les bénédictions de Dieu. Et Nous ne pouvons dissimuler, Monsieur le Cardinal, l'intime satisfaction que Nous éprouvons à savoir que, grâce à la bonne volonté de tous, les obstacles qui, dès le principe, semblaient éloigner la possibilité de tout accord, ont été surmontés.

Personne ne peut douter, en effet, que l'heureuse issue d'une aussi importante réunion qui renferme dans son sein les Représentants de presque toutes les nations, n'ait à marquer une date historique pour la civilisation chrétienne, spécialement en Europe. Les peuples qui ont tant souffert du conflit passé et de ses récentes conséquences si tristes, désirent à juste titre que l'œuvre de la Conférence écarte, autant qu'il est possible, le péril de guerres nouvelles, et pourvoie au plus vite au relèvement économique de l'Europe. Si elle assure pleinement ces nobles buts, intimement liés entre eux, ou tout au moins, si elle établit les bases de leur future et prochaine réalisation, la Conférence de Gênes aura bien merité de l'humanité en lui préparant comme une ère nouvelle de paix et de progrès, au sujet de laquelle on pourra dire, en se servant des paroles de la Sainte Écriture que « la justice et la paix se sont embrassées », tout en ne séparant pas la charité des exigences de la justice.

Un semblable retour à l'état normal de l'umanité dans ses éléments essentiels, conforme aux principes de la droite raison, lequel est également en rapport avec une certaine ordonnance divine, sera souverainement profitable à tous, vainqueurs et vaincus, mais particulièrement à ces malheureuses populations de l'extrême Europe, qui, déjà désolées par la guerre, par les luttes intestines, par la persécution religieuse, sont à l'heure actuello décimées par la faim et par les épidémies, allors qu'elles possèdent dans leurs territoires tant de sources de richesses et qu'elles pourraient être de puissants éléments de restauration sociale. A ces populations, bien que, de longue date déjà, elles soient séparées de Notre communion par le malheur des temps, Nous souhaitons que parvienne, avec celle de Notre regrétté Prédécesseur, Notre parole de compassion et de réconfort, ainsi que le vœu ardent de Notre cœur paternel de les voir jouir avec Nous des mêmes bienfaits « d'unité et de paix », exprimés par la commune participation aux saints Mystères.

Que si, par comble de malheur, les tentatives de sincère pacification et d'accord durable venaient à échouer encore dans cette Conférence, qui donc, Monsieur le Cardinal, peut penser sans effroi à l'aggravation qui en résulterait des conditions déjà si malheureuses et si menaçantes de l'Europe avec la perspective de souffrances toujours plus grandes et le danger de conflagrations capables d'entraîner avec elles toute la civilisation chrétienne, puisque aussi bien, comme le dit très ju-

stement Saint Thomas (*De regimine Principum*, I, 10) et comme l'expérience le confirme, « le désespoir entraîne audacieusement à tous les attentats ».

C'est pour cela que Nous-même, en vertu de cette mission universelle de charité qui Nous a été confiée par le Divin Rédempteur, Nous supplions les Représentants de toutes les Nations d'unir leurs efforts, selon l'esprit chrétien et avec la mutuelle bienveillance qui en découle, en vue de procurer le bien commun qui, en fin de compte, tournera à un bien plus grand et plus durable pour chaque nation. Mais puisque cela ne se peut faire pleinement sans le secours efficace de ce Dieu qui est et qui doit être reconnu comme l'Auteur premier et le Gouverneur suprême de la société, « Rex regum et Dominus dominantium », c'est à Lui que Nous exhortons de nouveau avec instance le peuple chrétien de recourir, redisant en faveur de la société civile la belle prière que, dans la vénérable Liturgie de la Semaine Sainte, Nous avons faite pour l'Église : *Deus et Dominus Noster pacificare, adunare et custodire dignetur toto orbe terrarum, detque nobis quietam et tranquillam vitam degentibus glorificare Deum Patrem Omnipotentem.*

C'est ainsi que pourra vraiment s'obtenir cette prospérité, publique qui est la fin naturelle de toute société civile, et que l'Église favorise également en dirigeant les hommes vers leur fin surnaturelle : *ut sic transeamus per bona temporalia ut non amittamus aeterna.*

En portant à votre connaissance ces sentiments et ces vœux de Notre cœur afin que Nos Représentants diplomatiques s'en fassent les chaleureux interprètes de leurs Gouvernements et de leurs peuples respectifs, Nous vous accordons de grand cœur, Monsieur le Cardinal, la bénédiction apostolique.

PIUS PP. XI

6. — S. Congr. de Religiosis

DECRETUM 8 MART. 1922

De quinquennali relatione a religionibus facienda

(A. A. S., 15 mart. 1922, 14, 161)

Praescriptae relationis

Sancitum est in Codice iuris canonici, ut quilibet supremus Moderator sive monasticae Congregationis sive cuiusvis Religionis iuris pontificii, quolibet quinquennio, aut saepius si ita ferant Constitutiones, relationem de statu religionis ad Sanctam Sedem mittat.

Tempus

Ut autem hoc canonum praescriptum ordinate et utiliter

effectum detur, haec Sacra Congregatio, re mature perpensa, ea quae sequuntur decernenda statuit:

I. Quinquennia sint fixa et communia omnibus Religionibus, incipiantque a die prima mensis ianuarii 1923.

Relationem itaque exhibebunt:

A) Ex Religionibus virorum:

a) in primo quinquennii anno: Canonici Regulares, Monachi, Ordines militares.

b) in altero: Mendicantes.

c) in tertio: Clerici Regulares.

d) in quarto: Congregationes votorum simplicium tam clericales quam laicales.

e) in quinto: Societates virorum more religiosorum viventium, sine votis aut cum votis privatis.

B) Ex Religionibus mulierum relationem mittent Congregationes, habito respectu ad regionem in qua exstat domus princeps Instituti, seu ubi sedem ex officio habet Moderatrix Generalis, sequenti ratione:

I anno quinquennii: ex Italia, Hispania et Lusitania,

II anno: ex Gallia, Belgio, Hollandia, Anglia et Hibernia,

III anno: ex reliquis Europae regionibus,

IV anno: ex utriusque Americae partibus,

V anno: ex aliis orbis partibus, et insuper Societates mulierum sine votis more religiosarum viventium vel cum votis privatis.

II. Congregationes quae relationem iam forte exhibuerint intra quinque annos praecedentes eum, in quo, ad normam supra descriptam, eam mittere deberent intra quinquennium 1923-1927, eximuntur ab ea rursum mittenda pro hac prima vice.

III. In exaranda relatione pro Institutis votorum simplicium prae oculis habeantur quaestiones propositae in Instructione data a S. C. EE. et RR., nunc vero ab H. S. C. reformatae ad Codicis conformitatem, eisque fideliter respondeatur. *Modus.*

IV. Moderatores vero supremi Ordinum Regularium et earum Congregationum etiam votorum simplicium aut Societatum more religiosorum viventium, quae ad relationem mittendam ante Codicis promulgationem non tenebantur, quoadusque aliter a Sacra Congregatione provideatur, relationem de statu suae Religionis integram et veritati respondentem, - super quo eorum conscientia oneratur, - diligenter exarare curent ea ratione et forma, quae Instituti naturae aptior videatur; ita tamen, ut ex ea Apostolica Sedes de statu tam materiali quam morali et disciplinari Religionis plenam sibi notitiam comparare queat.

Prima autem relatio, ante alia de actuali statu religionis, contineat notitias historicas de Ordinis aut Congregationis fundatione; et praecipue ea quae spectant ad eiusdem approbationem per Apostolicam Sedem et ad Constitutiones quibus in praesenti regitur. Interna quoque regiminis forma et natura votorum exponatur, et si qua mutatio in hisce facta fuerit decursu temporum aut si qua in Regulae observantia relaxatio et quanam auctoritate inducta fuerit, declaretur.

Peculiaria praescripta servanda

Si qua Congregatio peculiare praescriptum habeat de relatione frequentius mittenda in Constitutionibus a Sancta Sede *post Codicis promulgationem revisis aut approbatis*, hoc servandum erit, nullo habito respectu ad ea quae de quinquennio praesens decretum praescribit.

Dies (8 mart. 1922).

Ss.mus D. N. Pius Pp. XI in audientia concessa infrascripto P. Abbati Secretario die 25 februarii 1822, praesentis decreti tenorem adprobavit, ab omnibus servari et publici iuris fieri mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis de Religiosis, 8 martii 1922.

TH. CARD. VALFRÈ DI BONZO, *Praefectus*

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., *Secretarius*.

Instructio seu elenchus Quaestionum ad quas respondendum est a moderatoribus seu moderatricibus generalibus institutorum vota simplicia profitentium in relatione ad S. Sedem quinto quoque anno transmittenda.

(A Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium primum edita, ad tramitem Codicis iuris canonici a Sacra Congregatione de Religiosis revisa et emendata.)

Quaestiones quibus respondendum est. Quaedam praemittenda sive generalia, sive historica.

PRAEMITTENDA

1. Doceatur quae decreta approbationis seu commendationis. et quando, Institutum a S. Sede obtinuerit.

2. Quinam sit finis sive scopus peculiaris Instituti.

3. Num titulus Instituti ab initio assumptus aut scopus vel habitus sodalium aliquatenus postmodum immutati fuerint et quanam auctoritate.

4. Quot sint sodalium classes. Quaenam vota emittantur.

5. * Quot sodales ab initio usque in praesens, aut saltem ultimo vicennio, habitum Instituti induerint.

6. * Quot sodales a fundatione Instituti usque in praesens,

---

* Ad interrogationes aut interrogationum partes asterisco notatas nonnisi in prima, post promulgatam hanc instructionem, relatione respondendum erit.

aut saltem ultimo vicennio, et quomodo, ab eo recesserint, sive tempore novitiatus, sive post emissa vota perpetua. Num et quot fuerint *fugitivi vel apostatae*.

7. Quandonam ultima relatio ad S. Sedem missa fuerit.

I. - De personis

I. De Personis

A) *De admissis*.

8. Quot postulantes ab ultima relatione admissi fuerint.

9. Num pro singulis habita sint testimonia a iure requisita; speciatim vero litterae testimoniales:

a) pro viris in genere,

b) pro clericis,

c) pro illis (viris aut respective mulieribus) qui in Seminario, collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerunt; et quidem iureiurando firmatae.

10. Num speciali aliquo modo seu industria ad nomen Instituto dandum quis allectus fuerit; et praesertim num ephemeridum ope moderatores hunc in finem usi sint.

11. Num praeterea exquisita fuerit sufficiens notitia circa eorum indolem et mores quoties id necessarium erat vel opportunum.

12. Quoties et super quibus impedimentis seu defectibus dispensatio necessaria fuerit et a quonam Superiore ecclesiastico concessa.

13. Num postulatum omnes ii quibus praescriptus est peregerint per tempus statutum in domo in qua regularis disciplina servetur.

B) *De Novitiis*.

14. Quot et quaenam sint domus novitiatus, et num unaquaeque auctoritate S. Sedis instituta sit.

15. Quot novitii post ultimam relationem habitum Instituti susceperint.

16. Quot nunc in novitiatu degant.

17. Num novitii a professis rite separati existant.

18. Num omnes habeant integrum exemplar constitutionum.

19. Num omnes ante professionem per annum integrum et continuum in domo novitiatus sub cura magistri degerint.

20. Num magister novitiorum ab omnibus officiis oneribusque vacet, quae novitiorum curam et regimen impedire possint.

21. Num, quantum et qua auctoritate, tempus novitiatus, ultra terminum in constitutionibus praefinitum, prorogatum vel imminutum fuerit.

22. Utrum novitii primo novitiatus anno vacaverint tantum-

modo exercitiis pietatis, an aliis etiam et quibus operibus addicti fuerint.

23. Num durante secundo anno novitiatus (ubi peragitur) novitii in alias domus missi fuerint, et num servata fuerit instructio S. C. de Religiosis diei 3 novembris 1921.

24. (*In Institutis Sororum*). Num ante admissionem ad habitum, ad primam professionem temporariam et ad professionem perpetuam, Episcopus vel eius delegatus praescriptam voluntatem adspirantis, et gratuito, exploraverit.

25. Num professioni, quoties locus erat, praemissa fuerit vel alias opportune peracta cessio administrationis propriorum bonorum ac dispositio de eorundem usu et usufructu.

26. Num a novitiis ante professionem votorum temporariorum testamentum de bonis praesentibus vel forte obventuris libere conditum fuerit.

C) *De professis*.

27. Quot nunc sint in Instituto sodales:

a) votorum temporariorum,

b) votorum perpetuorum.

28. Num vota temporaria semper tempore debito fuerint renovata.

29. Num sodales tempore debito ad vota perpetua admissi fuerint post elapsum tempus votorum temporariorum.

30. Quot sodales sive professi sive novitii post ultimam relationem obierint.

D) *De egressis et dimissis*.

31. Quot post ultimam relationem ab Instituto recesserint:

a) ex novitiis,

b) ex professis expleto tempore votorum temporariorum,

c) perdurantibus votis temporariis,

d) post emissa vota perpetua.

32. Num in dimittentis sodalibus semper observatae fuerint, pro casuum diversitate, normae in sacris canonibus et in propriis constitutionibus praescriptae.

33. Num (excepto casu urgenti de quo in cann. 653 et 668) aliquis dimissus aut egressus fuerit:

a) ante acceptam sententiae vel decreti confirmationem ab Apostolica Sede, si agatur de viris professis a votis perpetuis; vel ante acceptam ab eadem S. Sede decisionem, si de Sororibus a votis perpetuis professis agatur.

b) pendente recursu ad S. Sedem, si de professis a votis temporariis,

c) absque praevia dispensatione, ab ipso religioso expostulata, super votis emissis.

34. (*In Institutis Sororum.*) Num egressis quacumque de de causa dos, quomodolibet constituta, integre tradita fuerit, una cum supellectili quam ad Institutum attulerant, in eo statu in quo tempore egressus reperiebatur.

35. Num iis quae, sine dote receptae, ex propriis bonis sibimet providere non valebant, in casu egressus ex Instituto, necessaria ex caritate suppeditata fuerint, quibus modo tuto ac convenienti domum redire et per aliquod tempus honeste vivere potuerint.

II. - De rebus

II. De rebus.

A) *De domibus.*

36. Quot domos Institutum habeat, et in quibusnam dioecesibus : an et quot habeat provincias.

37. An et quot novae domus post ultimam relationem apertae fuerint : et an in omnibus intercesserit legitima auctoritas et servata fuerit ratio in constitutionibus praescripta.

38. Quot sodales diversarum classium in singulis domibus commorentur, et (si diversa opera ab Instituto exerceantur) quibusnam operibus addicti sint.

39. Num post ultimam relationem domus aliqua suppressa fuerit et cuiusnam auctoritate.

40. Utrum singuli sodales proprias cellas habeant, an saltem in communi dormitorio suum quisque cubile convenienter ab omnibus aliis separatum.

41. Num infirmis curandis separatus locus undequaque aptus addictus sit.

42. Num pro recipiendis hospitibus adsint in domo cubicula sufficienter, ut decet, a communitate religiosa separata.

43. (*In Institutis Sororum*). Num habitatio capellani sive confessarii ingressum separatum et nullam cum Sororum habitatione communicationem habeat.

B) De bonis.

44. Quinam fuerint ab ultima relatione annui reditus et expensae :

a) tum Instituti in communi ;

b) tum uniuscuiusque domus.

45. Num ab ultima relatione sive Institutum in communi, sive certae domus in particulari, nova bona mobilia vel immobilia et cuius valoris obtinuerint.

46. Num pecuniam semper utili foenori et honesto ac tuto collocaverint.

47. Utrum et quam iacturam bonorum suorum, post ultimam relationem, fecerint, vel damma subierint, et qua de causa.

48. Num et quae bona, sive immobilia sive mobilia pretiosa abalienaverint, et qua facultate.

49. Num illorum bonorum, quae *capitalia* vocantur, partem aliquam consumpserint.

50. Num arca communis vel domus aliqua particularis aere alieno gravetur, et quanto.

51. Num ab ultima relatione nova debita contraxerint; quaenam, et qua auctoritate.

52. Num bona temporalia, tum religionis universae, tum singularum provinciarum et domorum, per oeconomos rite deputatos administrentur ad normam sacrorum canonum et constitutionum.

53. Num oeconomi, sive generalis sive locales, rationem suarum administrationum praescriptis temporibus reddiderint; et num huiusmodi rationes modo praescripto examinatae et approbatae fuerint.

54. Num lites de bonis habeant.

55. Num pecuniae aliaeque res pretiosae caute custodiantur iuxta normas hac de re traditas et praescriptum constitutionem.

56. Num et quo pacto pecuniam sive res pretiosas, a saecularibus depositas, custodiendas acceptaverint.

57. *(In Institutis Sororum)*. Utrum dotes Sororum iuxta leges canonicas in tuto ac fructifero investimento de consensu Ordinarii loci collocatae fuerint; an et quae earum pars, quo modo et cuius permissu in expensas faciendas insumpta fuerit.

58. Num et quaenam legata pia seu fundationes in Instituto, sive pro Missis celebrandis, sive pro operibus caritatis exercendis, existant.

59. Num huiusmodi onera fideliter adimpleta fuerint.

60. Num pecunia, qua huiusmodi fundationes constitutae fuerunt, rite collocata et seorsim ab aliis quibuslibet administrata fuerit.

61. Num Episcopo iuxta sacrorum canonum praescriptum de huiusmodi fundationibus ratio reddita fuerit.

62. Quantum superfluae pecuniae in fine cuiuslibet anni a singulis domibus in arcam communem collatum fuerit.

63. Utrum sponte an invite huiusmodi pecuniae collatio ab omnibus facta fuerit.

64. Num superiorissa vel oeconoma habeat pecunias de quibus libere, etsi pro bono Instituti, disponat, quin ullam rationem reddat.

III. - De disciplina

III. De disciplina.

A) De vita religiosa.

65. Num in unaquaque domo exercitia spiritualia pro singulis diebus, mensibus, annis vel aliis certis temporibus statuta accurate peragantur.

66. Num omnes sodales quotidie Missae sacrificio assistant.

67. Utrum omnes sodales exercitiis communibus interesse possint, et an illis qui quandoque pro negotiis domesticis ab aliquo exercitio communi eximuntur, saltem concedatur tempus privatim illud peragendi.

68. Num serventur canonica statuta:

a) quantum ad conscientiae manifestationem non exigendam,

b) quoad sacramentalem confessionem,

c) circa eucharisticae communionis frequentationem.

69. Num adsint confessarii ad iuris normam designati; num et qui abusus irrepserint, sive ex parte Superiorum libertatem a lege concessam coarctantium, sive ex parte subditorum permissa libertate abutentium.

70. Num in institutis Sororum ubique quovis triennio confessarius ordinarius mutetur, vel debita auctoritate confirmetur.

71. Num praescriptiones de clausura servanda in parte domus Religiosis reservata fideliter observentur.

72. Num Religiosis frequenter permittatur locutorium adire et an Constitutiones in hac re serventur.

73. Num Religiosis e domo egredientibus, extra casum necessitatis, a Superioribus socius addatur.

74. Num, qua ratione et quibus temporibus, habeantur institutiones catecheticae et piae exhortationes ad conversos aliosque alumnos nec non ad famulos seu convictores.

75. Num et quaenam scripta periodica sodales edant aut illis conscribendis operam conferant: num in iis, sicut etiam in libris edendis, statutae leges servatae fuerint.

76. Num et quibus libris, sive antiquis sive recentioribus, etiam manu scriptis, sola moderatorum Instituti licentia editis sodales utantur.

B) De observantia quarundam specialium legum.

77. Num omnia circa Capitulum generale praescripta diligenter observata fuerint.

a) quoad litteras convocatorias ;

b) quoad electionem delegatorum ;

c) quoad electionem scrutatorum et secretarii ;

d) quoad electionem Moderatoris generalis ;

e) quoad electionem Consiliariorum, Oeconomi et Secretarii generalium.

78. Num omnino liberum fuerit sodalibus litteras, quae ab inspectione Superiorum exemptae sunt, sive scribere, sive recipere.

79. Num lex de mutandis Superioribus post statutum tempus fideliter observetur. Num, quot dispensationes et a quo super hac lege impetratae fuerint.

80. Num Moderator generalis et Superiores provinciales praescriptam domorum visitationem rite peregerint.

81. Num Moderator generalis et Superiores sive provinciales sive locales praefinitis temporibus consiliarios suos convocent, ut cum eis agant de negotiis sive Instituti sive provinciae sive domus.

82. Num in deliberationibus debita libertas consiliariis servata fuerit.

83. Num in Consilio generali electiones libere et iuxta normas praescriptas factae fuerint.

84. Utrum ubique vigeat vita communis ; num omnibus sodalibus necessaria, praecipue quoad victum et vestitum, a Superioribus ea qua decet paterna caritate suppeditentur, et an forte sint qui haec sibi ab extraneis procurent.

85. Num alicubi sodales sint numero insufficientes, ita ut nimis onerentur laboribus cum gravi valetudinis discrimine.

86. Num provideatur ne quid desit infirmis ex iis quibus iuxta propriam cuiusque conditionem indigent, atque ut in corporalibus et spiritualibus necessitatibus qua par est caritate subleventur.

87. *(In Institutis Clericorum)*. Quot annis clerici vacent studiis :

a) literarum humaniorum,

b) philosophiae, et

c) theologiae.

Quatenus autem studia domi peragantur, quot professores singulis disciplinis tradendis sint addicti.

88. Num alumnis aut etiam magistris alia officia committantur quae a studiis eos avocent.

89. Num omnes studentes :

a) integrum cursum studiorum perfecerint antequam e domo studiis destinata exierint;

b) ante promotionem ad sacros Ordines studia per leges canonicas respective praescripta rite perfecerint;

c) cetera omnia a sacris canonibus pro admissione ad Ordines requisita (circa titulum ordinationis, litteras dimissorias, etc.) religiose observaverint.

90. Num servata fuerit lex de examine a sacerdotibus quotannis, saltem per quinquennium, peragendo.

91. Num aliquando exerceatur negotiatio per sacros canones interdicta: item an ars aliqua vel industria quae frequentiorem afferat consuetudinem cum extraneis; quibus cautelis, tum pro salute illorum sodalium qui his incumbunt, tum pro externorum aedificatione.

92. An Superiores curent inter suos subditos promovere notitiam et exsecutionem decretorum S. Sedis, quae religiosos respiciunt: item an publice legantur, praeter proprias constitutiones, decreta quae Apostolica Sedes legenda praescripserit.

C) De operibus Instituti.

93. Quot personis (vel classibus personarum) beneficia contulerint sodales iis operibus quibus iuxta scopum sui Instituti sese devovent.

94. Si numerus istarum personarum post ultimam relationem alicubi imminutus fuerit, indicentur rationes.

95. (*Pro Institutis quae stipem ostiatim colligunt*).

a) An ex constitutionibus clare et certo constet de iure seu officio stipem ostiatim colligendi;

b) an sacrorum canonum praescripta et S. Sedis decreta hac de re edita in omnibus religiose observentur.

96. Num ab Institutis Sororum habeantur in suis domibus diversoria aut valetudinaria pro personis quibuscumque, etiam diversi sexus; et quatenus affirmative, cuius licentia et quibus cautelis.

97. Num et quomodo Sorores in seminariis vel collegiis vel quibuscumque ecclesiasticorum virorum domibus rem domesticam gerendam assumpserint.

98. Num Sorores opera quaedam caritatis exerceant (v. g. erga infantes aut parturientes aut chirurgi cultro incisos) quae virgines Deo dicatas et habitu religioso indutas dedecere videantur.

99. Num Sorores, quae infirmis in privatorum domiciliis inserviunt, praescripta s a Constitutionibus cautelas semper adhibeant.

100. Num Superiores permiserint commorationem sodalium in domibus saecularium, et quanto tempore.

101. *(Pro Institutis virorum)* Num aliquod Institutum Sororum quasi ab ipsis dependens, sibique aggregatum, directe vel indirecte, retineant vel dirigant et quanam auctoritate.

102. Num post ultimam relationem aliquod novum opus, vel potius nova species operum, aliis iam existentibus adiuncta fuerit, et quanam auctoritate.

103. Num in Instituto vel in aliquibus domibus irrepserint abusus et qui.

104. Num querelae vel difficultates exsistant:

a) cum Ordinariis locorum,

b) cum confessariis,

c) cum capellanis.

105. *(Pro Institutis laicalibus utriusque sexus.)* An domos habeant in quibus suscipiantur ad commorandum adolescentes respectivi sexus qui publicas scholas frequentant, quibus in locis, quasve scholas adeant, quomodo et per quos eorum religiosae instructioni consultum sit.

Quaenam addi possint.

Responsa autem ad suprascriptas quaestiones non solum a Moderatore seu Moderatrice generali, sed etiam a singulis Consiliariis seu Assistentibus generalibus, praevio maturo examine, signanda erunt. Si agatur de Congregatione mulierum, signanda pariter erunt ab Ordinario loci in quo suprema Antistita cum suo Consilio residet.

Quod si quis ex iisdem Consiliariis seu Assistentibus aliquid magni momenti praeterea S. Sedi significandum esse putaverit, id etiam per privatas atque secretas litteras praestare poterit. Verumtamen memor ipse sit conditionis suae et sciat conscientiam suam graviter oneratum iri, si quid a veritate alienum secretis eiusmodi litteris exponere praesumpserit.

Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 25 martii 1922.

TH. CARD. VALFRÈ DI BONZO *Praefectus.*

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., *Secretarius.*

ANNOTATIONES

I. Subiectum obligationis mittendi relationem ad S. Sedem memoratur sicut in c. 510, praetermissa tamen mentione *Abbatis Primatis*. Itaque ad S. Sedem referre non debent singuli abbates monasteriorum sui

iuris, sed singuli Superiores qui vere, ut praefecti alicuius Congregationis monasticae, eius sunt Moderator Supremus. Simul autem Abbas Primas totius Ordinis ipse debet generaliorem facere relationem. Si Congregatio aliqua non iam habeat nisi unicum monasterium, abbas istius monasterii relatione facienda tenebitur, sicut antistita religionis pontificii iuris quae unica iam domo constet: quia de facto sunt supremi moderatores. Relationem istam facere non debent moniales quae non sunt hierarchice constitutae seu in Congregationem coadunatae. Multa minus ista relatione tenentur moniales Belgii et Galliae, quae Ordinariis locorum obnoxiae manent.

II. Ordo sequendus. Itaque imitans quod de relatione episcoporum ordinat Codex c. 340, S. C. iam definitum ordinem statuit quo relationes sunt Romam mittendae. *Virorum* autem religiones a religionibus mulierum distinguit. Viris ordo definitur secundum religiones, ita ut in primo quinquennii anno, i. e anno 1923, Canonici regulares, Monachi et Ordines Militares; altero anno, Mendicantes; tertio Clerici Regulares; quarto, Congregationes votorum simplicium tam clericales quam laicales; quinto demum, Societates virorum more religiosorum viventium aut cum votis privatis. Ex canone enim 675, etiam istae Societates relatione quinquennali facienda tenentur.

Mulieribus ordo statuitur secundum regiones in quibus exstat domus princeps Instituti, seu ubi sedem *ex officio* habet Moderatrix generalis. Quintus tamen annus (1927) assignatur simul omnibus Societatibus mulierum quae sine votis vel cum votis tantum privatis more religiosarum vivunt.

Ne tamen saepius quam quinto quoque anno relationes debeantur, Congregationes quae relationem iam forte exhibuerint intra quinque annos praece-

dentes eum in quo, secundum catalogum nunc promulgatum, relationem mittere deberent, eximuntur pro hac prima vice a renovanda ista relatione. V. g. Congregatio religiosa quae hoc anno 1922 relationem miserit, nullam anno 1926 mittere debebit, sed annum 1931 exspectare poterit.

III. Quod ad modum relationem exarandi, Instituta votorum simplicium fideliter respondere debent quaestionibus propositis in elencho qui anno 1906 a S. C. Episcoporum et Regularium promulgatus fuit (1) et ab hac S. Congregatione ad Codicem est accommodatus.

Verum obligatio relationis non afficiebat, ante Codicem, nisi Instituta quorum Constitutiones erant posteriores Normis anni 1901. Ideo aliis religionibus vel Societatibus providens, S. Congregatio nullum elenchum adhuc sequendum imponit; sed permittit ut ratio et forma adhibeantur quae naturae Instituti magis congruant; dummodo tamen Apostolica Sedes de statu tam materiali quam morali et disciplinari religionis plenam sibi notitiam comparare queat.

Prima autem relatio historicas notitias continere debet de Ordinis aut Congregationis fundatione; et praecipue quae spectant ad Instituti approbationem per Apostolicam Sedem et ad Constitutiones quibus in praesenti regitur. Exponenda quoque est interna regiminis forma et natura votorum, et si qua mutatio in hisce facta sit decursu temporum aut si qua in regulae observantia relaxatio inducta sit et quanam auctoritate.

IV. *Demum, quod ad relationum frequentiam*, observandum est, Normis 1901 praescriptam fuisse relationem triennalem. Haec, in recognitione Constitutionum, facile in quinquennalem convertitur. Si tamen frequentior relatio post Codicis promulgationem in Constitutionibus tunc approbatis vel recognitis praescri-

(1) Elenchus iste reperitur in Periodicis nostris, II, p. 129 ss.

batur, id servandum erit sine ullo respectu quinquennalis ordinis praesenti decreto impositi.

Quid igitur facere debent religiones quae Constitutiones nondum obtinuerunt recognitas a S. Sede? Satis erit ut quinquennalem relationem ad normam praesentis decreti exhibeant.

---

7. — S. Congr. de Religiosis

RESPONSUM 6 MART. 1922

De munere supremi moderatoris ad vitam

(A. A. S., 26 mart. 1922, 14, 165)

S. Congregationi Religiosorum Sodalium negotiis praepositae subiectum fuit sequens dubium: *Dubium.*

« An fundatores aut fundatrices Congregationum Religiosa-
« rum vel Piarum Societatum, more Religiosarum viventium,
« qui quaeve munere Supremi Moderatoris aut Moderatricis in
« sua Congregatione funguntur, ius habeant illud retinendi *ad*
» *vitam*, non obstante praescripto Constitutionum, quae dura-
« tionem muneris praedicti ad certum tempus coarctent et
« reelectionem eiusdem personae ultra certum limitem prohi-
« beant? ».

S. Congregatio, re mature perpensa, respondendum censuit: *Responsum.*
« Negative, nisi apostolicum indultum obtinuerint ».

Facta autem de praemissis relatione Ss.mo D. N. Pio divina Providentia Pp. XI, in audientia infrascripto P. Abbati Secretario concessa, die 25 februarii 1922, Sanctitatis Sua resolutionem S. Congregationis approbavit et confirmavit ac publici iuris fieri mandavit.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis de Religiosis die 6 martii 1922. *Dies (6 mar 1922)*

TH. CARD. VALFRÈ DI BONZO, *Praefectus*

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., *Secretarius*

ANNOTATIO

Satis saepe cuiuspiam Instituti fundator idem per totam vitam regere pergit, saltem quam diu viribus non fit impar. Iam quaeritur utrum necne istud sit privilegium fundatoris.

Ac merito in responsione negatur istud ius quod nulla lege scripta insinuatur nec ulla certa consuetudine innititur.

Verum, etiam in religionibus quarum Superior generalis est ad tempus constituendus, S. Sedes, satis prompta voluntate, petentibus morali unanimitate sociis, annuit ut fundator possit ad vitam in officio permanere. Accedit ista ratio. Initia valde laboriosa esse solent; ac religio imbuenda est genuino spiritu quem fundator magis aliis possidere praesumitur.

---

8. — Congr. de Religiosis

RESPONSA 16 MART. 1922

Circa pecunias religiosis obvenientes occasione servitii militaris praestiti tempore belli.

(A. A. S., 3 april. 1922, XIV, 196)

Dubia.

Sacrae Congregationi Religiosorum Sodalium negotiis praepositae, sequentia dubia pro opportuna solutione subiecta fuere :

I. De sollemniter professorum iure communi.

I. Utrum religiosi sollemniter professi ad tenorem iuris communis quidquam pecuniarum, quae illis occasione servitii militaris durante bello praestiti obvenerunt, vel obvenient, iure sibi retinere valeant, vel potius eas omnes suo Ordini refundere teneantur.

II. De sollemniter professis qui indulto utuntur.

II. Utrum religiosi sollemniter quidem professi, sed ex indulto Apostolico post professionem nihilominus capaces acquirendi, quidquam pecuniarum, de quibus in primo dubio, suas facere valeant absque assensu et licentia expressa sui Superioris maioris.

III. De simpliciter professis qui nihil acquirere possunt.

III. Utrum religiosi simpliciter professi sive in perpetuum sive ad tempus, quorum constitutiones excludunt post professionem omnem ulteriorem acquisitionem bonorum temporalium teneantur dictas pecunias omnes suae Religioni tradere.

IV. Utrum religiosi quomodocumque simpliciter professi in perpetuum vel ad tempus, sive in Ordine sive in Congregatione, quorum constitutiones non obstant, de pecuniis *titulo stipendii (le solde)* acceptis quidquam suum facere valeant, vel potius quidquid post eorum dimissionem ex exercitu superfuerit, respectivae Religioni tradere teneantur. *IV. De aliis simpliciter professis, quod ad stipendia,*

V. Utrum pensio vitalitia data ob mutilationem vel debilitationem in bello perpessam religiosis simpliciter professis, vel iis de quibus in can. 673 § 1, aut demum iis quorum vota vel promissa suspensa manebant, pertineat ad respectivam Religionem aut Societatem. *V. pensionem vitaliciam,*

VI. Utrum emolumenta pecuniaria, ob decus militare *(la médaille militaire, la croix de la légion d' honneur)* in bello reportatum obvenientia, pertineant ad ex-milites aut potius ad Religionem. *VI. emolumenta decoris militaris,*

VII. Utrum retributio singulis militibus in actu eorum dimissionis tributa tamquam solemne publicae gratitudinis signum *(la prime de la démobilisation)* pertineat ad Religionem. *VII. retributionem in signum gratitudinis,*

VIII. Utrum qui de pecuniis occasione belli perceptis contra superiores resolutiones iam disposuerint etiam in favorem tertii, teneantur ad restitutionem.

Porro Eminentissimi Patres in plenario coetu ad Vaticanum habito die 24 februarii 1925, re mature perpensa, ad proposita dubia respondendum censuerunt: *Responsa 24 feb. 1922.*

Ad I. *Negative* ad 1am partem; *affirmative,* ad 2am *Ad. I.*

Ad II. *Negative.* *Ad. II.*

Ad III. *Affirmative,* quoad religiosos qui tempore servitii militaris votis ligati erant; *negative,* quoad ceteros. *Ad III.*

Ad IV. Si agatur de iis qui tempore servitii militaris votis adstricti erant: *negative* ad 1am partem, *affirmative* ad 2am; si vero de iis quorum vota cessarunt, *affirmative* ad 1am partem; quoad alteram vero: aequam compensationem suae Religioni tradant. *Ad. IV.*

V. Quoad religiosos tempore servitii militaris votis obstrictos: pertinet ad Religionem; quoad ceteros: pertinet ad personam, quae tamen tenetur eam suo Instituto tradere quam diu in eo permaneat. *Ad. V.*

Ad VI. *Negative* ad 1am partem; *affirmative* ad 2am nisi de iis agatur qui votis non erant obstricti tempore belli. *Ad. VI.*

Ad VII. *Affirmative;* nisi tempore belli votis ligati minime fuerint. *Ad VII.*

Ad VIII. *Affirmative;* nisi religiosus ex permissione Superioris, rationabiliter praesumpta, egerit. *Ad VIII.*

Approbatio Pontificia

Facta autem de praemissis relatione Ss.mo D. N. Pio Div. prov. Pp. XV ab infrascripto P. Secretario S. Congregationis, in audientia habita die 25 februarii 1922, Sanctitas Sua resolutionem EE. Patrum approbare et confirmare dignata est.

Dies (16 mart, 1922).

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis de Religiosis, die 16 martii 1922.

TH. CARD. VALFRÈ DI BONZO. *Praefectus.*

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., *Secretarius*

ANNOTATIONES

I. De vi responsionum. Cum sine ulla addita mentione interrogantis, dubia haec proposita sint, eorumque solutio in plenariis comitiis Eminentissimorum Patrum suffragiis firmata, approbante Pontifice, authentice per Acta Apostolicae Sedis promulgata sit, interpretatio haec vim habet legis universalis, cui solus auctor legis vel ipse Pontifex derogare potest. Nostrum itaque est tantum ut responsa declarare eorumque rationem reddere conemur. Cf. nostram *Epitome*, I, n. 60, vel *Periodica* IX, p. (1).

II. De singulis responsis.

I. Responsum quo sollemniter professi qui solo iure communi utuntur, omnem acceptam pecuniam suo Ordini refundere iubentur manifestissima ratione innititur quae redditur proloquio " Quidquid acquirit monachus monasterio acquirit ", et c. 582, his verbis: " Omnia bona quae quovis modo obveniunt regulari: 1. In Ordine capaci possidendi cedunt Ordini vel provinciae vel domui secundum Constitutiones; 2. In Ordine incapaci, acquiruntur Sanctae Sedi in proprietatem ".

2. Idem, *altero responso*, statuitur de sollemniter professis qui, ex indulto Apostolico, capaces manent acquirendi. Et merito quidem, quia attributio bonorum ei qui sollemniter professus sit stricte intellegi debet,

utpote derogans iuri communi. Quantum fieri potest, regimen voti sollemnis servandum est.

Itaque, et hoc notatu dignum videtur, capacitas talis professi non est eiusdem extensionis ac capacitas religiosi qui solo voto simplici tenetur; sed restringenda est ad bona quae indulto sunt expresse vel virtualiter indicata.

3. *In tertio responso* iam locum habet distinctio quae in quattuor sequentibus responsis recurret, inter eos qui votis astricti et eos qui votis soluti stipendia meruerunt. Qui astricti manent voto quo omnis ulterior acquisitio bonorum excluditur, sibi stipendia retinere manifesto non possunt. Id tantum aliquantisper ambigi poterat, utrum haec necessario religioni tradere deberent an etiam aliis, v. g. pauperibus vel familiae transmittere possent. Fortasse propter analogiam iuris, S. Congregatio eos simpliciter obligavit ut ea religioni traderent. Contra, votis non ligati stipendia sua facere permittuntur.

4. *De religiosis qui nova bona acquirere* Constitutionibus *minime prohibentur*, maior erat ratio dubitandi. Agebatur enim, quod ad stipendia, de recta interpretatione c. 580, § 2 " Quidquid industria sua vel intuitu religionis acquirit, religioni acquirit ". Verba " *industria sua* " suntne referenda ad eam operositatem quae secundum naturam vocationis religiosae habet professus, an intellegenda sunt de omni actione sua? Ac responsum nos docet latam interpretationem verborum " *industria sua* ", dum stipendia addicit religioni, si religiosus manebat votis astrictus. Responsum istud varios alios casus illustrare poterit. Sic, lucrum quod modo illicito et suae vocationi repugnanti fecerit religiosus, erit simpliciter religioni acquisitum, ita ut votum paupertatis et ipsam iustitiam laeserit religiosus qui de isto lucro diversimode disposuerit.

In altera parte responsi iubentur ii qui votis erant soluti ex pecuniis sibi comparatis aequam religioni dare compensationem.

Quaeri potest quid sit compensandum? Utrum soli sumptus facti dum militiam agebant, an etiam lucrum cessans vel expensae quae propter profectionem religiosi factae sunt necessariae? Supponas magistrum cuius laicus pretio conductus vices supplere debuit. Debetne religiosus ex obtenta pecunia istas expensas compensare? Ac nobis solae expensae directe propter eius alimenta factae compensandae videntur. Nam religiosus non debebat ex iustitia operam suam in bonum religionis impendere. Ac proin privatio istius operae non confert religioni aliquem titulum quidpiam a religioso exigendi.

5. *Pensio vitalicia* data ob mutilationem vel debilitationem in bello perpessam simpliciter, *in quinto responso*, addicitur religioni, si ea fruitur religiosus votis astrictus. Secus, pertinere dicitur ad personam, ita tamen ut teneatur " eam suo Instituto tradere quam diu in eo permaneat ". Ratio posterioris obligationis haec esse videtur, ut religio quae religiosum alere debet, obtineat ex ista pensione compensationem. Supponitur ergo religiosum iam factum inutilem. Quid si religiosus sit aeque atque antea utilis religioni; quid, si onus alimentorum religioni non incumbat? Non ideo mutandum videtur responsum. Non est enim a nobis introducenda distinctio quam S. C. consulto ad praecavendas querelas et difficultates, omittere potuit.

Quia autem simpliciter addicitur religioni pensio data religioso qui votis tenebatur, nulla distinctione facta votorum temporalium et perpetuorum, solutio S. Congregationis non fundatur in aliqua huiusmodi compensatione; sed quia pensio debetur propter professi industriam, late sumptam, ideo fructibus industriae assimilata videtur.

6. Cum *decore militari* (*medaglia militare*) coniungitur interdum quoddam praemium pecuniae vel pensionis. Propter eandem causam propter quam pensio, etiam ista emolumenta addicuntur religioni, si agitur de religioso qui votis sit astrictus.

7. Immo ad religionem pertinere dicitur *retributio* quae religioso, qui votis sit astrictus, tamquam sollemne publicae gratitudinis signum tribuatur. Ratio istius responsi cuipiam difficilis videri poterit. Etenim ex c. 580, § 2, religioni tribuitur tantum quod religiosus industria sua vel intuitu religionis acquisierit. Hic agitur de donatione quae intuitu ipsius personae facta est; et religiosus supponitur capax acquirendi alia bona ad tramites c. 580, § 1. Retributio tamen ista satis cum religiosi operositate conectitur, ut S. C. eam inter industriae fructus latissime acceptos, recensere potuerit.

8. Octavo responso imponitur restitutio iis qui contra modo datas resolutiones de pecuniis perceptis disposuerit.

Restitutio ista debetur secundum regulas communes restitutionis. Si igitur pecunia ista fuerit bona fide et non fructuose consumpta, obligatio urgeri nequit. Si sit apud tertium, is monendus erit de obligatione restituendi; nec appellari poterit praescriptio civilis, cum ex c. 1511, iura religionis non praescribantur nisi post triginta annos.

III. *Quaestiones residuae.*

1. *In quaesito IV* mentio bis facta est de iis qui pertinent ad societatem sine votis; immo interrogatio supponebat promissa in tali societate facta suspensa manere. In responsis nulla allusio ad istos facta est. Et merito quidem. Nisi enim, quod ignoramus, peculiaris provisio S. Congregationis sua responsa 15 iul. 1919 ad societates sine votis extenderit, promissa ista minime sunt suspensa. Privato viro non licet late in-

tellegere declarationem 15 iul. 1919 quae, ex materia sua, est manifesto odiosa.

2. Hinc quaeres de regulis attributionis pecuniarum pro sociis talis instituti, per militiam. Videndum est cuinam, ex Constitutionibus, cedant fructus industriae. Dein, secundum responsa praesentia, inter fructus industriae ponemus omnes pecunias de quibus in quaesitis sermo factus est. Et quo titulo fructus isti Societati obveniunt, eodem pecuniae obtentae per militiam ad Societatem pertinebunt. Si promissa cessaverint, liquet socios func religiosis sine votis esse aequiperandos.

3. **Quaeres** quo modo quaestio fieri potuerit de religiosis votorum simplicium qui per militiam vota servaverint, cum, ex decreto *Inter reliquas* et declaratione 15 iul. 1919, vota temporanea cessent, et ex Codice prima vota non possint fieri nisi ad tempus.

Sed iam ante promulgatum Codicem religiosi votorum simplicium in Ordinibus stipendia ista meruerunt. Iam vero vota ista erant tunc perpetua nec servitio militari suspendebantur. Praeterea vota non cessant nisi per servitium militare ordinarium, non autem per supplementare quod extra vel intra bellum praestandum sit. Non pauci igitur stipendia meruerunt religiosi votis perpetuis vel adeo sollemnibus astricti.

4. Demum istud ex responsis colligemus, fructus industriae ita tribuendos esse religioni ut iustitiam commutativam violet qui de iis aliter disposuerit sine debita facultate.

9. — Sacra Paenitentiaria Apostolica.

(Sectio de Indulgentiis)

INDULGENTIAE APOSTOLICAE

Quam Ss.mus D. N. Pius PP. XI in audientia D. Card. maiori poenitentiario impertita die 17 februarii 1922 largitus est.

Monita

Monita.

1. Res aptae ad recipiendam benedictionem pro Indulgentis Apostolicis lucrandis sunt tantummodo coronae, rosaria, cruces, crucifixi, parvae statuae, numismata, dummodo non sint ex stanno, plumbo, vitro aliave simili materia, quae facile confringi vel consumi possit.

2. Imagines Sanctorum alios ne repraesentent quam rite canonizatos vel in probatis martyrologiis relatos.

3. Ut quis valeat Indulgentias Apostolicas lucrari, necesse est ut aliquam ex rebus benedictis ab ipso Summo Pontifice, vel a sacerdote facultate praedito, super se deferat aut in domo sua decenter retineat.

4. Ex expressa SS. Domini nostri declaratione, per Apostolicarum Indulgentiarum concessionem nullatenus derogatur Indulgentiis a Summis Pontificibus, piis exercitiis vel operibus infra recensendis.

Indulgentiae

Indulgentiae.

1. Quisquis saltem semel in hebdomada recitare consueverit coronam Dominicam, vel aliquam ex coronis B. Mariae Virginis, vel rosarium aut saltem eius tertiam partem, vel divinum officium, vel officium parvum eiusdem B. Mariae Virginis, vel integrum officium Defunctorum aut saltem vesperas aut nocturnum cum laudibus, vel psalmos poenitentiales aut graduales, vel consueverit in ecclesia christianam catechesim tradere, aut domi illam suos filios, propinquos vel famulos docere, vel in carceribus detentos aut aegrotantes in nosocomiis misericorditer invisere, vel pauperibus quomodocumque opitulari, vel Missae interesse eamve, si fuerit sacerdos, celebrare, servatis solitis conditionibus confessionis sacramentalis, sanctae Communionis et alicuius orationis ad mentem Summi Pontificis, lucrabitur Indulgentiam plenariam diebus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pen-

tecostes, SS. Trinitatis, Corporis Domini eiusdemque SS. Cordis; Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis; Nativitatis S. Ioannis Baptistae; utriusque festi S. Ioseph Sponsi B. Mariae Virginis, Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi et Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Matthiae, atque Omnium Sanctorum.

2. Si quis vero ad sacramentalem confessionem ac ad sanctam Communionem minime accesserit, corde tamen contritus ad mentem Summi Pontificis aliquantisper precatus fuerit, singulis diebus supra recensitis necnon aliis festis Domini et B. Mariae Virginis, Indulgentiam lucrabitur septem annorum totidemque quadragenarum; diebus Dominicis ceterisque per annum festis de praecepto, Indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum; quovis, demum, alio anni die, Indulgentiam trecentorum dierum.

3. Insuper quisquis aliquod ex praedictis pietatis vel charitatis operibus expleverit, quoties id peregerit, quingentorum dierum Indulgentiam acquiret.

4. Quisquis ad aeris campani signum sive mane, sive meridie, sive vespere orationem vulgo *Angelus Domini*, tempore autem paschali *Regina caeli*, aut, eas ignorans, semel *Pater noster* cum *Ave Maria;* itemque sub primam noctis horam, edito pro Defunctorum suffragio campanae signo, psalmum *De profundis* vel, si eum nesciat, *Pater noster* cum *Ave Maria* recitaverit, acquiret Indulgentiam centum dierum.

5. Eandem Indulgentiam acquiret qui quavis feria sexta de Passione et morte D. N. Iesu Christi aliquantulum pie cogitaverit terque Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam devote recitaverit.

6. Qui suam conscientiam excusserit et peccata sua sincere detestatus fuerit cum proposito se emendandi, devoteque recitaverit *Pater Noster, Ave Maria* et *Gloria Patri* in honorem Ss.mae Trinitatis, aut in memoriam Quinque Vulnerum D. N. Iesu Christi, consequetur Indulgentiam trecentorum dierum.

7. Quisquis pro fidelibus oraverit qui sunt in transitu vitae, vel saltem pro iis semel dixerit *Pater noster* cum *Ave Maria*, centum dierum Indulgentiam lucrabitur.

8. Quisquis, demum, in mortis articulo constitutus, animam suam devote Deo commendaverit et, iuxta instructionem fel. rec. Benedicti XIV in Const. quae incipit *Pia mater*, 5 aprilis 1747, paratum se exhibuerit obsequenti animo mortem a Deo opperiri, et vere poenitens, confessus ac S. Communione refe-

ctus vel, si id nequiverit, saltem contritus invocaverit corde, si labiis sit impeditus, Ss.mum nomen Iesu, plenariam Indulgentiam consequetur.

Datum Romae, ex S. Poenitentiaria Apostolica, die 17 februarii 1922. *Dies (17 feb. 1922).*

BERNARDUS COLOMBO, *S. P. Regens*

Io. Bapt. Menghini, *Substitutus.*

ANNOTATIONES

1. Catalogum hunc indulgentiarum exscribimus, obtenta licentia per rescriptum *S. Paenitentiariae*, 14 mart. 1922. Quae licentia necessaria est ex c. 1388, § 2. Concessio autem hanc clausulam annexam habet: una vice tantum.

2. Dum SS. Pontifices solebant fere iisdem verbis repetere elenchum inde a Benedicto XIII confectum, ita ut BENEDICTUS XV mere haec verba: « corde saltem contritus », elencho PII X inseruerit (1) hac vice, contra, notabiles quaedam mutationes factae sunt, quibus canones 911-936 novi Codicis et praesertim declaratio *S. Paenitentiariae* 18 feb. 1921 (2) occasionem dedisse videntur. Singulas in brevi nostra commentatione indicabimus.

3. *Titulus* mutatus est. Etenim, in A. A. S. 17 sept. 1914, p. 903 vel *Period.* VIII, p. 208, nuntiabatur: « Elenchus indulgentiarum Apostolicarum. Indulgentiae quas S. D. N. Benedictus Pp. XV impertitur Christifidelibus qui, retinentes aliquam ex coronis, rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, numismatibus, ab eadem Sanctitate Sua benedictis, praescripta pia opera adimpleverint. » Nunc vero is titulus praescribitur: « Indulgentiae apostolicae quas S. D. N. Pius Pp. XV in audientia D. Card. Maiori Paeni-

(1) Historica fata istius argumenti cfr. BERINGER HILGERS[14] *Die Ablässe*, I, p. 432 ss.

(2) Cfr. PERIODICA VIII, p. 210.

tentiario impertita die 17 febb. 1922, largitus est ».

4. *De monitis.* In utroque tamen monumento quattuor monita ipsis indulgentiis praeponuntur. Non sunt vero eiusdem formae et tenoris. Etenim :

a) Supprimitur introductio : « Ut quis valeat indulgentias lucrari quas... requiritur. » Prima tantum verba : « Ut quis valeat indulgentias lucrari » reperiuntur nunc in tertio monito.

b) Primum monitum elenchi S. D. Pii XI, respondet tertio monito Benedicti XV « Excluduntur ab Apostolica benedictionis concessione, etc. »

c) Dum antea directe excludebantur res ex stamno, plumbo, nunc *positive aptae* dicuntur tantummodo coronae, etc. dummodo non sint ex stanno, plumbo, « vitro aliave simili materia, quae facile confringi vel consumi possit. » Nunc primum expressa mentio fit *vitri*, tamquam ineptae materiae.

Verum cum antea probati auctores, quales Beringer-Hilgers, distinguerent *vitrum insufflatum*, quod vacuum et maxime fragile est a *vitro fuso*, quod *plenum* et consistens est, et vitrum nominetur tamquam materia quae facile confringi nel consumi possit, arbitramur nihil severius quam antea esse in hac re statuendum.

Alterum monitum, paulo felicioribus verbis reddit quod quarto monito continebatur. Antea enim dicebatur « Imagines repraesentare debent sanctos qui vel iam consueta forma canonizati », quasi non possint esse imagines SS. Trinitatis vel Christi, vel consueta forma requiratur qua talis, et non qua legitima. Nunc elegantius dicitur : « Imagines *Sanctorum*, alios ne repraesentent quam *rite* canonizatos. »

In tertio monito praesentis elenchi ponitur quod introductione et secundo et tertio monito superioris elenchi exigebatur ; ponitur autem brevius et magis praecise. Antea dicebatur : « Ut... in propria deferant

persona... Quod si id minime fiat, requiritur ut illud in proprio cubiculo vel alio decenti loco suae habitationis retineant, et coram eo devote praescriptas preces recitent. » Nunc, magis nervose : « Necesse est ut aliquam ex rebus benedictis... super se deferat aut in domo sua decenter retineat. » Ultima verba suppressa sunt, quia condicionem non semper necessariam postulabat ut *preces coram obiecto benedicto* recitarentur : alia enim opera praeter preces apostolicis indulgentiis ditantur.

Cum autem nunc numquam exigatur ut quidquam fiat coram obiecto benedicto, ad ipsam condicionem orationum implendam sufficere videtur ut res benedicta sit in decenti loco habitationis, quamvis orans sit extra domum.

Praeterea, dum in introductione res supponebantur benedictae ab ipso Pontefice, nunc accuratius, in eodem tertio monito dicitur : « aliquam ex rebus benedictis ab ipso Pontifice vel a sacerdote facultate praedito ».

Quarto demum monito repetitur quod post recensitas indulgentias declarabatur. Cuius moniti significatio non est haec, ut possint indulgentiae istae cumulative cum aliis unica operis impletione comparari : nam opera quae iterari consueverunt debent iterari ut plures indulgentiae obtineantur ; sed sensus iste tantum est, non exstingui indulgentias iisdem piis operibus annexas propter alios titulos, ac propter possessam rem pro apostolicis indulgentiis benedictam.

5. *De indulgentiis.* Discrimina haec notanda sunt.

a) *Habitualis* recitatio coronae requiritur, dum antea dicebatur : « Quisquis saltem in hebdomada semel recitaverit ».

b) Textus *antiquus* : « officium parvum eiusdem B. Virginis aut fidelium defunctorum. »

Textus *praesens* : officium parvum eiusdem B. Ma-

riae Virginis, vel integrum officium defunctorum aut saltem vesperas aut nocturnum cum laudibus. »

c) Textus *antiquus* : « vel consueverit catechesim christianam tradere. »

Textus *praesens* : « vel consueverit in ecclesia christianam catechesim tradere aut domi illam suos filios, propinquos vel famulos docere ».

d) Textus *antiquus* : « vel pauperibus opitulari. »

Textus *praesens* : « vel pauperibus quomodocumque opitulari ».

e) Ad festa, prius numerata, accedit festum SS. Cordis Iesu ; et pro festo S. Ioseph, ponitur : utrumque festum S. Ioseph.

f) Textus *antiquus* : « Quisquis vero corde saltem contritus, haec omnia peregerit in aliis festis Domini et B. M. V... sin autem eadem alio quocumque anni die expleverit, centum dierum indulgentiam acquirent. »

Textus *praesens* : « Si quis vero ad sacramentalem confessionem et ad sanctam communionem minime accesserit, corde tamen contritus ad mentem S. Pontificis aliquantisper precatus fuerit, singulis diebus supra recensitis necnon aliis festis Domini et B. M. Virginis,... quovis demum alio anni die, indulgentiam trecentorum dierum. »

g) Textus *antiquus* dein distincte enumerabat indulgentias partiales centum vel biscentum dierum quarum sola condicio erat vel habitualis recitatio precum supra indicatarum, vel exercitatio operum caritatis supra memoratorum, dum textus *praesens* largitur quingentos dies quoties aliquod ex istis pietatis vel caritatis operibus expletum fuerit.

h) Textus *antiquus,* dum largiebatur indulgentiam recitanti *Angelus Domini*, non memorabat *Regina caeli* tempore paschali in eius locum recitandum : hoc textus *praesens* non omittit.

i) Textus *antiquus*, post examen conscientiae exigebat vel *tria* Pater et Ave in honorem SS. Trinitatis, vel *quinque* in memoriam quinque vulnerum, dum textus *praesens* in utroque casu *semel* recitatis Pater et Ave contentus est et 300 pro 100 dierum indulgentiam largitur.

k) Textus *antiquus* oranti pro fidelibus in transitu vitae, indulgentiam 50 dierum; textus *praesens* indulgentiam 100 dierum largitur.

l) Praetermittitur indulgentia 50 dierum quae concedebatur praemittenti qualemcumque orationem praeparationi missae vel sanctae communionis aut recitationi divini officii vel parvi officii B. V. Mariae.

6. *Explicationes supplementariae* quae in superioribus elenchis addebantur, vel ut superfluae vel ut antiquatae sunt omissae. Sic *superflua* est declaratio permissae applicationis in suffragium defunctorum, cum, ex c. 930, omnes indulgentiae a RR. PP. concessae sint applicabiles; antiquata est clausula de usu stricte personali rerum benedictarum, cum revocata sit c. 924 § 2, ex decl. 18 febb. 1921 (*Periodica*, x, 319).

---

10. — S. Congr. Rituum

RESPONSUM 18 FEB. 1922

De collecta Imperata seu oratione pro pace

(A. A. S., 15 mart. 1922, 14, 175)

Dubium. Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione:

Utrum probari vel tolerari possit consuetudo in una vel altera dioecesi exsistens, qua collecta imperata seu Oratio pro pace « Deus a quo sancta desideria » etc., addatur Postcommunioni Missae de die currente, omissis *Secreta* et *Postcommunione* de Pace.

Responsum. Et sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis voto, propositae quaestioni respondendum censuit « Negative ad utrumque, iuxta Rubricas et Decreta ».

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 18 februarii 1922.

A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *Praefectus*,
Alexander Verde, *Secretarius*

11. — Commissio Pontificia de Re Biblica

DECLARATIO 17 NOV. 1921

De additione variarum lectionum in editionibus versionis vulgatae novi et veteris Testamenti.

(A. A. S. 5 ian. 1922, 14, 27)

Dubium. In Praefatione ad lectorem editionis Clementinae versionis Vulgatae Sacrarum Scripturarum legitur:

« Porro in hac editione nihil non canonicum... nullae ad « marginem concordantiae (quae posthac inibi apponi non « prohibentur) nullae notae, nullae variae lectiones, nullae de- « nique praefationes... Sed sicut Apostolica Sedes industriam « eorum non damnat, qui concordantias locorum, varias lectio- « nes, praefationes S. Hieronymi et alia id genus in aliis « editionibus inseruerunt; ita quoque non prohibet, quin alio « genere characteris. in hac ipsa Vaticana editione, eiusmodi « adiumenta pro studiosorum commoditate atque utilitate in « posterum adiiciantur; ita tamen, ut lectiones variae ad mar- « ginem ipsius textus minime adnotentur ».

Quum autem sint qui putent ultimis hisce verbis prohiberi additionem variarum lectionum non solum in margine laterali, verum etiam in inferiore seu ad calcem textus, quaesitum est a Pontificia Commissione Biblica: utrum liceat in editionibus versionis Vulgatae tam Novi quam Veteris Testamenti lectiones varias aliave huiusmodi studiorum adiumenta ad calcem textus adiicere?

Responsum. Re examinata, Pontificia Commissio Biblica respondit:

Affirmative.

Dies (17 nov. 921). Quam resolutionem Ss.mus Dominus Noster Benedictus Pp. XV in audientia diei 17 novembris 1921 adprobare dignatus est.

† Henr. Laur. Janssens, O. S. B., *Ep. Bethsaiden. Consultor ab Actis.*

Annotatio

Prudenti isto responso permittitur ut ipsi catholici possint apparatu scientifico editiones sacri textus parare et typis edere, ne acatholicorum editionibus ii qui scientiis sacris operam dant nimis uti cogantur.

12. — Commissio Codici interpretando

RESPONSUM 23 MART. 1920

Indultum et consuetudo non revocata Codice

Dubia.

Rev.me Frater, ad dubia proposita, nempe:

I. Utrum indultum a S. C. Religiosorum die 26 sept. 1910 concessum Instituto « Christian Brothers », vi cuius « nessun membro dell' Istituto sia eligibile per i voti perpetui prima dell' età di 25 anni compiuti, avendo emessi i voto annui per almeno sei anni di seguito (1) » integrum maneat ad norman canonis 4; an per Codicem expresse revocetur.

Responsa.

II. Utrum consuetudines huius instituti approbatae a S. C. de Propaganda Fide, die 22 ian. 1907, vi quarum, « il novizio venga ammesso ai primi voti annuali nella prima Festa del Natale, che succede alla fine del primo anno di noviziato. Nei mesi però che intercedono dalla fine del primo anno di noviziato al venturo anno, il novizio sia pure impiegato nell' esercizio e nelle prove delle scuole (2) » a Codice revocate fuerint.

Em. Commissionis Praeses respondet:

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Negative.

Quae dum Fraternitati tuae significo, fausta cuncta a Deo apprecor.

PETRUS CARD. GASPARRI
Aloisius Sincero, *Secretarius*

ANNOTATIONES

I. Institutum de quo agitur floret in Hibernia. Timens ne novo Codice labiles factae essent duae dispositiones peculiares ipsis valde acceptae, Fratres Christiani (*Christian Brothers*) interrogarunt Pontificiam Commissionem de praesenti earum valore. Re-

(1) I. e. *latine:* Nullus socius Instituti admitti possit ad vota perpetua ante aetatem 25 annorum completorum, et antequam per sex annos continuos vota annualia emiserit.

(2) Novicius admittatur ad prima vota annualia in primo Festo Natalis Domini, quod finem primi anni noviciatus subsequatur. In mensibus qui ab absoluto isto anno ad annum proxime sequentem transcurrent, novicius occupetur in exercitiis et experimentis scholarum.

sponsio plana visa est, ita ut ipse praeses Commissionis eandem dare voluerit. Ac re quidem vera, nulla clausula Codicis revocabat indultum vel consuetudinem de quibus in utroque dubio.

II. Observes tamen fieri posse, ut religiosi isti ultra sex annos cum votis temporariis maneant. Etenim, qui quindecim completos annos natus ad noviciatum admissus fuerit, poterit per octo annos solis votis annuis esse ligatus.

Facilior erat concessio alterius usus, cum ageretur tantum de prorogatione noviciatus post unum annum elapsum.

Quare, ni fallimur, posterior concessio etiamnum obtineri possit, dum praesens stylus S. Congregationis obstat quominus permittat vota temporaria ultra sex annos.

III. Observes rescriptum istud non fuisse in A. A. S. insertum. Directum est ad R. F. Michaelem Costen, procuratorem generalem Instituti.

ACTA SUMMATIM RELATA

13. — *SS. D. N. BENEDICTI PP. X.*

A. *Litterae de basilicis.*

Basilicae minores declarantur;

Eccl. SS. Trinitatis Caesarisburgi.

1. Brevi 2 dec. 1921, ecclesia SS.ae Trinitatis *Caesarisburgi* (Cherbourg) dioec. Constantiensis (Coutances, in Gallia), memoria honestata tum B. Thomae Helyas, qui apud eam iuvenes docebat, tum B. Mariae Magdalenae Postel, Congregationis Sororum a Misericordia fundatricis, quae ibidem cum aliquibus sodalibus prima vota emisit. (A. A. S., 5 ian. 1922, 14, 5).

B. M. V. de Aranzazu.

2. Brevi 15 dec. 1921, Sanctuarium B. M. V. de *Aranzazu*, dioecesis Victoriensis (Vittoria in Hispania), miraculosa imagine insignem Deiparae Virginis Infantem Jesu sinu foventis. (A. A. S. 23 ian. 1922, 14, 35).

B. *Litterae de dioecesibus mutandis.*

Conza, Campagna, S. Angelo de' Lombardi, Bisaccia.

Bulla 30 sept. 1921 ab archidioecesi *Compsana* (Italia) iterum seiungitur dioecesis *Campaniensis*, eidem ab anno 1818 unita, mutatis praeterea utriusque finibus; archidioecesi autem Compsanae uniuntur dioeceses *S. Angeli de Lombardis* et *Bisaciensis*. In episcopum Campaniensem nominatur modernus archiepiscopus Compsanus, qui titulum accipit *ad personam* Archiepiscopi-episcopi Campaniensis. (A. A. S. 3 apr. 1922, 14, 190).

C. *Litterae de indulgentiis.*

Indulgentia Unioni Eucharisticae.

Brevi diei 22 dec. 1921, indulgentiis augetur pium sodalicium Sanctae Unionis Eucharisticae reparatricis in Civitate Mediolanensi canonice erectae ad promovendum usum communionis frequentis in spiritu reparationis et ad mentem S. Pontificis. (A. A. S. 15 mart. 1921, 14, 150).

D. *Litterae de facultate impertiendi benedictionem abbatialem.*

Benedictio abbatum.

Brevi 13 dec. 1921, facultas perpetua benedictionem abbatialem reliquis Congregationis Hungaricae O. S. B. abbatibus conferendi, conceditur archiabbati pro tempore S. Martini de Sacro Monte Pannoniae. (A. A. S. 23 ian. 1922, 14, 34).

E. *Litterae de facultate acceptandi Seminaria regenda.*

Seminaria presbyterorum a S. Sulpitio.

Brevi 23 dec. 1921, Societati presbyterorum a S. Sulpitio in perpetuum facultas conceditur acceptandi regimen Seminariorum sibi ab Ordinariis locorum concreditum, quin in singulis casibus S. Sedem adire teneantur, eademque administrandi sine interventu deputatorum de quibus can. 1359; salva tamen omnimoda dependentia ab Ordinario loci et obligatione eidem quotannis reddituum rationem reddendi (A. A. S. 5 ian. 1922, 14, 37).

F. *Litterae de patronis Galliae.*

B. V. Maria et Ioanna d'Arc, patronae Galliae.

Brevi 2 mart. 1922, propositum exsequens decessoris sui Benedicti XV, hodiernus Pontifex *B. Virginem Mariam* sub titulo Assumptionis in coelum ut *principalem* universae Galliae apud Deum *patronam* rite electam declarat et confirmat, cum omnibus privilegiis et honorificentiis quae huic nobili titulo ac dignitati competunt. Praeterea S. Ioannam Virginem Arcensem uti patronam minus principalem Galliae, pleno populi suffragio electam, libentissime declarat et constituit, attributis omnibus honorificentiis quae huic titulo iure competunt. In litteris, brevis summa historica traditur devotionis Galliae ad B. Virginem, quam ipsa S. Ioanna Arcensis peculiari affectu coluit. (A. A. S. 3 apr. 1922, 14, 185).

14. — *SS. D. N. PIUS PP. XI.*

A. *Litterae de ecclesia.*

B. M. V. ad Rupes Minoribus concredita.

Brevi diei 20 feb. 1922, Custodia Sanctuarii B. M. V. ad Rupes prope urbem *Nepesinam* (Nepi in Italia) siti, denuo committitur Minoribus e provinciae Saxoniae, qui illam ratione belli a. 1916 abdicaverant. (A .A. S. 15 mart. 1922, 14, 147.)

B. *Litterae de Praefecturis apostolicis erigendis.*

Praef. de Lang-Long.

1. Brevi 16 feb. 1922, ex territoriis dismembratis a Vicariatibus apostolicis de Kui-ceu et de Koang-si in Sinis, erigitur nova Praefectura apostolica de *Lang-Long*, societati Parisiensi pro missionibus exteris concredenda. (A. A. S. 3 apr. 1922, 14, 183.)

Praef. de Nagoya.

2. Brevi 18 feb. 1922, territoriis detractis ab archidioecesi Tokyensi et a Praefectura apostolica de Nygata in Japonia, erigitur nova Praefectura apostolica de *Nagoya*, curis concredenda Societatis Verbi Divini de Steyl. (A. A. S. 3 apr. 1922, 14, 184.)

C. *Litterae de indulgentiis.*

Brevi 11 mart. 1922, pia consociatio a « Choris Marianis » in ecclesia S. Teresiae de Urbe erecta, indulgentiis et gratiis spiritualibus donatur (A. A. S. 3 apr. 1922, 14, 188). *Consociatio a choris Marianis*

15. — *S. CONGR. CONSISTORIALIS*

Mutationes in diocesium denominatione, finibus, sede.

1. Die 17 febr. 1922, decernitur ut in posterum dioecesis *Albiensis* (Albi in Gallia) denominetur Albiensis, Castrensis et Vauriensis. (A. A. S. 15 mart. 1922, 14, 158.) *Dioeceses Albi,*

2. Decreto 3 mart. 1922, paroecia S. Ritae de Maura a dioecesi *Amozonensi* (Brasilia) dismembratur et Praefecturae apostolicae *Fluminis Nigri unitur.* (A. A. S. 3 apr. 1922, 14, 193.) *Amazoni et Rio Negro,*

3. Decreto 3 mart. 1922, sedes dioeceseos Tamaulipanae (Mexico) a civitate Victoria in urbem Tampico tranffertur. (A. A. S., 3 april. 1922, 14, 194). *Tamaulipas.*

16. — *S. CONGR. DE DISCIPLINA SACRAM.*

Responsum summatim relatum.

Die 18. nov. 1920, in causa quadam dioecesis Z. in Hispania, respondit S. C. permittendum esse in casu transitum ad novas nuptias *ob legitime praesumptam mortem coniugis.* Deficientibus enim in casu argumentis directis, concordia adsunt indicia quae aliter apte explicari difficile possunt. (A. A. S. 6 feb. 1922, 14, 96). *Praesumpta mors coniugis*

17. — *S. CONGR. CONCILII*

Die 11 dec. 1920, in causa Placentina, respondit S. C. *ius praesidendi coetibus capitularibus* non competere canonico coadiutori cum iure futurae successionis primae dignitatis ad quam hoc ius in casu spectabat. *Ius praesidendi.*

Recolere iuvat iuxta De Herdt *Prax.* cap. II, § 5, coadiutorem non habere « ius seu titulum in beneficium sed tantum exercitium et administrationem nomine coadiuti, penes quem residet totale ius in beneficium » ; hinc neque in possessionem mitti valet, nec est proprie de gremio capituli, nec proinde ius praecedendi veris canonicis habere potest, demum nec praesidendi Capitulo (cfr. 397, 4º). A. A. S., ian. 5 1922, 14, 42.)

18. — *S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE*

Collegium missionum in Urbe.

A. Decreto 25 ian. 1921, erigitur in Urbe *novum collegium Missionum* a S. Alexio de Falcuneriis nuncupandum, cuius sedes interim erit apud religiosos Ordinis Servorum Mariae ad S. Nicolai Tolentinatis. (A. A. S. 5 ian. 1922, 14, 15.)

Praeses pro missionibus in Helvetia.

B. Decreto 3 oct. 1921, R. P. D. Robert. Buerkler, episcopus Sangallensis, praeses pro Helvetia denunciatur *Piae unionis cleri pro missionibus* (A. A. S. 6 feb. 1922, 14, 98.)

Indicitur conventus Missionalis Cleri Consociationis.

C. Litteris circularibus 1 april. 1922, S. C. P. F. Romae primum indicit internationalem conventum *Missionalis Cleri Consociationis* tribus primis diebus mensis iunii, 1922, in aula magna Cancellariae Apostolicae, ut praefata consociatio palam innotescat, mediaque praefiniantur ad eam in omnibus dioecesibus excitandam et fovendam. Praeses conventus renuntiatur Em. Cardinalis LAURENTI. (A. A. S. 3 april. 1922, 14, 198.)

D. *Decreta de Vicariatibus Apostolicis.*

Vic. Ap. Germaniae septemtrion.

1. Decreto 15 nov. 1921, episcopo Osnabrugensi (Osnabrük) conceditur titulus atque munus *Vicarii Apostolici Germaniae Septemtrionalis*, cuius ab a. 1841 administrationem gerebat idem Ordinarius cum titulo Pro-Vicarii Apostolici. (A. A. S. 6 feb. 1922, 14, 99.)

Zanzibar et Kenya.

2. Decreto 20 feb. 1922, ex vicariatu apostolico *Zanzibariensi* distrahitur territorium Stationis de Limuru et addicitur vicariatui apostolico de *Kenya* (A. A. S. 15 mart. 1922, 14, 164).

Manciuria sept. et Wonsan.

3. Decreto 19 mart. 1922, districtus civiles de Yenki et de Ilam a Vicariatu apostolico *Manciuriae Septemtrionalis* separantur et adiciuntur Vicariatui apostolico de *Wonsan* in Corea. (A. A. S. 3 apr. 1922, 14, 199.)

19. — *S. CONGR. RITUUM*

Additio ad litanias O. S. 22 mart. 1922.

I. *Invocatio additur ad Litanias Omnium Sanctorum.*

Postulante comitatu de festis saecularibus S. C. P. Fidei. SS. D. referente Em. Card. S. R. C. Praefecto « pro privata et publica recitatione Litaniis Sanctorum post invocationem : *Ut cuncto populo christiano*, etc. approbavit et ad universam Ecclesiam extendit invocationem :

Ut omnes errantes ad unitatem Ecclesiae revocare, et infideles universos ad Evangelii lumen perducere digneris : Te rogamus, audi nos. (A. A. S., 3 apr. 1922, 14, 200).

II. *Celebratio missae votivae de Fidei Propagatione.* Postulante eodem Comitatu, SS. D. N. Pius Papa XI referente Em. Card. S. R. C. Praefecto, permisit « ut Missa votiva de Propagatione Fidei, cum *Gloria* et *Credo* celebrari possit semel in anno, diebus ab Ordinario cuiusque loci designandis, exceptis festis duplicibus I et II classis, Dominicis maioribus, necnon octavis I et II ordinis, Feriis et Vigiliis quae sint ex privilegiatis; servatis rubricis. (A. A. S., 3 apr. 1922, 14, 201.)

Semel in anno permittitur votiva missa de Prop. Fid. 22 mar 1922.

ANNOTATIONES

I. In A. A. S. 8 maii, p. 312, decretum modo allegatum sic corrigitur: Pro eo quod est « cum *Gloria* et *Credo* », legendum: « sine *Gloria* et cum *Credo* », adhibito colore violaceo.

II. Quamvis petita sit pontificia ordinatio « voglia benignamente disporre che in ogni diocesi sia celebrata una volta l'anno... la Messa votiva de Fidei propagatione », verba tamen rescripti « iuxta petita, ita tamen ut praedicta missa... *celebrari possit* semel in anno, diebus ab Ordinario cuiusque loci designandis », potius facultatem significant quam praeceptum. Igitur de obligatione celebrandi istam missam non constat.

III. Ordinarius nihil concedendum habet; sed eius est designare dies quibus concessio S. Sedis locum habebit. Quare aeque Regulares ac saeculares ista facultate uti possunt. Vox pluralis « diebus designandis », videtur permittere ut variis ecclesiis varii dies assignentur, vel aliqua optio possit ab Ordinario concedi rectoribus ecclesiarum.

IV. Generalis est concessio « permitti possit ». Quare, contra atque, in *Ephemerides liturgicae* p. 184, annotator opinatur, facultas non est limitanda ad unam missam in singulis ecclesiis ab Ordinario designandis. Cum *unica* missa permittitur, id addi consuevit. Frustra appellatur ad c. 19 Cndicis, cum lex directe concedat favorem (cf. dicta supra, p. (11) ss.). Prae-

terea, si urgeamus vocem singulari numero positam, unica tantum missa permitteretur in singulis dioecesibus, quod ipsi Annotatori Ephemerindum videtur nimis parum.

V. Denique, quod spectat ad commemorationes faciendas, *Ephemerides* appellant decr. 30 iun. 1896, n. 3922 tit. V et VI et novas rubricas, tit. V, n. 2 vel tit. VI, n. 1: quae non videntur esse ad rem.

Opportunius allegabimus *Instr.* S. R. C. 24 iub. 1899 de triduana beatificationis, et octiduana canonizationis celebratione, quae nobis declarat quomodo celebrandae sint missae de recenter beatificatis vel canonizatis, in istis sollemniis. Missae quoque sunt votivae; propter celebritatem, dici possunt cum *Gloria* et *Credo*; missae privatae impediuntur iisdem diebus quibus concessa missa pro Fidei Propagatione. (Cf. *Periodica*, I. 120).

Similis igitur concessionis similis danda videtur explicatio. Haec itaque erit nostra conclusio. Occurrentes diei commemorationes faciendae erunt. In fine legetur Ev. S. Ioannis. Excluduntur collectae? Ac propterea etiam, si selecta sit dies ferialis vel festi non duplicis, omittuntur commemorationes communes de Tempore.

Si, die statuta ab Ordinario, occurrat in aliqua ecclesia festum 2ae vel 1ae classis, missa pro Fidei Propagatione dici non poterit, sed permissa videtur eius commemoratio.

Optio tamen commemorationis non videtur iis data qui, die quo licet, missam pro Fidei propagatione dicere nolunt.

VI. Observes demum, in novo Missali, missam pro Fidei propagatione iam poni (ante missam contra paganos) inter missas votivas ad diversa quae pro casuum diversitate, diebus secundum rubricas generales permissis, consueto missae votivae ritu celebrari possunt.

III. *Decreta introductionis causae beatificationis et canonizationis.*

1. Die 23 nov. 1921 signata est Commissio introductionis causae Servi Dei *Leonardi Muniardo*, sacerdotis, fundatoris Piae Societatis Sancti Ioseph. Anno 1828, Augustae Taurinorum natus, a. 1851 sacerdotio auctus, prius Sodalibus Salesianis ascriptus, a. 1873 novam Congregationem instituit ad puerorum christianam educationem promovendam. Doctrinae S. Alphonsi M. de Ligorio praecipue inhaerens, errores Iansenistarum strenue impugnavit. E vivis excessit a. 1900. (A. A. S. 5 ian. 1922, 14, 19.)

Introductio causae Leonardi Murialdo. 23 nov. 1921.

2. Die 22 feb. 1922 signata est Commissio introductionis causae Servi Dei *Alfredi Pampalon*, sacerdotis professi e Congregatione SS. Redemptoris. In oppido Notre Dame de Levis prope Quebec (Canada) a. 1867 natus, 1886 Trudonopoli in Belgio noviciatum ingressus, 1892 sacerdos factus, Montibus in Belgio prius, dein in Canadensi Pulchriprati collegio, sacris ministeriis incubuit. Phtisi consumptus occubuit 30 sept. 1896. (A. A. S., 15 mart. 1922, 14, 166).

Alfredi Pampal. 22 feb. 1922.

IV. *Decreta de beatificatione.*

A. *Via ordinaria non cultus.*

Die 11 dec. 1921, publici iuris factum est decretum de heroicitate virtutum Servi Dei *Ioannis Nepomuceni Neumann*, episcopi Philadelphiensis (in America septemtrionali), e Congregatione SS. Redemptoris. (A. A. S., 5 ian. 1921, 14, 23.)

Ioan. Nepom. Neumann 11 dec. 1921.

B. *Via extraordinaria casus excepti seu cultus.*

Die 23 nov. 1921, confirmata est sententia Ordinarii Pistoriensis et Pratensis super cultu ab immemorabili tempore exhibito Servo Dei *Andreae Franchi*, Ordinis Praedicatorum, beato nuncupato, qui exeunte saeculo XIV sedem episcopalem Pistoriensium decoravit. (A. A. S., 5 ian. 1922, 14, 16.)

Confirmatio cultus Andreae Franchi 23 nov. 1921.

20. — *S. ROTA ROMANA*

Causae anno 1921 actae, quarum sententia editur tantum in parte dispositiva.

I. *Causae matrimoniales.*

1. Ex capite *impotentiae.*

Impotentia.

Indicatum est constare de nullitate matrimonii die 28 maii in causa N. (sub secreto); item die 6 dec. (pariter sub secreto).

Consanguinitas.

2. Ex capite *consanguinitatis*.

Iudicatum est constare de nulliate : die 12 ian. in Parisien.

Affinitas.

3. Ex capite *affinitatis* illicitae (ante Codicem).

Iudicatum est non constare de nullitate die 12 nov. in causa N. (sub secreto).

Vis et metus.

4. Ex capite *vis et metus*.

Iudicatum est constare de nullitate : die 9 apr. in causa Vicariatus Ap. Oceaniae centralis ; die 13 maii in Mohilovien. die 1 iun. in causa Vicariatus Ap. Insularum Gilbertin.; die 22 iun. in Nicien. ; die 5 iul. in Transilvanien. ; die 2 aug. in Hyderabaden ; die 6 aug in Camenecen, die 18 aug. in causa Vicariatus Ap. Tonkini orientalis ; die 17 dec. in Lingonen.

Conditio.

5. Ex capite *condicionis appositae*.

Iudicatum est constare de nullitate : die 8 apr. in causa N. (sub secreto) ; die 11 aug. in Parisien.

Confirmata est die 30 nov. sententia rotalis diei 7 iun. 1920, declarans constare de nullitate in Cadurcen.

Iudicatum est non constare de nullitate : die 8 ian. in causa N. (sub secreto) 11 aug. in Parisien.

Consensus.

6. Ex capite *defectus consensus*.

Iudicatum est constare de nullitate ob amentiam die 16 mart. in Florentina. - Die 16 iun. confirmata est sententia rotalis diei 9 feb. 1920 declarans constare de nullitate in Philadelphien. - Iudicatum est non constare de nullitate ex defectu consensus die 14 iul. in Moguntina. - Confirmata est sententia rotalis declarans non constare de nullitate ob amentiam die 10 maii in Patavina.

Clandestinitas.

7. Ex capite *clandestinitatis*.

Die 23 iun. confirmata est sententia rotalis diei 5 maii 1914 in Parisien. declarans non constare de nullitate.

Iudicatum est non constare de nullitate 6 aug. in causa N. (sub secreto).

Causa incidens

8. Die 17 maii quaestio incidentalis nullitatis matrimonii (sub secreto) admittitur ad novum examen.

Dispensatio sub rato

9. Consilium pro dispensatione super *matrimonio rato et non consummato* datum est 3 aug. in Parisien ; 30 dec. in causa N. (sub secreto).

II. *Causae varii argumenti*.

Depositum.

1. Die 18 ian. confirmatur sententia Curiae N. quaestionem facti dirimens in causa de quodam *deposito ad pias causas*.

2. Die 26 feb. infirmatur sententia rotalis diei 29 iul. 1919 et declaratur ad capellanum loci Capannelle non spectare *usumfructum praedii* de quo agebatur. Haec causa, Bergomen. sc., fuerat plene relata apud A. A. S. XIII (1921), 47. cfr. *Periodica* X (1921), p. 323. *Ususfructus.*

3. Die 27 apr. declaratur in causa N. *iurium et diffamationis*, constare de iure religiosorum et de iniuria iis irrogata. *Iura et diffamatio.*

4. Die 16 aug. declaratur in causa de Manila *bona* de quibus in certa clausula cuiusdam *testamenti*, data esse conventui de Candàba intuitu PP. Augustinianorum, ita ut ad ipsos, non ad missionem seu paroeciam, eorundem dominium pertineat. *Legatum.*

5. Die 18 aug. in causa N. declaratur non constare actorem incurrisse in *excommunicationem*. (A. A. S., 6 feb. 1922, 14, 100). *Excommunicatio.*

Causae quae anno 1921 absque definitiva sententia finem habuerunt.

I. *Causae matrimoniales.*

1. Die 3 feb.: Burdigalen. ex capite *clandestinitatis*: ob actoris renuntiationem, reposita. *Clandestinitas.*

2. Die 9 mart.: Nolana, ex capite *vis et metus* : ob mortem rei conventi exstincta. *Vis et metus.*

3. Die 2 apr.: Parisien., ex capite *vis et metus* : cum actrix rite admonita procuratorem non consituerit, declarata deserta. *Idem.*

4. Die 9 apr. in Mohilovien., ex capite *defectus consensus*: post binam sententiam conformem quibus constare de nullitate declaratum est, decernitur appellationem a vinculi Defensore Curiae Mohilovien. interpositam, non esse prosequendam. *Consensus.*

5. Die 23 ian. in Tergestina *ex impedimento ligaminis* : decretum est non esse locum appellationi prosequendae, cum ipse appellans aperte fateatur exsistentiam impedimenti. *Ligamen.*

II. *Causae varii argumenti,*

1. Die 2 apr. in Vratislavien. *diffamationis seu competentiae* decrevit R. P. D. Ponens non esse recipiendum recursum actoris, quippe qui nec Commissionem Pontificiam obtinuerit nec appellaverit. *Recursus.*

Die 14 iul. Asten. *conventionis*, ob admissam a partibus compositionem reposita. *Conventio.*

3. Die 16 nov. Paranen. *iurium* item ob initam concordiam reposita. *Iura.*

Die 17 nov. Covingtonen. item. *Idem.*

21. — *PROVISIO ECCLESIARUM*

A. Archiepiscopi vel episcopi *residentiales* per decreta *S. C. Consistorialis nominati sunt*:

Sebenico 14 ian., 1922 R. P. Hieron. M. Mileta, ep. Sebenicen. (Dalmatia).

Olinda. 10 feb. 1922, R. P. D. Mich. de Lima Valverde archiep. Olinden. et Recifen. (Brasilia) ex episcopo S. Mariae.

S. Agostino 22 feb. 1922, R. P. Patrit. Barry, ep. S. Augustini (Stat. foeder. Amer. sept.)

Glasgow. 24 feb. 1922, R. D. Donald. Mackintosh, archiep. Glasguen. (Scotia).

S. Luiz de Potosi 24 feb. 1922, R. P. D. Mich. de la Mora, ep. S. Ludovic. Potosiensis (Mexico) ex episcopo de Zacatecas.

Cienfuegos. 24 feb. 1922, R. P. D. Valentin. Zubizzareta, ep Centumfocen. (Cuba) ex episcopo Camagüeyensi.

Camagüey. 24 feb. 1922, R. D. Henr. Perez Serantes, ep. Camagüegen. (Cuba).

Terracina. 7 mart. 1922, R. P. Salvator Baccarini, ep. Terracinen., Setin. et Privernen. (Italia)

Milano 7 mart. 1922, R. P. D. Eug. Tosi, archiep. Mediolanen. (Italia), ex episcopo Andrien.

Sacramento 17 mart. 1922, R. P. D. Patrit. Keane, ep. Sacramentem. (Stat. foed. Amer. sept.), ex episcopo titulari Samaritano.

Squillace 17 mart. 1922, R. D. Ant. Melomo, cfr. Squillacen. (Italia).

B. *Vicarii et Praefecti apostolici per decreta S. C. de Propaganda Fide* nominati sunt:

Scutari 19 oct. 1921, R. P. D. Lazar. Miedia, archiep. Scodren. (Albania) ex episcopo Scopiensi.

Limon 16 dec. 1921, R. D. Augustin. Blessing, Vic. Ap. de Limon (Costarica).

Manciuria merid. 19 dec. 1921, R. P. Ioan.-Maria Blois Vic. Ap. de Manciuria merid. (Cina).

Aegyptus 23 dec. 1921, R. P. Hygin. Nuti, Vic. Ap. Aegypti.

Lindi 22 feb. 1922, R. D. Gallus Steiger, Praef. Ap. de Lindi (Africa centr).

C. Decretis *S. C. pro Ecclesia Orientali* nominati sunt:

Gr. Varadin 25 feb. 1922, R. P. D. Valerius Traianus Trentin, ep. Magno - Varadinen. ritus rumeni (Rumenia) ex episcopo Lugosiensi.

25 feb. 1922, R. D. Alex. Nicolescu, ep. Lugosien. (Rumenia). *Lugos*

22. — *NOMINATIO DELEGATI APOSTOLICI*

13 ian. 1922, R. D. Hadrian. Smets, Delegatus apostolicus in regno Persarum. *Persia*

23. — *NECROLOGIUM*

8 iul. 1921, Ill. D. Carol. D' Amour, archiep. Cuiabensis (Brasilia). *Cuyaba*

18 sept. 1921, Ill. D. Thom. O' Gorman, ep. Sionxormen. (Stat. foed. Amer. Sept). *Sioux Falls*

28 dec. 1922, Ill. D. Gulielmus Kelly, ep. Geraldtonensis (Australia). *Geraldton*

30 dec. 1921, Ill. D. Thom. Grace, ep. Sacramentensis (Stat. foeder. Sacramento Americae sept.) *Sacramento*

7 ian. 1922, Ill. D. Franc. Xav. Brunet ep. Montis Laurei (Canada). *Mont Laurier*

19 ian. 1922, Ill. D. Hugo Gauthier, ep. Ottavien. (Canada). *Ottawa*

23 ian. 1922, Em. Card. Henz. Almaraz y Santos, Archiep. Toletan. (Hispania). *Toledo*

27 ian. 1922, Em. Card. Emman. Damasc. da Costa ep. Angren. (Lusitania). *Angra*

15 feb. 1922, Em. Card. Wencesl. Sangüesa y Guia olim ep. Conchen (Hispania). *Cuenca*

18 feb. 1922, Em. Card. Hussig Ghulian, olim. archiep. Morden. ritus armeni (Mesopotamia). *Mardin*

24 feb. 1922, Em. Card. Barthol. Clem. Combes, archiep. Carthaginen. (Tunisia). *Carthage*

28 feb. 1922, Em. Card. Desider. Hyac. Berthoin, ep. Augustodunen. (Gallia). *Autun*

28 feb. 1922, Em. Card. Hippol. Teissier, ep. Mysurien. (Indiae Orientales). *Mysore*

18 mart. 1922, Ill. D. Ioan. von Euch, ep. tit. Anastasiopolitanus, Vic. ap. Danimarcae. *Danimarca*

28 mart. 1922, Ill. D. Mich. Napotrick, ep. Lavantinus (Stiria) *Lavant*

29 mart. 1922, Ill. D. Salvator Bella, ep. Iacien. (Sicilia). *Acireale*

BIBLIOGRAPHIA

Ex Libris

Boury, C. A., O. M. I. *Directorium theologiam pastoralem complectens ad usum missionariorum*, ed. altera, penitus recognita et ad C. I. C. accommodata. — Brugis, Desclée-De Brouwer, 1921 in - 8, 454 pp.

Pars I. *De sacramentis* (suus cuique sacramento tractatus deputatur). — Pars II *De aliquibus extrasacramentalibus.*

Tract. I. De munere docendi. Cap. I. De fidelibus doctrina instruendis. Cap. II. De infidelibus evangelizandis. — Tract. II. De communicatione in divinis necnon de cooperatione ad falsum cultum. — Appendix. Circa superstitiones. — Tract. III. De coemeteriis et sepulturis. — Tract. IV. De administratione temporali.

Cocchi G., congr. Missionis, *Commentarius in Codicem iuris canonici ad usum scholarum.* Lib. II. De Personis. Pars I. De clericis — Sectio I. De clericis in genere. Taurinorum - Augustae, Marietti, 1922, in 12, 244 p. 6 fr.

— Liber II. De Personis. Pars I. De clericis. Sectio II. De clericis in specie. Taurinorum - Augustae, Marietti, 1922, in 12 452, p. 11 fr.

Omnes canones, iuxta ordinem Codicis, allegantur et, propositis divisionibus, commentario brevi augentur.

Zualdi F. Capoferri, *S. Caerimoniale missae privatae* iuxta novissimas Rubricas ac S. R. C. decreta emendatum et auctum Taurinae - Augustorum, Marietti, 1922, in 12, VIII-260 p. 4 fr. 50.

Pars I. Regulae generales. — Pars II. Ritus servandus in celebratione Missae. — Appendix I. — I De missa votiva privata. — II. Instructio pro sacerdote caecutiente. — III. De nonnullis peculiaribus Missis privatis — IV. De Missa privata in altari expositionis SS. — V. De modo administrandi SS. Eucharistiam. VI. De modo purificandi calicis cum sacerdos pluries celebrat. VII. De Missa privata coram magnis Praesulibus. — Appendix II. De defectibus in sacro faciendo.

Cardinal Mercier. *La Papauté et l' élection de S. Sainteté Pie XI.* Bruxelles, Action catholique, 1922. in - 16, 48 p. 0.25 fr.

A. Vermeersch, S. I. et I. Creusen S. I *Epitome iuris canonici cum commentariis* ad scholas et ad usum privatum. Tomus II Liber III *Codicis iuris canonici* 1 vol. in-8° 0×IV-474 p. Mechliniae - Rome, Dessain, 1922, 15 fr.

Victor Hostachy (Miss. Sal.) *Joié et Sainteté.* Essai d'études d'âmes. Introduction par le R. P. Noble, O. P. 1 vol in-12, XIV-312 p. Bruges — Paris, Desclée-De Prologue, Brocciver, 1922. Eustaticum. — Claire d'Assise. — Gertrude d'Helfta. — Catharine de Sienne. — Therèse d'Avila. — Jeanne Françoise de Chantal.

Ex Periodicis

Le Canoniste contemporain, Nov.-dec. Aug. Conly, Les biens temporels de l'Église. — Act. S. S.

Jan.-feb. 1922. A. Villien. *Le nouveau Code de droit canonique* (cc. 948 ss.) — Aug. Conly, Les biens temporels de l'Église (suite).

Collationes Brugenses. Nov.-Dec. 1921. R. D. Waffelaert, ep. Brug., *analecta ascetica et mystica.* — V. Coucke, *De adnotationibus actui baptionali apponendis.* — Idem, *De S. Communione ad infirmos deferenda.* — A. Legrand, *De examine conscientae in genere.*

Jan.-Febr. 1922. R. D. Waffelaert, ep. Brug., *Analecta ascetica et mystica.* — V. Coucke *De ministro S. Communionis.* — A. De Meester, *Lieu de l'exonération des fondations.* — A. Legrand, *De examine conscientiae generali.*

Collationes Gandavenses.

Febr. 1922. F. Claeys-Bouuaert, *la loi du 27 juin 1921 sur les associations sans but lucratif* (suite).

Commentarium pro religiosis. Nov. 1921. Maroto, Ph., *Commentarius in resp. S. C. de religiosis de celebratione capituli generalis in Congregationibus iuris dioecisani.* — A. Larraona, *Consultationes. De obligatione accipiendi muneris Superioris.*

Dec. 1921. Larraona A. et Vollas P., (*Consultationes* cc. 610. 171, § 1; 647, ss. 542 n. 2; c. 54. 103. 883) — Alijarder, J. L., *Super tertio Ordine regulari S. Francisci.*

Jan. 1922. Maroto, Ph., *Declaratio S. C. de Religiosis 26 oct. 1921.* Goyeneche S. et Larraona A., *Consultationes.* (cc. 633, § 2; 558 4; 542. 539, § 2; 647).

Febr. 1922. Maroto Ph., *Instructio de secundo noviciatus anno.* — Larraona A., *Commentarium Codicis* (c. 488). — Goyeneche S. *Consultationes* cc. 575, § 2; 522. 492, § 2; 569, § 1).

Illustracion del clero, 16 dec. 1921. PANTALEON CASANUEVA C. M. F., *El nuevo misal typico* — IUAN AUGUSTI C. M. F., *Consultas y respuestas* (De emolumentis a civitate pro cultu solvendis.)

1. Jan. 1922. PANTALEON CASANUEVA, C. M. F. *El nuovo misal typico.* JUAN AGUSTI, C. M. F., *Consultas y respuetas* (De legibus hispanis amortizationis)

16 ian. PANTALEON CASANUEVA, C. M. F. *El nuevo misal typico* FR. DE ORNÈ-REMENTERIA, *El confesor putativo, ejerce valida y licitamente el ministerio?*

1 febr. MARTINEZ DE ANTONABA, C. C. F., *Los Clérigos y la caza.* — JUAN POSTIS, C. C. F., *Los haberes del Clero.*

Resena ecclesiastica. Jan. Febr. 1922. ED. CIRERA, *Puntos negros de la sociologia moderna.*

Revue ecclésiastique de Liège. Jan. 1922. E. LEROUX, *De Baptizandis infantibus acatholicorum.* — G. KISELSTEIN, *De violatione secreti.*

Mart. 1922. G. KISELSTEIN, *La revalidation des Mariages.* — *De obligatione solvendi tributa.* — G. SIMENON, *Vicarii paroeciales.* — A. POSTELMANS, *De ministro in missa privata.*

Rivista di studi missionari. Dec. 1921. Mons. G. H. CARLING, *La Finlandia di ieri e di oggi.* P. FR. PORTALUPPI, *Il Bonzo e il movimento religioso-politico in Birmania.*

PARS ALTERA

MONUMENTA

24. — SS. D. N. Pius Pp. XI

MOTU PROPRIO

De Pio Opere a Propagatione Fidei amplificando

(A. A. S. 8 iun. 1922, 14, 321.)

PIUS PP. XI

Romanorum Pontificum in hoc maxime versari curas planum est oportere, ut sempiternam animarum salutem, Iesu Christi regno per orbem terrarum dilatando, quaerant, quandoquidem divinus Ecclesiae Conditor apostolis suis sic mandavit: *Euntes docete omnes gentes;* (1) *Praedicate Evangelium omni creaturae.* (2) Id Petrus, id successores eius numquam praetermiserunt: eamque ipsam ob causam, quo tempore experientium virorum industria et labor, maria pervestigando, ignotas regiones invenerat, atque ad novos populos aditum hominibus apostolicis patefecerat, decessor Noster illustris Gregorius XV, sapienter existimans, ut eius Acta loquuntur, « praecipuum « pastoralis officii caput esse propagationem Fidei Christianae », sacram Congregationem Propagandae Fidei instituit, quo quidem immensum plane opus apostolatus apud infideles melius promoveretur. Huius enim Congregationis est cum missionarios in omnes partes dimittere eosque pro locorum rationibus disponere, tum personis institutisque et consilio et re praesto esse, omnia denique praestare, quaecumque, ad subveniendum Missionum necessitatibus, studium apostolatus ac multiplex

SS. PP. sollicitudo de dilatando regno Christi, demonstrata

ipsa institutione S. C. Prop. Fidei, cuius provincia describitur.

(1) MATTH., XXVIII, 19.
(2) MARC., XVI, 15.

Publici fontes subsidiorum hodie tenues sunt;

Christi caritas suaserit. Quod vero proprie attinet ad rerum externarum subsidia, quae ad Missionum catholicarum bonum, quamquam potissima non sunt, magnum tamen momentum habent, ea olim decessores Nostri largiter ipsi praebuerunt. Accedebat, ut principes christiani, opinione quoque adducti scilicet non exiguarum omnis generis utilitatum, quas suis regnis nationibusque obventuras sperabant, magnis easdem Missiones liberalitatibus adiuvarent. Nunc autem alia prorsus condicione ac fortuna haec Apostolica Sedes utitur, ut constat; neque ei iam ad Ecclesiae sanctae fines proferendos multum licet rerum publicarum largitate confidere.

ingens autem motus ad provehendas missiones.

Ceteroqui numquam fortasse alias tantus exstitit in populo christiano animorum motus ad provehendas Missiones, quantus nuper excitatus est, ex quo decessor Noster desideratissimus, Benedictus XV, Litteras Encyclicas *Maximum illud* ad orbem catholicum ea de causa dedit. Nimirum optimo diligentissimoque Pontifici tam acerba laborum ac dolorum perpesso, dum diuturnum bellum mansit, ac deinde pace Europae suadenda propemodum defatigato, Dei benignitate hoc est oblatum solacii, ut in Africa, in Asia, in America certis argumentis prospiceret Evangelicae praedicationis successus multo feliciores, quam antea, mox futuros.

Eadem sollicitudine ac spe qua decessor Benedictus XV, hodiernus Pontifex, cernens nec per collecta a religiosis subsidia singulis missionibus satis prospici,

Nos vero quos eadem tenet atque alit exspectatio, Nostrum intelligimus esse rei nulla deesse ope, ob eamque causam curare perdiligenter, ut et quae ille sapientissime praescripsit, religiose serventur, et quibus Missionarii nostri subsidiis indigent ad melius elaborandum, ea illis abunde suppetant. Subsidia quidem, quae externis in bonis consistunt, solent religiosorum familiae, pro suis quaeque Missionibus, ex populo christiano conquirere: populus autem, vel fidei amore caritatisque studio motus vel alio etiam honestissimo sensu, dat non invitus, atque in nonnullis nationibus affluenter. Verum neque haec stipes corrogandi ratio accommodata est singularum Missionum necessitatibus, neque per eam licet aequabiliter atque ordine universas administrare Missiones maiore cum earum emolumento ac stabilitate.

cogitavit vere generalem quandam constituere arcam quae ab Ipso solo et S. C. Prop. Fid. administraretur.

Quaecumque igitur inventa sunt genera particularibus Missionibus opitulandi, Nos, aeque ac decessores Nostri, comprobantes, habemus in animo catholicarum Missionum universitati, certa ratione et via, ex catholici orbis collatione, consulere, ita quidem ut et corrogatae apud omnes nationes ab omnibus, quotquot sunt, Ecclesiae filiis vel minutae stipes in unum acervum, universe Missionibus tuendis destinatum, colligantur, et

haec pecunia omnis, potestati quidem arbitrioque commissa Nostro dumtaxat et Sacrae Congregationis Christiano nomini propagando, per delectos a Nobismetipsis viros, in omnes distribuatur Missiones, pro uniuscuiusque necessitate.

Cum autem exstet maxime commendatum et commendandum opus Lugdunense a Propagatione Fidei, *quod a saeculo iam magna aequitate collectas opes distribuit, visum est istud in Urbem transferre atque in Pontificale instrumentum convertere.*

Iam vero cogitantibus Nobis quo pacto id propositum efficiamus, feliciter occurrit praeclarum illud Lugdunense Opus *a Propagatione Fidei* nuncupatum, quod abhinc ipsis centum annis homines aliquot pietatis caritatisque laude spectatissimi condiderunt. Nemo est qui singularia promerita instituti huius ignoret; quod quidem inter Galliae catholicae recentiora ornamenta et decora numerari debet; hoc enim societatis vinculo colligati, mirabile est quam multi ex omni ora ac parte terrarum Missiones catholicas adhuc suo et stipis auxilio et piae precationis suffragio iuvare consueverint. Quapropter magnis pontificalis indulgentiae muneribus ac privilegiis Opus, de quo loquimur, cumularunt decessores Nostri, praecipueque Gregorius XVI Apostolicis Litteris *Probe nostis* die XV augusti MDCCCXL, et Leo XIII Epistola Encyclica *Sancta Dei civitas* die III decembris MDCCCLXXX, omnibus Episcopis universoque fidelium gregi honorificentissimis verbis commendarunt. Nobis autem hoc loco dilaudare libet utriusque Consilii, Lugdunensis et Parisiensis, a quibus gubernatur, prudentiam maxime et aequitatem in adiuvandis non iis tantum Missionibus, quas nobilissima Gallorum gens, pro tradito a maioribus Fidei sanctae custodiendae ac promovendae studio, usquequaque constitutas habeat, verum etiam, quas ceterae gentes, Iesu Christi spiritu in certamen honestissimum instinctae, condiderunt.

Ob eam igitur, quam memoravimus, causam, potius quam aliquid novi inveniamus, faciendum videtur, ut ipsum Opus *Propagationis Fidei*, sede eius in hanc almam Urbem, totius Ecclesiae caput, translata, aptius a Nobis reddatur ad mutata tempora, Nostraque ornatum auctoritate, Pontificale fiat instrumentum stipibus fidelium ad usum Missionum universarum colligendis. Idque Nos effecturi sumus eo libentius quia qui tum Lugduni tum Lutetiae Parisiorum huic Operi praesunt, datis ad Nos pientissimis litteris professi sunt se, ut filios Ecclesiae observantissimos, magna amplexuros voluntate, quidquid posthac de re sibi suisque civibus carissima haec Sedes Apostolica decreverit. In quo quidem lectissimi viri se et catholica professione et Gallico nomine dignos praebuerunt, cum aperte ostenderint tanti apud se esse dare operam regno Iesu Christi in terris amplificando, ut ceteras res, vel quas recte meritoque diligunt, posthabere non dubitent. Nos vero huiusmodi animi

In faciem Ecclesiae laudat Pontifex promptam parem di voluntatem praesidum istius operis.

habitum eumque non modo eorum proprium sed communem catholicorum hominum ex Gallia, sic probamus ut *in faciem Ecclesiarum* vehementer commendemus.

Decreta.

Itaque de Apostolicae potestatis plenitudine, Motu proprio et certa scientia, haec statuimus et sancimus:

Sedes operis: Romae.

I. Pium Opus *a Propagatione Fidei,* in novam formam redactum, iam nunc Romae esto apud Sacram Congregationem de Propaganda Fide, ut ipsius Apostolicae Sedis sit instrumentum ad fidelium stipes undique cogendas easque erogandas in usum omnium Missiorum catholicarum.

Ei praeerit consilium e clero variarum nationum,

II. Operi universo Consilium praesidebit, a Nobis per eandem Sacram Congregationem electum ex Clero earum nationum, quae sollemne habeant certam pecuniae vim in Opus conferre.

praesertim Galliae,

III. Natio Gallica, utpote quae ipsum Opus, de quo agitur, pepererit, atque in traducendis ad fidem barbaris utilissime semper laboraverit, Generalis Consilii praecipuo quodam iure particeps esto.

secundum statuta adiuncta.

IV. Pium opus itemque Generale Operis Consilium quem ad modum dirigi oporteat, gemina lege, his adiuncta Litteris, statutum est.

Consilia nationalia iam exstantia vel creanda, ad eadem se accommodent.

V. Consilia uniuscuiusque Nationis centralia, quae dicuntur, ad has Nostras leges, de sententia Generalis Consilii, sua ipsorum statuta exigant. Quod sicubi huiusmodi Consilia desiderentur, ea quam primum Episcopi instituenda curabunt. Ubi autem res iam simili instituto adsit, quamquam alio nomine, eorundem erit efficere ut, omni sublato discrimine, ad hoc Opus redigatur; vehementer enim in hoc genere ad fructum interest, ubique, quantum locorum varietas patitur, teneri aequabilitatem.

Optata atque hortatio Pontificis.

Nos equidem, patrocinio freti Mariae Virginis Immaculatae, atque Apostolorum Principum Petri et Pauli, illius quoque magni Fidei Catholicae propagatoris, Francisci Xaverii, huius sodalitatis patroni caelestis, ex divina benignitate iam fore confidimus, ut quod decessori Nostro optatissimum fuit (1), hoc ipsum Opus *a Propagatione Fidei* itemque alia duo *a Sancta Infantia* et *a Sancto Petro Apostolo* ad Cleri indigenae institutionem, quae Opera haec Apostolica Sedes agnoscit sua, laetabile iam capiant incrementum. Pro certo autem habemus Episcopos ceterosque sacrorum Antistites in hac causa omnem operam studiumque, apud suam quemque Ecclesiam, Nobis na-

(1) BENEDICTUS XV, in litt. encycl. *Maximum illud.*

vaturos, adhibita in primis *Consociatione Cleri Missionaria*, quae dicitur: quam Consociationem, mirifice sane opportunam, Nobisque non minus ac decessori Nostro probatam, si quidem apud se desit, condere maturabunt.

Quaecumque vero his Litteris statuta a Nobis sunt, ea omnia firma et rata esse iubemus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die III mensis maii, in festo inventionis S. Crucis, MCMXXII, Pontificatus Nostri anno primo. *Dies (3 maii 1922).*

PIUS PP. XI

ANNOTATIO

Praeterea, 4 iunii, in sacro Pentecostes die, S. Pontifex in homilia italice in ipso templo Vaticano habita, cuius *Acta Ap. Sedis* 8 iun. 1922 p. 344, solam stenographiam referunt, de originibus S. C. P. F. erudite disseruit, fructus laudavit, atque, exemplum sui Decessoris memorans, ad zelum pro missionibus apostolicis fovendis et promovendis omnes ex ipso grato animo pro receptis beneficiis excitavit. « In mense ianuario 1922, sic Pontifex, initia visa sunt S. C. de P. F. Bulla *Inscrutabili*, 22 iunii eiusdem anni, prima est istius *Bullarii Congregationis de Propaganda Fide* quod efficiet librum aureum, mirabiles annales novae Congregationis, tardam sed veram et splendidam continuationem *Actuum Apostolorum* ».

25. — Annexa statuta

I. Pii Operis a Propagatione Fidei Statuta Generalia

Statuta generalia ipsius Operis.

I. Pium Opus a Fidei Propagatione, quod inter alia in commodum Missionum instituta primum locum obtinet, unum ac vere catholicum est: consociatio scilicet omnium ex omni gente fidelium non solum ad orbis terrae evangelizationem coniunctis ad Deum precibus adiuvandam, sed etiam ad labores missionariorum stipe collata sustinendos, atque ad pecuniam a fidelibus oblatam Missionibus distribuendam.

II. Idem Pium Opus Lugduni in Gallia anno Domini 1822 constitutum est: deinceps saepius a Romanis Pontificibus privilegiis ac donis spiritualibus cumulatum, denique a Summo Pontifice Pio divina Providentia Pp. XI Motu-proprio die 3 maii 1922 edito ad dignitatem instrumenti Apostolicae Sedis evectum.

III. Quare Pium Opus proxime nititur auctoritate Sanctae Sedis unde suam vim roburque mutuatur; domicilium autem praecipuum Romae habet in aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, a qua, licet seiunctum, tamen pendet.

IV. Sodales Operis adscribuntur christifideles ubique terrarum degentes, qui duodecim saltem sint annorum atque in singulas hebdomadas vel vicesimam libellae partem (vulgo unum solidum), vel libellae quartam in singulos menses, vel libellas duas et sexaginta centesimas partes quotannis conferant: idem praeterea quotide semel *Pater* et *Ave* recitare debent, addita invocatione: *Sancte Francisce Xaveri, ora pro nobis.* Ii vero qui semel ducentas libellas solvunt, sodales in perpetuum adscribuntur.

V. Pii Operis sodales in decurias vel centurias vel chiliarchias vel aliter pro locorum rerumque adiunctis distribuuntur.

VI. Pium Opus non tantum pecuniam a sodalibus oblatam, sed etiam ab aliis quibuslibet sponte allatam: stipendia quoque pro Missis celebrandis: atque etiam bona immobilia, resque pretiosas cuiusvis generis in commodum Missionum libentissime recipiet.

VII. Pii Operis administratio suprema est penes Consilium Superius Generale Romae consistens apud Sacram Congregationem de Propaganda Fide. Eidem praeest Secretarius pro tempore Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, qui ad id munus a Summo Pontifice expresse nominatur. Consilium vero iuxta statutas leges agit ac regitur.

VIII. In singulis nationibus, in quibus Pium Opus viget, constituentur Nationalia Consilia quae Consilio Superiori Generali consistenti in Urbe subiecta erunt. Eorum Praesides a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, consideratis Episcoporum votis, eligentur.

IX. Consilium Superius Generale curabit:

1) ut apud omnes nationes, Episcopis adiuvantibus, Pium Opus rite instituatur, atque incrementum capiat, praesertim Consiliis Nationalibus institutis;

2) ut una eademque ratio servetur in subsidiis inter Missiones distribuendis;

3) ut congruenter naturae Pii Operis nova incepta pro regionibus diversa in unum componantur;

4) ut examini subiiciantur atque rata habeantur statuta, item rationum libri qui a Consiliis singularum nationum sibi oblati erunt;

5) ut pecunia a fidelibus oblata Missionibus aequabiliter distribuatur iuxta regulas a Sacra Congregatione de Propaganda Fide ad id statutas.

X. Pecunia collecta quotannis mense martio a Consilio Superiore Generali Missionibus distribuitur. Eidem Consilio Superiori Generali licet ad arbitrium Praesidis alias largitiones extra id tempus erogare.

XI. Omnes Missiones, nulla excepta, hac pecunia iuvantur, quae quidem, necessitatum ratione habita, omnibus aequabiliter distribuitur. De acceptis atque distributis stipibus quotannis in commentario Pii Operis referatur.

XII. Missionum necessitates Consilio Superiori Generali patefiunt cum ex certa notitia Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, tum ex responsionibus ad peculiare quaestionarium a Missionariis datis.

XIII. Consilia vero in singulis constituta nationibus curam habent:

1) ut Pium Opus in omnibus regionis dioecesibus rite condatur conditumque promoveatur;

2) ut Pii Operis natura atque proposita opportune evulgentur, praesertim libris vel foliis editis, singulorum populorum indoli congruentibus, inter quae Annales de Propagatione Fidei vernacula lingua confecti praecipui habendi sunt;

3) ut pecunia collecta in singulis dioecesibus recte administretur atque ad Consilium Superius Generale tuto mittatur.

XIV. In singulis autem dioecesibus Pii Operis Moderatores ab Episcopis eliguntur ob eam causam ut apud omnes paroecias, parochis instantibus, eiusdem Pii Operis incrementum curent, pecuniam a fidelibus oblatam colligant, eamque ad Consilium Nationale mittant.

XV. Pio Operi in singulis nationibus promovendo valde confert Consociatio Cleri Missionaria, quae eo spectat ut animos sacerdotum ad Pium Opus atque ad cetera huiusmodi opera promovenda excitet.

XVI. Congruenter fini ad quem Pium Opus est institutum, tum Consilium Superius Generale, tum Consilia Nationalia, tum etiam Moderatores dioecesani sedulo curabunt ut in adscriptorum animis per conciones supplicationesque sollemnes

fides viva, pietas sincera, zelus animarum vigeant, unde Pio Operi divina munera ad uberes eius fructus concilientur.

Statuta

II. Statuta pro consilio Superiore Generali pii operis a Propaganda Fidei

Consilii Superioris generalis.

I. Consilium Superius Generale Pii Operis a Propagatione Fidei Romae sedem habet apud Sacram Congregationem de Propaganda Fide cui proxime subiicitur.

II. Idem constat Praeside, Vicepraeside, Secretario Generali aliisque membris tum ecclesiasticis tum laicis. Ii sunt:

1) Praesides Consiliorum quae in singulis nationibus constituta sunt;

2) nonnulli viri ecclesiastici Romae commorantes qui nationum ad Pium Opus plurimum conferentium singularum singuli personam gerent;

3) aliquot alii vel sacerdotes vel laici qui ob peculiarem rerum peritiam Pio Operi valde profuturi videantur.

III. Praeses Consilii Superioris Generalis est Secretarius pro tempore Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, qui tamen ad hoc munus Praesidis Pontificia auctoritate nominatur.

IV. Gallorum genti, apud quos Pium Opus ortum habuit quorumque praeclara merita in operibus missionalibus promovendis eminent, honos tribuitur duas sedes tenendi in Consilio Superiore Generali.

V. Ob easdem causas unus ex Gallicis Consilii membris fungetur munere Vicepraesidis Consilii Superioris Generalis.

VI. Sacra Congregatio de Propaganda Fide, Praeside excepto, Consilii membra, non neglectis Episcoporum optatis, ad quinquennium instituit.

VII. Si quem ex Consiliariis inter Purpuratos Patres cooptari aut episcopali dignitate honestari contingat, is hoc ipso a Consiliarii munere cessat.

VIII. Consilii Superioris Generalis duo praecipue sunt: Pium Opus administrare atque pecuniam a fidelibus oblatam Missionibus rite distribuere.

IX. Ad prius quod attinet, Consilio Superiori cum Consiliis singularum nationum concordissima ratio intercedit:

1) ut apud omnes nationes, Episcopis opem conferentibus, Pium Opus instituatur atque incrementum capiat;

2) ut una administrandi ratio servetur in Missionibus subsidiis adiuvandis;

3) ut congruenter naturae Pii Operis nova incepta pro regionibus diversa in unum componantur.

4) Praeterea Consilii Superioris Generalis est examini subiicere atque rata habere Consiliorum singularum nationum statuta : itidem rationum libros una cum pecunia quotannis sibi oblatos approbare.

X. Ad subsidia Missionibus rite distribuenda Consilio Superiori Generali curae est :

1) pecuniam in unum collectam in fundis tutis ac frugiferis collocare ;

2) eandem pecuniam resve alias forte oblatas Missionibus aequabiliter distribuere secundum regulas a Sacra Congregatione de Propaganda Fide ad id statutas, in eum finem dumtaxat ut Christi regnum ubique gentium dilatetur.

XI. Praeses Pium Opus regit de pleno consensu E.mi Cardinalis Praefecti Sacrae Congregationis de Propaganda Fide ; praeest sessionibus Consilii Superioris Generalis eiusque deliberationes et decisiones gubernat.

XII. Vicepraeses, Praeside absente, eiusdem partes implet ; praeterea Praesidi in communicationem laboris suas vires confert quasi proximus ac studiosissimus administer.

XIII. Consilium Superius Generale quod maiori parti placuerit, decernit. Decreta vero quae de rebus maioribus fieri contingat, subiiciuntur Sacrae Congregationi de Propaganda Fide ut eidem probentur.

XIV. Secretarius Generalis nominatur a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, proponente Consilio Superiore Generali. Ei maxime incumbit Pii Operis procuratio ; idem in coetibus Consilii Superioris Generalis suffragium consultivum habet ; munere fungitur ad nutum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide ; honorarium accipit.

XV. Secretarius officialibus inferioribus proxime praeest ; praeparat negotia in coetibus Consilii Superioris Generalis agenda ; Consilii Superioris Generalis mandata exsequitur ; litteras mittit accipitque, aliaque huiusmodi munera explet.

XVI. Secretario autem subsunt Vicesecretarius, Arcarius aliique officiales stipendio conducti, quos Consilium Superius Generale, prout res postulat, nominat.

XVII. Vicesecretarius Secretario in omnibus adsistit, eiusque absentis vices gerit, itemque sessionibus Consilii Superioris Generalis, ubi opus sit, interest. Is a Consilio Superiore Generali nominatur, proponente Secretario.

XVIII. Thesauri Custos arcam Pii Operis diligentissime

custodit: praeterea quotannis accepti et expensi rationem, a duobus Censoribus ad id a Consilio Superiore Generali deputatis excussam atque probatam, Consilio subiicit.

XIX. Arcarius pecuniam ab adscriptis datam vel ab aliis oblatam recipit; sub nutu autem thesauri Custodis diligenter administrat.

XX. Consilium Superius Generale semel in mense fere convenit; extra ordinem vero, prout res postulet. Penes Praesidem ius est et officium idem convocandi.

XXI. Conveniunt omnia Consilii membra Romae commorantia; eaque suffragii deliberativi ius habent.

XXII. Pecunia a christifidelibus oblata, quotannis mense martio distribuitur a Consilio Superiore Generali.

XXIII. Omnes vero Consiliarii extra Romam degentes, mature advocantur ad coetum a Consilio Superiore Generali mense martio habendum.

XXIV. Tribus vel quatuor ex Consilii membris committitur ut, antequam Consilium Superius Generale ad pecuniam distribuendam conveniat, distribuendi rationem praeparent eamque Consilio proponant.

ANNOTATIO

Ut novimus ex *Acta Ap. Sedis* 25 iul. 1922, p. 438, Consilii generalis pii operis de Propaganda Fide *praeses* est Ill. D. PETRUS FUMASONI BIONDI, archiep. tit. Diocle., Secretarius S. C. de P. F.; vicepraeses, Ill. D. AUG. BOUDINHON.

Consiliarii vero sunt praesides singulorum consiliorum centralium cuiusque gentis; ac praeterea Ill. DD. AMERIGO DAVID, pro Germania, Austria et Bavaria; BERNARDUS ERAS, pro Hollandia; IOACHIM GOVANI, pro Hispania; PHILIPPUS AUG. LAJOIE pro dominio Canadensi; ADRIANUS MERCADO Y RIERA pro America Meridionali; CAROLUS O'HERN pro Statibus Unitis; IOANNES PRIOR, pro Anglia; ANGELUS RONCALLI, pro Italia; CAROLUS DE T'SERCLAES, pro Belgio; GASTO VANNEUFVILLE pro Gallia. - Alii deinceps addentur. Secretarius demum generalis est Ill. D. IOSEPHUS NOGARA.

26 — SS. D. N. Pius Pp. XI

EPISTOLA APOSTOLICA 10 iul. 1922

Ad Venerabilis Fratres, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos Orbis Catholici: Russis fame laborantibus Opem implorat.

(A. A. S. 25 iul. 1922, I4, 417)

PIUS PP. XI

Venerabiles Fratres
Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Memoratis superioribus instantiis,

Annus fere iam est, ut meministis, ex quo decessor Noster desideratissimus, paterno dolens animo de miserrimis Russiae populis, qui, ob calamitatem post natos homines maximam, pestilentia et fame consumerentur, communem miserationem beneficentiamque iis vehementissime imploravit, simulque cunctos qui rebus publicis praeessent, diligenter curavit admonendos, quantum interesset humanae societatis, ut collatis et consiliis et viribus celeriter efficienterque tot tantisque necessitatibus subvenirent. Item memoria tenetis, Nos quoque, pro eadem, Nobis a Iesu Domino tradita, misericordiae hereditate, cum ad Civitatum legatos, qui Genuam convenerant, sollicitas nuper litteras dederimus, rogantes, darent communiter operam rebus earum gentium in ordinem adducendis, tum ipsis gentibus, quamvis diuturna temporum tristitia ab hac Apostolica Sede seiunctae essent, consolationem verbis amantissimis adhibuisse, declarantes quam cupide earum ad Ecclesiae unitatem reditum exspectaremus.

earumque non exiguis fructibus, praesertim propter subsidia americana,

Profecto, his tantis privatim publiceque prementibus omnes fere nationes angustiis, tamen largiter bonorum caritas invitationibus Romani Pontifici respondit. In quo sane eminuerunt libet enim hic profiteri - subsidiorum vim summa consensione et ratione quadam conferendo, dilecti filii ex copiosioribus Americae regionibus, qui quidem suo beneficio non solum tot aerumnosos sibi, sed humanum ipsum genus obligaverunt. Nec silentio praetereundum est eandem in rem Senatus Americani consulto ingentem pecuniae summam esse decretam.

Pontifex immensa populi Russiaci miseria movetur

At vero huiusmodi subsidia malorum immensitati paria minime fuerunt; nec esse poterant. Acerbiores quotidie nuntii perferuntur ad Nos, et miserabiliores usque efflagitationes calamitosorum, in quibus innumerabiles plane sunt, quotquot alieni auxilii maxime indigent ut infantes, ut pueri, ut feminae, ut senes, quibus, nisi mature succurratur, horrifica mors obeunda est, aut certe amarissima vita tabescendum.

Ut iterum per episcopos stipes corrogare studeat.

Itaque, urgente Nos sacrosancto munere, quo fungimur, Pastoris summi Parentisque communis ut hominum universitatem caritate Nostra complectamur, toto animi impetu invocamus vos iterum, Venerabiles Fratres, per vosque, omnes quicumque christiane atque adeo humane sentiunt, ad opitulandum tantis miseriis, ut quo magis illae accreverint, eo amplius dilatentur spatia caritatis.

Quoniam vero - quod vos non fugit - ad huius beneficentiae efficacitatem ac fructum omnino opus est ut stipum et collatio et partitio recte atque ordine fiant, idcirco vestrae erit diligentiae, Venerabiles Fratres, quem accommodatissime rebus, corrogare stipes; quae deinde, per delectos a Nobis viros, eo quo necessitas postulaverit, deferentur, ab iisdem, nullo religionis nationisve discrimine, egentissimo cuique distribuendae.

Ipse munifica liberalitate et supplici prece exemplo praeit.

Cum deceat autem Nos ad hanc rem exemplo factoque Nostro esse aliis hortationi, quantum haec Apostolicae Sedis condicio patitur, libellarum italicarum vicies quinquies centena millia eo destinamus. Sed ante omnia humili prece ac supplici instabimus, ut paene infinitae Russorum multitudini, inedia emorientium, quos quidem tanto cariores habemus quanto calamitosiores cernimus, divinam benignitatem conciliemus. Atque auspicem mercedis sempiternae, paternaeque benevolentiae Nostrae testem, vobis Venerabiles Fratres, itemque omnibus qui miseros fratres adiuturi sunt, apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Benedictio.

Dies (10 iul. 1922).

Datum R. mae apud Sanctum Petrum, die x mensis iulii, anno MCMXXII, Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP. XI

27. — SS. D. N. Pii Pp. XI.

CONSTITUTIO APOSTOLICA

S. Ignatius De Loyola Caelestis Exercitiorum Spiritualium Patronus declaratur.

(A. A. S. 25 iun. 1922, 14, 20)

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei
Ad Perpetuam Rei Memoriam

Exercitia spiritualia S. Ignatii eximium vitae spiritualis adiumentum,

Summorum Pontificum haec fuit semper praecipua cura ut quae ad pietatem vitaeque christianae perfectionem magnopere conducerent, ea summis laudibus commendarent, validisque incitamentis promoverent. Iamvero inter varia eiusmodi adiumenta insignem sibi locum vindicant ea quae S. Ignatius divino quodam instinctu in Ecclesiam invexit Exercitia Spiritualia. Quamquam enim, quae Dei Miserantis est benignitas, numquam defuerunt qui res caelestes penitus perspectas Christi fidelibus contemplandas apte proponerent, tamen Ignatius primus libello, quem composuit cum litterarum etiamtum plane rudis esset, quemque *Exercitia Spiritualia* ipse inscripsit, rationem quandam et viam peculiarem peragendi spirituales secessus docere coepit, qua ad peccata detestanda vitamque, D. N. Iesu Christi exemplo, sancte disponendam fideles mirifice iuvarentur.

ut testatur experienta tum virorum sanctorum e S. I.,

Cuius ignatianae methodi virtute factum est, ut summa horum Exercitiorum utilitas, quemadmodum decessor Noster praeclarae memoriae Leo XIII affirmavit, comprobaretur « trium iam saeculorum experimento.... omniumque virorum testimonio qui vel asceseos disciplina vel sanctitate morum maxime per idem tempus floruerunt » (1). Praeter tot tamque illustres sanctimonia viros vel ex ipsa ignatiana familia, qui omnem virtutis rationem ab hoc veluti fonte se mutuatos esse disertissime sunt professi, duo illa Ecclesiae lumina commemorare libet e clero saeculari : S. Franciscum Salesium et S. Carolum Borromaeum. Franciscus enim ut se ad episcopalem consecra-

tum Sanctorum qui inter vitae spiritualis Doctores eminent.

(1) Ep. *Ignatianae commentationes* ad P. Lud. Martin, Praep. Gen. Soc. Iesu.

tionem rite compararet, ignatianis Exercitiis studiose vacavit, in iisque eam vivendi rationem sibi ordinavit, quam semper deinceps tenuit secundum reformationis vitae principia in libello S. Ignatii tradita. Carolus autem Borromaeus, ut fel. rec. decessor Noster Pius X ostendit, (1) et Nosmetipsi ante summum Pontificatum editis historiae monumentis demonstravimus, horum Exercitiorum in se vim expertus, quibus ad vitam perfectiorem impulsus erat, eorundem usum in clerum populumque divulgavit. Ex addictis vero religiosae disciplinae sanctis viris feminisque satis est exempli causa nominare illam altissimae contemplationis magistram Theresiam et seraphici Patriarchae filium Leonardum a Portu Mauritio, qui quidem tanti faciebat S. Ignatii libellum, ut omnino eius methodum in animabus Deo lucrandis se sequi confessus sit.

Romani igitur Pontifices hunc parvae quidem molis, sed « admirabilem librum » (2) cum iam inde a prima eius editione sollemniter approbarint, laudibus extulerint, Apostolica auctoritate communierint, deinceps eius usum, tum sanctis indulgentiae muneribus cumulando, tum novis subinde praeconiis honestando, suadere non destiterunt.

SS. D. N. Pius XI. cum exploratum habeat quanti sint, praesertim nostro tempore, facienda Exercitia spiritualia iuxta methodum S. Ignatii.

Itaque Nos, persuasum habentes temporum nostrorum mala inde maximam partem originem ducere, quod iam non sit *qui recogitet corde;* (3) comperto autem Exercitia Spiritualia secundum S. Ignatii disciplinam peracta valere plurimum ad infringendas perarduas difficultates, quibus humana societas nunc passim conflictatur; exploratoque laetam virtutum segetem, sicut olim ita hodie, in sacris secessibus maturescere, cum inter religiosas familias sacerdotesque saeculares, tum inter laicos et - quod nostra praesertim aetate mentione singulari dignum est - inter ipsos opifices; summopere exoptamus, ut usus horum Exercitiorum Spiritualium latius in dies diffundatur et illa pietatis domicilia, quo vel mensem integrum vel octo aut, si id fieri nequit, pauciores dies seceditur, tamquam ad perfectae vitae christianae palaestram, frequentiora usque existant ac floreant.

Votens quoque satisfacere votis Antistitum universi fere orbis.

Quod cum a Deo pro Nostra dominici gregis caritate precemur, Sacrorum Antistitum universi fere orbis catholici ex utroque ritu flagrantissimis studiis votisque satisfacientes atque etiam hoc tempore, in quod feliciter tum anni saecularis tertii

(1) Litt. Encycl. *Editae saepe.*
(2) Benedictus XIV in Litt. Apost. *Quantum secessus.*
(3) Ier., XII, 11.

a Sanctorum honoribus Ignatio tributis, tum quarti ab huius aurei libelli confectione solemnia incidunt, cupientes Ipsi Nostri in S. Patriarcham grati animi non dubiam significationem dare, proposito Nobis exemplo Nostrorum Decessorum qui alios aliis Institutis Praestites Tutelares attribuerunt, adhibitis in consilium venerabilibus Fratribus S. R. E. Cardinalibus Sacrorum Rituum Congregationi praepositis, auctoritate Nostra Apostolica, S. Ignatium de Loyola omnium Exercitiorum Spiritualium ideoque institutorum, sodalitiorum, coetuum cuiusvis generis, iis qui Exercitia spiritualia obeunt, operam studiumque navantium, Patronum Caelestem declaramus, constituimus, renuntiamus.

S. Ignatium a Loyola patronum constituit omnium operum quae exercitia spiritualia promoveni.

Decernimus vero has litteras Nostras firmas, validas et efficaces esse semperque fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo secundo, die vigesima quinta mensis iulii, Pontificatus Nostri anno primo.

Dies (25 iul. 1922).

✠ A. Card. Vico, *Ep. Portuen. et S. Rufinae S. R. C. Praefectus.*

O. Card. Cagiano *S. R. E. Camerarius*

Raphaël Virili, *Protonotarius Apostolicus.*
Leopoldus Capitani, *Subst. Reg. ex spec. deleg.*

Loco ✠ Plumbi
Reg. in Canc. Ap., vol. XXV. n. 55.

Annotationes

I. Sollemni Bullae forma usus, hodiernus Pontifex gloriose regnans insigni eximiae commendationis beneficio saecularia festa canonizationis S. Ignatii et libelli Exercitiorum spiritualium participare dignatus est.

II. In ista autem Constitutione Apostolica, S. Pontifex: ipsum libellum Exercitiorum laudibus effert; - summam utilitatem celebrat Ignatianae methodi peragendi exercitia spiritualia; - eandem aptissimam pronuntiat ad praesentes societatis difficultates superandas; - ac non solum ad peccata detestanda, sed

etiam ad apicem perfectionis christianae assequendum valere aestimat.

In quo ferendo iudicio sentire se profitetur cum decessoribus suis, cum pluribus sanctis, praecipue cum S. Francisco Salesio, S. Carolo Borromaeo, S. Theresia, S. Leonardo a Portu Mauritio.

III. Inde et ex ipsa caritate erga gregem suum perducitur ad optandam maximam diffusionem istorum Exercitiorum spiritualium et usque crescentem copiam domiciliorum in quibus ad ea peragenda seceditur.

IV. Omnium vero Exercitiorum spiritualium et cuiusvis generis institutorum quae peragentibus exercitia spiritualia operam conferunt, caelestem Patronum declarat et renuntiat S. Ignatium.

Hoc pacto cupit grati sui animi erga S. Patriarcham significationem dare et votis satisfacere sacrorum Antistitum universi fere orbis.

Observes itaque, etsi variae sunt rationes Exercitiorum spiritualium quae a methodo propria S. Ignatii differant, S. Ignatium nihilo minus omnium constitui patronum, fere sicut Leo XIII S. Vincentium a Paulo « omnium societatum caritatis in toto catholico orbe exsistentium et ab eo quomodocumque promanantium peculiarem apud Deum patronum declaravit et constituit ».

V. Encomia ista et omnis tenor monumenti minorem excitabunt mirationem consideranti quanta libelli Exercitiorum spiritualium existimatione, S. Pontifex, cum in minoribus versaretur, hanc dedit operis descriptionem cui in ipsa Bulla alludit: « Libellus qui vix conscriptus, vel ipsis invitis apparuit ut sapientissimus et universalissimus Codex gubernationis spiritualis animarum, ut fons inexhaustus pietatis simul profundissimae, ut hortator ineluctabilis et dux tutis-

simus ad conversionem et altissimam spiritualilatem et perfectionem (1) ».

VI. Demum operae pretium videtur monere, nomine exercitiorum spiritualium interdum compellari sacras praedicationes quae sua utilitate non carent, sed propter ipsa adiuncta a methodo libelli Exercitiorum non parum recedunt. Ita plerumque ipsi secessus cleri qui dicuntur pastorales. Non modice igitur deciperetur qui ex his exercitiis de arte ignatiana iudicium ferre tentaret.

---

28. — S. Congr. de Religiosis

RESPONSUM 18-20 MART. 1922

De taxa pro exploratione voluntatis apud religiosas

(A. A. S. 8 iun. 1922, 14, 352)

DUBIUM

Dubium.

Ordinarius dioecesis *N.*, exposuit Sacrae Congregationi de Religiosis, quod « consuetudo forsan immemorabilis huius « dioecesis *N.*, et supra 400 annorum memoriam comprobata, « tenuit semper taxationes aliquas pro canonica voluntatis re- « ligiosarum exploratione ab earundem exigere communitatibus ».

Afferebat insuper rationes propter quas talis consuetudo ipsi videbatur confirmanda, praecipue quod in praesenti ex Codicis praescripto non bis uti antea, sed ter praestanda est exploratio ; quod cum Ordinarius in pluribus occupatus personaliter eam explere nequeat, alium sacerdotem delegare cogatur : « ad haec tamen Episcopus non habet unde arduum laborem, dignissimum mercede, istius sacerdotis, remunerare possit ».

---

(1) « Un libro come quello degli *Exercizi di S. Ignazio*, che quasi subito si affermò ed impose quale il più sapiente ed universale codice di governo spirituale delle anime, quale sorgente inesauribile della pietà più profonda ad un tempo e più solida, quale stimolo irresistibile e guida sicurissima alla conversione ed alla più alta spiritualità e perfezione ».

« *S. Charles Borromée et les Exercices spirituels de S. Ignace*, par Mgr. ACHILLE RATTI. Enghien *Belgique* mars 1911, pp. 28. 29. Ex libro *Exercitia spiritualia S. Ignatii de Loyola et eorum directorium*, inter monumenta historica Soc. Iesu, series 2, T. I, p. 24.

Sacra Congregatio, praerequisito voto duorum Consultorum, rem detulit ad plenarium coetum Em.orum Patrum per subsequens dubium: « An consuetudo exigendi taxam pro explora-« tione voluntatis Religiosarum sustineatur in casu ».

Responsum 18 mart. 1922.

Porro E.mi Patres in Generali Congregatione habita ad Vaticanum die 18 martii huius anni, omnibus perpensis, respondendum censuerunt: *Negative.*

Approbatio pontificia 20 mart. 1922.

Facta autem de praedictis relatione SS.mo Domino Nostro Pio div. Prov. Pp. XI ab infrascripto P. Ab. Secretario S. Congregationis in audientia diei 20 martii 1922, Sanctitas Sua Em.orum Patrum resolutionem approbare dignata est.

MAURUS M. SERAFINI Ab. O. S. B., *Secretarius.*

ANNOTATIONES

I. C. 552 § 2, quo diligens voluntatis exploratio ante noviciatum et professionem ab Ordinario per se vel per delegatum facienda, praecipitur, simul vult ut haec fiat *gratuito*. In Hispania tamen exploratio ista apparatu sollemniore sed non gratuito fieri consuevit. Nec adeo modica taxa interdum solvenda est. Igitur, cum consuetudo ista adversetur Codici, opportuna quaestio de eius firmitate S. Congregationi proposita est.

II. Vi c. 5, consuetudines non expresse reprobatae, quamvis Codici adversentur, tolerari possunt, dummodo: a) sint centenariae vel immemorabiles; b) Ordinarii, pro locorum et personarum adiunctis, existiment eas prudenter submoveri non posse.

III. Consuetudo de qua Pontificia Commissio interrogabatur priori condicioni, i. e. antiquitatis, abunde satisfaciebat; sed altera condicio omnino deficere videbatur. Nulla enim indignatio vel miratio populi timenda erat ex suppressa taxatione quae soli Curiae dioecesanae proderat. Nulla pro consuetudine afferebatur ratio peculiaris, sed communis tantum quae, si sufficeret, ipsam canonis mutationem suaderet.

IV. Quocirca S. Congregatio, et quidem in plenario coetu, ac praerequisito voto duorum Consultorum, consuetudinem sustineri negavit.

V. Inde consequens quoque est, taxas huiusmodi esse, saltem a vigente Codice, indebite perceptas.

---

29. — S. Congr. de Religiosis

Responsum ex aud. SS. 22 mart. 1922

De numismate pro scapulari Tertii Ordinis

(A. A. S. 8 iun. 1922, 14, 353)

Facta petitio

Cum pluries petitum fuerit ut, attentis praesertim quarumdam regionum exigentiis, in commoditatem christifidelium Tertio Ordini saeculari Sancti Francisci et aliis nomen dare cupientium, facultas fieret commutandi parvum habitum seu scapulare eorumdem Tertiorum Ordinum in numisma ex aere confectum, piam aliquam imaginem proferens, cum omnibus iuribus, indulgentiis et privilegiis parvo habitui adnexis, haec Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, re maturo examini subiecta, opportunum duxit Sanctissimo Domino Nostro Pio Div. Prov. PP. XI supplicare, ut auctoritate Apostolica dignaretur decernere quid agendum esset in casu.

Responsio Sanctissimi

Porro Sanctitas Sua, in Audientia concessa die 20 marii 1922 R.mo P. D. Secretario huius Sacrae Congregationis, omnibus perpensis, quoad expetitae facultatis concessionem annuendum haud esse censuit.

Dispensandi potestas

Considerans tamen quae Leo XIII fel. rec., in cap. III, § 6, Regulae tertii Ordinis saecularis Sancti Francisci sancivit, scilicet: « Si qua huius capita legis quemquam servare causa « gravis et iusta prohibeat, eum ex parte lege solvi, eademve « capita commutari prudenter liceat. Cuius rei Praefecti Ordi« narii Franciscalium et Primi Ordinis et Tertii, item Visitato« ribus, facultas potestasque sit », voluit Superiores Tertii Ordinis saecularis Sancti Francisci, quoad Tertiarios suos, ea potestate utantur in singulis casibus, iusta gravique accedente causa, ad supramemoratam commutationem elargiendam.

Revocatio facultatum

Revocavit insuper, prout praesentis declarationis tenore revocat, quamlibet facultatem commutandi habitum cuiuscumque Tertii Ordinis saecularis in numisma, sive per Rescriptum sive per ipsam personam Summorum Pontificum in scriptis aut vivae vocis oraculo impertitam.

[29]

Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Dies (25 mart. 1922) Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, die 25 martii 1922.

TH. CARD VALFRÉ DI BONZO, *Praefectus*.

L. ✠ S.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., *Secretarius*.

ANNOTATIONES

I. In primis istud, satis notabile, observandum est, responsiones S. Congregationis in omnes Tertios Ordines cadere, quamvis occasio respondendi a solo Tertio Ordine S. Francisci data fuerit.

Etenim, in non nullis congressibus Tertiariorum S. Francisci, qui in Italia septemtrionali habiti sunt, quaestio mota est de surrogatione numismatis in locum scapularis Tertii Ordinis; et votum factum est ut haec surrogatio permitteretur.

Scapulare tamen istud non est incommodi usus, cum a Leone XIII redactum fuerit ad formam parvi scapularis cum chordula, sub vestibus gerendi.

II. Ipso decreto S. C. S. *Officii*, 16 dec. 1910, quo Pius X indulsit ut pro scapularibus deferretur numisma tot signis crucis a competente sacerdote benedictum quot essent supplenda scapularia, expresse excepta sunt scapularia Tertiorum Ordinum propria. Quam exceptionem constanter firmarunt tum Pius X, tum Benedictus XV. Et sic factum est, ut necessitas gerendi proprie dictum scapulare evaderet nota qua Tertius Ordo a simplici confraternitate distingueretur. Ex quo discrimine ratio oritur insistendi in recepta disciplina.

III. Huc autem tendebant pluries factae preces, ut generali indulto omnibus Tertiariis facultas fieret assumendi, pro scapulari Tertii Ordinis, numisma piam aliquam imaginem proferens.

IV. Porro generalis ista facultas ab ipso S. Pontifice in audientia 20 mart. 1922 negata est.

Immo, ultra petita disponens S. Pontifex, revocavit quamlibet specialem « facultatem commutandi habitum cuiuscumque Tertii Ordinis saecularis in numisma, sive per rescriptum sive per ispam personam SS. Pontificum, in scriptis aut vivae vocis oraculo impertitam ».

Sic igitur S. Pontifex, vestigia suorum Decessorum premens, impedire voluit ne mos ferendi numisma pro habitu Tertii Ordinis evaderet generalis.

Commutationes tamen antea legitime factas non revocavit; et ex c. 9 de vacatione legum, facultates commutandi habitum in numisma, expleto tantum die octavo septembris cessarunt.

V. Verum simul memoravit facultatem competere Ordinariis Praefectis Primi et Tertii Ordinis S. Francisci et Visitatoribus, dispensandi et commutandi quaedam legis Tertii Ordinis capita, quorum causa gravis et iusta observationem impediat.

Integrum ergo erit dictis Superioribus et Visitatoribus, *in singulis casibus* iustaque et gravi accedente causa, postulatam commutationem, sicut quamlibet aliam indulgere.

Observes quid intersit inter memoratam potestatem et negatam facultatem. Potestas Superiorum *extra* et *ultra* iustam et seriam impedimenti causam invalide exerceretur; solis Superioribus data est quorum prudenti arbitrio fidi potest; atque exercenda est in singulis casibus. Non valeret igitur collectiva dispensatio vel commutatio, nisi constaret causam dispensationis singulis collectionis partibus seu membris re vera inesse: tunc enim dispensatio singulos distributive vere attingit. Casus fuerit, v. g. militum Tertiariorum.

Contra, si concessa fuisset petita facultas, omni-

bus, sine alia ratione, optio data fuisset surrogandi numisma in locum scapularis.

Haec nostra explicatio satis differt ab interpretatione *Monitore Ecclesiastico,* 8 iul. 1922, unde diceres facultatem, potius quam reiectam, fuisse arbitrio Superiorum commissam.

VI. Quid autem possint Superiores aliorum Tertiorum Ordinum, ex propriis Constitutionibus colligendum est, cum praesenti decreto nulla nova facultas sit concessa.

---

30 — S. Congr. de Religiosis

DECRETUM 23 iul. 1922

Circa Indulta prorogandi Capitulum Generale

(A. A. S., 25 iul. 1922, 14, 428)

Indultum prorogandi capitulum generale non permittit ut ultra annum 1923 prorogetur, et matura convocatio praecipitur.

Factum est aliquando, praecipue durante bello, ut haec Sacra Congregatio alicui Ordini aut Congregationi religiosae indultum prorogandi celebrationem Capituli generalis ob peculiaria temporum aut rerum adiuncta concesserit cum clausula « ad nutum S. Sedis ».

Ne autem diutius Capitulorum generalium celebratio differatur, Sacra Congregatio de Religiosis, omnibus diligenter perpensis, mandat ut quaelibet Religio aut Congregatio religiosa, quae indultum cum praedicta clausula obtinuerit, Capitulum sine mora celebrare debeat, non ultra finem proximi anni 1923. Curent ergo Superiores generales ad quos pertinet, Capitulum ita mature convocare ad normam constitutionum, ut intra praedictum tempus eius celebratio locum habere possit.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Dies (23 iul. 1922).

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 23 iulii 1922.

C. CARD. LAURENTI, *Praefectus.*

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., Secretarius.

31. - S. Cong. de Religiosis

RESCRIPTUM ex aud. SS. 20 iun. 1922

Circa professionem Religiosorum qui ad militare servitium in BELGIO sub peculiaribus condicionibus adstringuntur.

EX AUDIENTIA SS.MI diei 20 IUNII 1922.

In aud. 20 iun. 1922.

SS.mus D. N. PIUS Div. Prov. PP. XI, mature consideratis iis quae ab E.mo D. D. Card. Archiepiscopo Mechliniensi exposita sunt circa conditiones quibus in BELGIO fruuntur Religiosi pro servitio militari praestando, precibus eiusdem obsecundans, concedit ut omnes Religiosi, natione BELGAE, perdurante servitio militari, votis temporariis ad normam Canonis 547 et suarum Constitutionum ligati maneant, eaque renovare valeant; exclusa omnino emissione votorum perpetuorum aut sollemnium, et quousque conditiones illae favorabiles, quibus in praesenti fruuntur, de jure et de facto perduraverint.

SS.us perspectis eorum conditionibus peculiaribus, sinit ut religiosi milites Belgii vota temporaria servent

Derogando quoad hoc tam Decreto. « Inter reliquas », quam Declarationi H. S. C. diei 15 Julii 1919 ceterisque quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria S. Cong. de Religiosis, die, mense et anno ut supra.

Die (20 inn. 1922)

Pro E.mo Card. Praefecto

Fr. ANDREAS Card. FRÜWIRTH

Maurus A. Serafini, secret.

ANNOTATIO

Peculiares condiciones quibus religiosi Belgii fruuntur propositae sunt in *Periodica* t. x, p. (39). Ac post responsa particularia contraria, per viam indulti perventum saltem ex parte est quo ipsa interpretatio nostra privata nos ibidem perduxerat. Ex parte inquam : derogatio enim D. *Inter reliquas*, etc. perseverantia votorum est circumscripta.

32. — S. Cong. de Propaganda Fide

Epistola 16 april. 1922

Nova relationis quinquennalis formula

(A. A. S. 8 maii 1922, 14, 287)

Ad Episcopos, Vicarios, Praefectosque Apostolicos ac Missionum Superiores: de relationibus missionum, singulis quinquenniis exhibendis.

Memorata simili epistola 1 iun. 1877,

Sacrum Consilium Christiano Nomini Propagando per epistolam datam die 1 iunii a. 1877 Vicarios et Praefectos Apostolicos monebat, ut temporibus pro visitatione SS. Liminum a Sixto V, constitutione *Romanus Pontifex* diei 20 dec. a. 1585, pro Episcopis statutis, vel frequentius, prout mos iam alicubi invaluerat, accuratas relationes de toto eorum pastorali munere deque omnibus ad Missionum suarum statum pertinentibus, transmitterent. Eum in finem epistolae adnectebatur *series quaestionum*, quibus in praedicta relatione exaranda respondere satagerent Superiores Missionum.

Verum, promulgato Codice iuris canonici, quo nonnulla innovata sunt aliaque aliter ordinata, expedire visum est ut memoratae qnaestiones aliquantulum immutarentur, quo eiusdem Codicis praescriptionibus plenius responderent, atque omnimode cohaererent.

de mandato SS.mi, nova formula relationis proponitur.

Itaque, *de mandato SS.mi D. N. Pii PP. XI,* nova haec quaestionum series ad normam cc. 300 et 340 § 1 Codicis I. C. ab universis Episcopis, Vicariis Praefectisque Apostolicis ac Missionum Superioribus subiectis huic S. C. de Propaganda Fide in posterum prae oculis habenda erit in relationibus conficiendis.

Ad SS. Liminum visitationem autem quod attinet, serventur cc. 299 et 341.

ANIMADVERTENDA

Observanda de forma exteriore et de amplitudine relationis.

I. Relatio latina lingua nitidis characteribus, in charta non translucida conscribenda erit et ab ipso Ordinario et ab uno saltem ex canonicis vel consultoribus *(in dioecesibus)* aut ex consiliariis Missionis subsignanda, adiectis die, mense et anno quibus data fuerit.

II. In prima relatione, post acceptam praesentem epistolam danda, ad singulas quaestiones, quae infra ponuntur, accurate ac plene responderi debet.

III Idem faciendum erit ab omni novo Missionis Superiore, prima vice qua relationem quinquennalem exhibere debebit.

IV. In relationibus quae primam sequentur, Ordinarii omittere poterunt ea omnia, quae partem historicam ceterasque generales notitias Missionis respiciunt, si immutata permanserint.

Caput I

Generales notitiae Missionis

I. Generales notitiae.

1. *a*) Breve *compendium historicum* circa originem, progressus ac mutationes dioecesis, vicariatus sive praefecturae aut Missionis conficiendum erit. Brevissima quoque adumbratio fiat de historia religiosa Missionis, de persecutionibus praesertim, ac de illustrioribus martyribus.

b) Describenda *superficies, confinia* quibus continetur territorium Missionis. Insuper charta geographica Missionis, si fieri potest, addatur.

c) Brevis notitia detur *de natura loci caelique temperie* ac de fertilitate terrae, de ratione et mediis itinerum. Quinam morbi in ea forte praevaleant, et quibus cautelis vitari possint.

2. *a*) De *divisionibus civilibus territorii,* de principalioribus civitatibus, de reipublicae seu Gubernii civilis forma.

b) De *incolarum propriis moribus,* indole, origine; de praecipuis commerciis, et industriis regionis ac de varietate stirpium, linguarum ac religionum.

c) Quinam *incolarum numerus*: *quot* inter incolas sint *catholici;* si autem varii adsint ritus, quot catholici in singulis; et inter non catholicos quot ethnici, mahumetani, hebraei, haeretici, etc.

Caput II

De constitutione Missionis eiusque divisione ecclesiastica

II. De missionis constitutione et libris

3. Quinam *locus residentiae Ordinarii* cum omnibus indicationibus ad epistolas inscribendas necessariis.

4. In quot *christianitates* vel *sectiones* seu *districtus* aliasque circumscriptiones Missio divisa sit, et an ibi sacerdotum residentiae sint stabiles et an facilis sit ad eas accessus.

5. *a*) An et quot adsint in dioecesibus *paroeciae* vel in aliis Missionibus *quasi-paroeciae* cum propria ecclesiae, territorio determinato et peculiari rectore. - An erectio paroeciarum et quasi-paroeciarum facta fuerit per decretum asservatum in

archivo Missionis. An observentur instructiones huius S. C. diei 25 iulii a. 1920 et diei 9 dec. a. 1920 (cfr. *Acta Apostolicae Sedis*, a. 1920, pag. 331 et a. 1921, pag. 17), circa erectionem paroeciarum vel quasi-paroeciarum.

b) An parochi, vel quasi-parochi (c. 451 § 2) applicent Missam pro populo (c. 466), tributum solvant pro Seminario (c. 1356 § 1), suas obligationes servent (cc. 451-470), et libero exercitio in cura animarum gaudeant, iuxta c. 415.

6. An habeantur *vicarii foranei* (cc. 217, 445 seq.) et Missionis districtus ita ordinati sint, ut plures uni sacerdoti tamquam Superiori subsint.

7. *a)* An spes affulgeat Missionem in plures dioceses vel vicariatus seu praefecturas in posterum dividendi, et quomodo hanc divisionem Ordinarius praeparet, instituendo in unaquaque parte illa opera, quibus opus est ut Missio independens haberi possit.

b) An et quaenam *pars* Missionis adsit quae *numquam fuerit evangelizata*; an et quomodo provideri possit eius evangelizationi.

8. Utrum in singulis districtibus, paroeciis vel quasi-paroeciis diligenter serventur *libri* baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum et defunctorum, nec non status animarum, ad normam c. 470.

9. An quae in cc. 375 et seqq. de *archivo dioecesano* habentur, habita ratione locorum et personarum, in Missione constituta sint ad normam c. 304 § 1.

10. Exponatur insuper an habeatur *directorium* seu collectio regularum et consuetudinum Missionis circa ea, quae a sacerdotibus tum in sua vitae ratione tum in fidelium regimine sint servanda; illudque S. C. exhibeatur.

11. Dicatur utrum adsit *catechismus*, an sit communis cum aliis Missionibus eiusdem regionis, et an in variis libris huius generis servetur uniformitas circa doctrinae expositionem; ac eius exemplar ad hanc S. C. mittatur.

Caput III

De Ordinario eiusque praecipuis cooperatoribus in regimine Missionis

III. De Ordinario et regiminis modo.

12. *a*) Indicet *Ordinarius* nomen et cognomen suum, aetatem, originis locum et Institutum religiosum si ad aliquod pertineat, et quaenam indulta et facultates a S. Sede receperit.

b) In dioecesibus dicat Ordinarius, an sedes metropolitana sit, an et quas habeat suffraganeas sedes; et quem Ordinarium appellationis iuxta c. 1594 § 2 Metropolita, probante Sede Apostolica, sibi elegerit; si vero suffraganea, quem Metropolitam habeat; si denique nulli Metropolitae suffragetur, quem Metropolitam pro concilio provinciali et pro iudicio appellationis sibi constituerit iuxta cc. 285, 292 et 1594 § 3.

c) An Episcopum *auxiliarium* vel *coadiutorem* cum futura successione habeat; et indicet eius aetatem, locum originis, Institutum religiosum si alicui pertineat.

d) Dicat an secundum praescriptum c. 309 constituerit suum *Pro-Vicarium* vel *Pro-Praefectum*, et indicet eius nomen, aetatem, nationem, Institutum religiosum si alicui forte pertineat; atque de eius qualitatibus et opere adumbratio aliqua fiat.

e) In dioecesibus vero, exponatur quaenam vigeat ratio providendi, Sede episcopali vacante, dioecesis regimini (cc. 429-443).

f) Utrum constituerit unum *Vicarium generalem* (in dioecesibus) vel *Vicarium delegatum* (in aliis Missionibus), et si plures ob quam rationem (c. 366, § 3); ac similiter referat de eorum aetate, natione, an ad aliquod Institutum religiosum pertineant, de eorum qualitate et opere brevis notitia detur.

13 *a*) In dioecesibus utrum adsint capitulum cathedrale et alia capitula insignia an *communiae* cleri ad modum capitulorum; et quae eorum praecipua statuta; utrum Episcopus nominet consultores dioecesanos (c. 423), et quis eorum numerus.

b) In aliis Missionibus vero utrum adsit *Consilium Missionis* ad normam c. 302, quot in eo exteri et quot indigenae sacerdotes habeantur; quae eiusdem Consilii attributiones.

14 *a*) An Ordinarius in regione sibi commissa commoretur et observantiam legum ecclesiasticarum urgeat (c. 386); an et quando *Missionem visitaverit* iuxta c. 301; an praeter loca, res, libros et archiva, personaliter quoque clericos examinaverit, eos singillatim audiendo ut cognosceret quae sit uniuscuiusque vitae ratio, quae sit confessionis sacramentalis frequentia et alia huiusmodi; an in visitatione inspexerit quoque quae referuntur ad pia legata adimplenda et an circa Missarum manualium satisfactionem ac stipem omnia constituerit ad normam cc. 824-844.

b) An visitationem SS. Liminum suo tempore personaliter vel per procuratorem perfecerit.

15. An praecipuos presbyteros indigenas et exteros *congreget* semel saltem in anno ut possit ex singulorum experien-

tia et consilio deducere, quae sint perfectius in Missione ordinanda (c. 303).

16. *a*) Utrum et quomodo *synodum* celebraverit, et quando novissima synodus congregata fuerit (c. 304 § 2).

b) An aliquando consilium ineat cum Ordinariis vicinioribus vel eiusdem regionis in maioribus negotiis pertractandis.

c) Quando Missionum *concilium nationale vel regionale* celebratum fuerit, et an opportunum sit illud iterum convocari (c. 304, 2).

17. *a*) Quae mutua relatio intercedat inter Ordinarium et Superiores Religiosos (cc. 296 § 2 - 298) et an cum Superiore locali religioso eiusdem Instituti cui pertinet, Ordinarius concorditer vivat.

b) Utrum missionarii Episcopo, Vicario vel Praefecto Apostolico aut Missionis Superiori etiam ut religiosi subsint ; vel alteri Religioso Superiori sint subiecti, et saltem an sint Ordinario subiecti ad normam cc. 295, 296, 297, 630, 631.

c) An ipse Ordinarius, prout de iure, officia et residentias missionariis assignet (c. 296 § 1 coll. can. 454 § 5).

d) An in removendo aliquo missionario etiam religioso, praescriptiones c. 307 observentur.

18. Quomodo se habeat Ordinarius *cum civili loci auctoritate ;* an eius dignitas et iurisdictio sarta tectaque ita semper servari potuerit, ut nunquam detrimentum libertati et immunitati Ecclesiae obvenerit.

Caput VI

De Adiutoribus sacri ministerii

§ 1. — *De sacerdotibus in genere*

IV. 1. De sacerdotibus in genere

19. *a*) Numerus, nomina et praecipuae notae singulorum sacerdotum exterorum et indigenarum dentur. De iis qui zelo, pietate, scientia et disciplina eminent, specialiter, indicato quoque nomine, dicatur

b) Quam *idoneitatem* ad sacra ministeria atque ecclesiastica officia et quam vivendi rationem clerici praeseferant. An obligationes clericorum, de quibus in cc. 124-144, ipsi adimplean'.

20. *a*) Utrum ipsi occasio detur saltem semel in mense ad Sacramentum confessionis accedendi aliosque presbyteros invisendi et mutuo adiumento fruendi.

b) An omnes sacerdotes iuxta praescripta cc. 126 et 595 § 1, n. 1 exercitia spiritualia peragant.

c) Utrum ecclesiastici viri, sive saeculares sive regulares, *clericali habitu* aut *religioso* utantur, an saltem ea veste quae eorum statum minime dedeceat (c 136); et in modo sese gerendi an admittant quae decus sacerdotale laedant (c. 138).

d) Si in Missione ecclesiastici viri habeantur qui aliqua dignitate a S. Sede decorati sint. tituli quibus singuli exornati sint atque concessionis dies, officium et gradus quibus gaudeant in clero Missionis, aliaeque notitiae opportunae significentur.

21. *a*) Utrum omnes sacerdotes *studio doctrinae moralis* incumbant, et utrum ad hoc studium fovendum habeantur conventus pro casuum moralium examine conficiendo. (cc. 131, 448).

b) An *in usu facultatum* quas accipiunt nimis latas interpretationes ac improbandam facilitatem sequantur.

22. An *praedicationi verbi Dei* (cc 1337 seq., 1347) etiam inter paganos assidue incumbant; an sint aliqui ex missionariis huic operi exclusive addicti; vel hoc ministerium catechistis remittant, de suis fidelibus tantum solliciti. Quae media adhibeantur ut verbum Dei etiam in magnis urbibus, optimatibus et doctis paganis annuntietur iuxta instructiones huius S. C. diei 18 octob. a. 1883 et diei 19 martii a. 1893 (cfr. *Collectanea S. C. de Prop. Fide*, vol. II, p. 187 n. 1606, et pag. 286 n. 1828).

23. Num *negligentia vel otiositas* aliquem ecclesiasticum in suo munere obeundo detineat; num *inobedientiae* vel *avaritiae* vel *incontinentiae* speciem quis in sua vita praeseferat.

24. An sacerdotes miti ratione *erga christianos* se gerant, an circa modum sacri ministerii exercendi uniformitatem curent.

25 *a*) An charitas et concordia inter ecclesiasticos regulares et saeculares, exteros et indigenas foveatur.

b) an et quot sacerdotes sive exteri sive indigenae titulum Missionarii Apostolici ab hac S. C. Prop. Fidei receperint.

26. An a rerum politicarum studio et a negotiis saecularibus se abstineant (cfr. c. 139 §§ 3, 4; Instructiones huius S. C. Propag. Fidei a. 1659, ut in *Collectanea*, vol. I, pag. 42, n. 135; et diei 6 ianuarii, a. 1920)

27. An et qualia vulgentur in Missione *diaria catholica*, an recte dirigantur, an sacerdotes operam suam ipsis praebeant, et in casu affirmativo, an ad normam can. 1386

§ 2 - *De Missionariis exteris*

2. *De missionariis exteris.*

28. Exponatur imprimis an *sacerdotes exteri*, quibus sacrum ministerium exercendum in Missione concreditum est, sint saeculares vel regulares, et cuius Instituti; utrum et quot fratres

laicos addictos habeant. An sufficiens eorum *numerus* sit pro necessitate Missionis.

29. An singuli missionarii exteri *studio linguae vernaculae* istius gentis sedulam dent operam et an eam ad praedicandum verbum Dei inter indigenas et in audiendis confessionibus indigenarum semper ac recte adhibeant (cfr. Instructionem citatam diei 18 octob. a. 1883).

30. *a*) An missionarii *bona immobilia possideant; an industriam vel commercium* exerceant (c. 142).

b) An Religiosi missionarii fidelibus et infidelibus exemplo sint regulari observantia praesertim trium votorum paupertatis, castitatis et obedientiae.

31. An in aedificandis et ornandis sacris aedibus et residentiis missionariorum peregrinae tantum artis forma adhibeatur, vel, quantum possibile est, nativae etiam ipsius gentis artis species, pro opportunitate, serve ur.

32. De qualitate et opere *praecipuorum missionariorum* qui inter alios excellunt referatur; atque de singulis edicatur: locus originis, aetas, et quot iam ab annis in missione versentur.

§ 3 - *De Clero indigena*

3. *De clero indigena.*

33. *a*) Singulariter sermo instituendus de *clero indigena*, ac imprimis de *idoneitate* sacerdotum, deque animi qualitatibus quibus praediti appareant.

b) Utrum aliqua distinctio habeatur inter clerum indigenam et sacerdotes exteros, quibus in rebus et quam ob rationem. *Quibus in officiis* indigenae sacerdotes adhibeantur, an ab aliquibus officiis ipsi arceantur.

c) Utrum et quot indigenae inter sacerdotes religiosos vel inter fratres laicos inveniantur.

34. Utrum sacerdotes indigenae *in familia* cum parentibus cohabitent, vel communem vitam cum missionariis agant. (Cfr. Instruct. cit. 18 octob. a. 1883).

35. An clerus indigena habeat *quo honeste vivere possit.* An pro senibus et infirmis domus aut saltem subsidia adsint, quibus adiuvari possint.

§ 4. - *De Institutis religiosis et de aliis personis quae in Missione adlaborant*

4. *De religiosis, virginibus*

36. *a*) An et quae instituta religiosa utriusque sexus adsint, *quot domus*, et quot in eis indigenae et exteri. An Ordinarius

sive per se sive per alium *quinquennalem visitationem* domorum religiosarum utriusque sexus peregerit, iuxta cc. 296 § 1, 512, 513, et quae de iis magis notatu digna videantur. *indigenis, catechistis et magistris.*

b) Utrum Religiosi utriusque sexus vitam communem ducant.

c) An Instituta religiosa bona possideant, nomine proprio, in *Missione*.

37. Quaenam eorum pro *Missione utilitas;* quae opera dirigant et quo successu; an indigenarum et pauperum curae atque institutioni praecipue attendant; idque exprimatur sive quoad Instituta vivorum sive quoad Instituta mulierum.

38. Si *pro indigenis* habeantur Instituta religiosa dioecesani iuris vel societates sive virorum sive mulierum in communi sine votis viventium, eorum nomen Ordinarius dicat, nec non finem, sodalium numerum, utilitatem; an emittant vota temporaria vel perpetua; et alia huiusmodi.

39. De *Religiosis mulieribus* Ordinarius referat:

a) an observentur canonicae leges circa admissionem ad novitiatum, professionem, clausuram, confessarios ac bonorum temporalium administrationem iuxta cc. 512, 513, 520-527, 533-535, 547, 549, 550, 552, 600-605.

b) an sint quae infirmis in privatis domibus adsistant, aut rem domesticam in nosocomiis, Seminariis, vel similibus virorum domibus gerant; an cautum sit de vitandis periculis, et an aliquid habeatur reprehendendum.

40. Utrum *Virgines indigenae* extra claustra viventes habeantur, et quae earum vita et opera.

41. Quot *catechistae et magistri* scholarum utriusque sexus habeantur; an et quot viri et quot mulieres pueris moribundis baptismi collationi sint addicti; quomodo eorum honestae sustentationi provideatur.

Caput V

De Seminariis

42. An Seminarium adsit, et in casu affirmativo referatur enucleate: *V. De Seminariis.*

a) de *numero* et *statu* eorum qui externam disciplinam regunt, qui spiritualiter alumnos dirigunt, qui docent (cc. 1358, 1361);

b) de statu aedium; *de reditibus et oneribus*, hoc est de statu activo et passivo pii Instituti; et an habeatur ecclesiasticum tributum pro Seminario (c. 1356);

c) de iis quae videantur necessaria ad meliorem Seminarii statum.

43. An Collegium praeparatorium ad Seminarium habeatur; an distinctum sit Seminarium in *maius* et *minus* (c. 1354 § 2); et *quot* alumni in singulis. An Missionis conditio exigat ut dumtaxat Seminarium minus constituatur et *Seminarium maius regionale* erigatur (c. 1354 § 3; cfr. Instruct. cit. diei 18 octob. a. 1883).

44. *a)* An observentur cc. 1363, 1371 circa alumnos *admittendos* vel *excludendos*. An servetur c. 1357 circa *visitationem alumnorum* et regulas internas.

b) Quibus studiis ad normam cc. 1364-1366 clerici incumbant et praesertim an linguam latinam et patriam alumni accurate addiscant. An in pietate clerici se exerceant ut in c. 1367 praescribitur, et an spiritu ecclesiastico imbuantur urbanitatisque legibus excolantur. (c 1369).

45. *a*) Si Missio Seminario careat, quomodo consulatur pro comparandis sacerdotibus Missioni necessariis.

b) An *studium habeatur seligendi bonae spei iuvenes* ad clerum indigenam creandum; ubinam et quo fructu educentur (c. 305).

46. An Ordinarius curet ut aliquis alumnus pietate et ingenio praestans peculiaria collegia, *praesertim* quae *Romae* sunt, adeat ut ibidem in studiis perficiatur (c. 1380).

47. An ante ordinationem clerici ad *aliquod ministerium per aliquod tempus exercendum* apud presbyteros idoneos mittantur, *probationis causa;* et quibus sub cautelis, ne vocatio clericorum detrimentum aliquod patiatur.

Caput VI

De gentium conversione, et de catechumenis

VI. De fidei propagatione et catechumenis.

48. *Quomodo* procedatur ad *propagandam* fidem inter ethnicos, in illis praesertim regionibus ubi christiani nondum habentur vel pauci tantum; et an opera tantum catechistarum vel etiam sacerdotum exterorum et indigenarum adhibeatur (cfr. Instruct. S. C. de Prop. Fide diei 8 septembris a. 1869, in *Collectanea*, vol. II, pag. 21, n. 1346).

49 *a*) Utrum adsint *hospitia pro catechumenis* utriusque sexus, et quomodo ordinata sint. An omnes indiscriminatim qui petunt, statim ad catechumenatus hospitia mittantur, vel solum post congruum tempus probationis. Quanto tempore duret haec probatio.

b) An pecunia vel alia beneficia materialia praebeantur infidelibus fidei ignaris, ut ad catechumenatum trahantur; vel solus finis catechumenatus sit praeparatio proxima ad baptismum pro illis qui iam dispositi sunt et veritates principaliores religionis iam cognoscunt. Quam vigilantiam directe Ordinarius habeat hac in re.

c) Quando tempore instructo catechumenorum duret, an sit sufficiens. An post baptismum neophytorum, instructio et educatio christiana perduret aliquibus mensibus (cfr. Instruct. cit. diei 18 octob. a. 1883).

d) An curet Ordinarius ut neophyti ad aliquam stationem vel christianitatem, post baptismum, adscribantur.

Caput VII

De quibusdam piis Institutis diffundendae fidei utilibus

VII. De institutis piis et socialibus.

50. Utrum erectum sit aliquod *nosocomium*, an dispensaria medicamentorum habeantur, et quomodo administrentur reditus pro infirmorum sustentatione.

51. *a*) An et quot adsint *orphanotrophia* pro pueris et puellis, et quibus subsidiis sustententur.

b) An et quaenam *opificia* habeantur ubi pueri et puellae aliquam artem addiscant.

52. *a)* Utrum et quae alia *instituta charitatis* habeantur: ut hospitia leprosorum, brephotrophia, gherontocomia et alia huiusmodi.

b) An *officinae typographicae* habeantur, quo facilius libri sacri vel scholares in bonum religionis evulgentur (cc. 1381, seq.).

c) Quae aliae fabricae in bonum Missionis institutae sint.

53. *a)* An adsint, praesertim in magnis civitatibus, inter catholicos, *uniones* illae quae *sociales* vocantur; an circuli pro iuventute etc.; an aggregationes operariorum, agricolarum etc. in aliquem charitatis finem vel mutuum subsidium; an directioni et moderationi Ordinarii et Apostolicae Sedis dociles subsint; quaenam inde promanent beneficia moralia et temporalia.

b) An cura geratur ut qui huiusmodi associationibus adscripti sunt, in fidei doctrina instituantur et christianam vitam ducant.

Caput VIII

De educatione iuventutis in scholis

VIII. De scholis.

54. *a*) Circa scholas pro indigenis, sive pueris sive puellis, enucleate referatur tum de earum *numero*, tum de earum *gradu*

et *distributione* in variis Missionis locis; scilicet an in praecipuis christianitatibus habeantur saltem scholae ad catechesim et preces addiscendas; utrum in singulis districtibus vel sectionibus scholae sive *inferiores* sive superiores ad litteras et reliquas scholares disciplinas addiscendas exstent; an aliquod aliud superioris instructionis Institutum adsit, et quonam in loco. An scholae sufficiant liberis fidelium (c. 1379), et an in ipsis christianae institutioni iuventutis apte provideatur. Numerus autem sive singularum scholarum sive alumnorum dicatur.

b) Quomodo deficientiae scholarum superiorum consuli in posterum possit.

c) Quibus credita sit iuventutis institutio, quot sint magistri catholici et quot acatholici vel infideles; quomodo sustententur. An habeatur schola normalis pro magistrorum formatione vel quomodo eius deficientiae provideatur.

55. *a)* An in ipsa admittantur *etiam filii acatholicorum,* sive infidelium sive haereticorum; et quibus cautelis ne fidei catholicorum nocere possint; quinam ipsorum numerus respectu catholicorum; quomodo instructioni religiosae catholicorum provideatur (c. 1373); et num minister acatholicus pro instructione religiosa acatholicorum admittatur

b) An in memoratis scholis servetur omnimoda *separatio puerorum a puellis.*

56. An adsint in dioecesi, vicariatu vel praefectura seu Missione *scholae ministrorum protestantium* vel *scholae paganae;* quinam earum numerus et gradus; an et quot adsint *scholae neutrae* ab auctoritate civili constitutae; utrum catholici eas frequentent, an iusta ratione, et quomodo eorum instructioni religiosae provisum sit; et quaenam cautelae ad periculum perversionis a pueris catholicis arcendum adhibeantur, iuxta c. 1374.

Caput IX

De educatione iuventutis in collegiis

IX. De collegiis.

57. *a*) An et quot adsint *convictus seu collegia,* sive pro masculis sive pro foeminis; cui eorum directio concredita sit; utrum pro solis catholicis an in ipsa admittantur infideles vel haeretici et quibus cautelis; quinam ipsorum numerus respectu catholicorum, quomodo provideatur educationi religiosae catholicorum; an aliqua institutio religiosa detur acatholicis et infidelibus, et quo fructu; num admittantur ministri cultus acatholici, vel adolescentes ad eorum templa adducantur.

b) Quinam fructus pro religione habeatur ex istis *collegiis mixtis;* an potius aliquod ex his periculum pro fide habeatur vel immineat.

c) An collegium pro catechistis efformandis habeatur.

Caput X

De populo fideli

X. De catholicis

58. Si laici ad Aulam Pontificiam pertinentes habeantur, nomen et titulus honoris in aula Pontificia obtentus, dies concessionis aliaeque notitiae dentur.

59. Dicatur: *a*) quot sint numero catholici, et quinam sint generatim *fidelium mores*; quaenam ratio vitae christianae privata in familiis; quaenam publica in oppidis et civitatibus; an in externis pompis et solemnitatibus magis consistat, quam in vero pietatis spiritu.

b) An massonicae sectae addicti, vel etiam massonismi vel socialismi societates habeantur, quot numero, quanti momenti; et quid fiat ad occurrendum huic malo.

c) Utrum in exercitio iurium politicorum et civilium fideles catholici religionis bono et Ecclesiae libertati pro viribus consulant.

60. Quomodo generatim parentes et qui loco parentum sunt *prolis educationi* religiosae prospiciant (cc. 1113, 1372).

61. Num fideles cum paganis vel haereticis ita versentur, ut spirituale ipsis damnum vel religioni detrimentum obveniat.

Caput XI

De Sacramentorum administratione

XI. De sacramentorum administratione.

62. Exprimatur an in administrando *baptismo* serventur omnia praecepta Ritualis Romani et Codicis I. C. (praesertim cc. 740-744, 765-769).

63. An sacerdotes, antequam baptismum adultis conferant, de statu libero eorum vel legitimo matrimonio diligenter inquirant et quae sint inquirendi normae.

64. An curent presbyteri ut ad sacramentum *confirmationis* fideles opportuno tempore accedant, et in periculo mortis infantes illud recipiant (cc. 785, 787 seq.).

65. An et qui sint in Missione *casus reservati,* utrum in reservatione modus et normae praescriptae cc. 895, 897, 898 observentur, et utrum fidelibus sufficienter innotescant (c. 899).

66. *a)* Utrum fideles solemni praeparatione et pompa ad *primam Communionem* admitti soleant, an excitentur ut frequenter et etiam quotidie, ubi sacerdos adest, pane eucharistico reficiantur (c. 863).

b) An fideles *praeceptum paschale* (c. 859) adimpleant.

67. An presbyteri diligentes se praebeant in reficiendis moribundis extrema Unctione aliisque Sacramentis.

68 An in dioecesi, vicariatu vel praefectura aut Missione *forma celebrationis matrimonii* ad normam c. 1094 observeur. Et an antea praemittantur, quae in iure praescripta sunt (c. 1019 et seq.).

69. *a)* Quomodo se gerant sacerdotes in *dispensationibus* circa matrimonii impedimenta, et an curent observantiam instructionum huius S. C. circa aetatem praescriptam.

b) An dispensationes matrimoniales gratis concedantur (c. 1056), et in scriptis, et utrum exprimatur delegatio Apostolica (c. 1057).

70. An abusus *matrimoniorum mixtorum* invaluerit, et qua frequentia et quomodo circa ea presbyteri se gerant (cc. 1060, 1064, 1065, 1071).

71. An in celebratione matrimoniorum christiani immisceant aliquas *caeremonias superstitiosas*.

Caput. XII

De rebus ad divinum cultum spectantibus

XII. De cultu divino.

72. *a*) An in sacris functionibus ac praesertim in administratione Sacramentorum, et in solemni Missae celebratione *ritus omnes S. R. E.* fideliter serventur (cc. 733, 1261); utrum *cantus adhibeantur*, et an iuxta canonicas praescriptiones (c. 1264).

b) An ingressus in ecclesiam sit, prout debet, semper gratuitus (c. 1181).

c) Utrum et quinam *populares cantus* in ecclesiis permittantur.

73. An servetur, quoad asservationem Ss. Eucharistiae, can. 1265; an caveatur quodcumque periculum irreverentiae; an ea asservatio fiat cum debita decentia et quaenam sit in tantum Sacramentum fidelium devotio.

74. *a*) Utrum ad maiorem divini cultus decorem et ad pia opera exercenda, canonice instituti sint *Tertii Ordines* saeculares, *Confraternitates*, sive virorum sive mulierum, praesertim SS. Sacramenti et Christianae Doctrinae (c. 711 § 2), aliaeque

piae Uniones potissimum pro iuvenibus; quo numero et quo religionis profectu.

b) An hae associationes servent praescripta c. 690 de subiectione erga Ordinarium, et c. 691 de administrationis modo.

75 An in *cultu divino ac veneratione Sanctorum* aliquae superstitiones irrepserint et quae.

Caput XIII

De festis, ieiuniis et abstinentiis

XIII. De temporibus sacris.

76 *a*) Quaenam *festa* de praecepto in Missione observentur et an peculiares dficultates habeantur ad alia introducenda quae in Codice praescripta sunt (c. 1247).

b) Quae apud fideles sit observantia festorum.

77. *a*) Quae *ieiunia*, quique *abstinentiae dies* serventur; an uniformitas habeatur respectu viciniorum Missionum et utrum introductioni legis communis c. 1250 et seq.) obstet potius necessitas indigenarum quam Europaeorum, et quae sit ista necessitas.

b) Quae apud fideles sit observantia legis abstinentiae et ieiunii.

Caput XIV

De ecclesiis, sacellis et presbyteriis

XIV. De locis sacris et presbyteriis.

78. Exprimatur an sit in Missione *numerus* sufficiens *ecclesiarum* et *sacellorum;* quot ea sint, et utrum munda, decentia et saltem necessariis ad divinum cultum ornamentis instructa sint.

79. An ecclesiae rite custodiantur ne furtis et profanationibus obnoxiae fiant; et eae in quibus *SS. Eucharistia* adservatur, quotidie, si fieri potest, per aliquot horas fidelibus pateant (c. 1266); quomodo observentur cc 1267-1271 circa *custodiam SS Sacramenti.*

80. An catholicus cultus *libere* exerceatur; et quatenus negative, an ratio suppetat qua obstacula e medio auferantur.

81. An iuxta ecclesias, capellas et oratoria adsit *residentia* pro sacerdote vel etiam decens presbyterium; aut saltem alicuis locus ubi sacerdos convenienter manere possit. Num sacerdos necessitate compellatur cibum et somnum capere in domibus christianorum, et an in hoc abusus habeatur.

Caput. XV

de coemeteriis et sepulturis

XV. De sepultura.

82. *a*) Utrum et quae *superstitiones in funeribus* apud christianos invaluerint.

b) An et quae taxae in funeribus exigantur.

83. An exsistant *coemeteria separata* pro christianis, clausa et benedicta: et an canonicae de his leges servari possint et serventur (c. 1205 et seq.). Si non habeantur, ad id obtinendum quid tentari possit.

Caput XVI

De bonis Ecclesiae eorumque administratione

XVI. De bonis temporalibus.

84. An et quibus limitationibus iuxta leges civiles Missio bona, sive mobilia sive immobilia, possit proprio nomine possidere; et quae cautelae adhibeantur ut securitati ecclesiasticorum bonorum provideatur.

85. An institutum sit *Consilium Administrationis* et quot presbyteris exteris et indigenis constet; et an Ordinarius in negotiis maioris momenti illos audiat (c. 1520).

86. *a*) An *administratores particulares* sive ecclesiastici sive laici reddant quotannis Ordinario rationem suae administrationis (c. 1525) et servent iuris praescripta circa modum ipsius administrationis (cc. 1523, 1526, 1527, 1544, 1516, 1530-1533, 1538-1542).

b) An circa *oblationes* in commodum Missionis serventur praescripta cc. 1182, 533 § 1, 4°, 630 § 4, 631 § 3, et 535 de earum administratione et ratione Ordinario reddenda; et an collectores se abstineant a vexatoria et odiosa requisitione.

c) An *inventaria* immobilium, mobilium et sacrae supellectilis uniuscuisque ecclesiae vel pii loci confecta in duplici exemplari, altero pro pio opere, altero pro Curia Ordinarii, habeantur (cc. 1296, 1300-1302, 1522).

87. *a*) Utrum bona immobilia vel reditus in promptu Missio habeat ut sustentationi missionariorum, cleri indigenae et expensis pro divino cultu satisfaciat.

b) Si bona immobilia non habeantur, an spes adsit ut pedetentim certi reditus sive per oblationes fidelium sive alio modo constitui possint (cfr. Instr. S. C. de Prop. F., 19 martii a. 1893, ut in *Collectanea* v. II, p. 286 n. 1828, II).

c) Breviter prospectus accepti et expensi detur ut in appendice cap. XVI.

88. *a)* Circa *Missarum stipem*, quae taxa synodalis in Missione vigeat (c. 831). An sacerdotes Missas colligant, quibus intra annum ipsi satisfacere nequeant (c. 835); an exuberantes ad Ordinarium transmittant (c. 841).

b) Quomodo serventur quae cc. 843, 844 praescripta sunt de libro tam personali, quam ecclesiarum proprio, pro Missis adnotandis.

Caput XVII

Iudicium summatim expositum circa statum Missionis

XVII. De missionis condicione et statu.

89 Ordinarius, omnibus in universum complexis, dicat, praesertim *in sua prima relatione* quid actu sentiat de materiali ac morali condicione Missionis, quae spes melioris status affulgeat, quaenam maiora discrimina immineant.

90. *In sequentibus* vero *relationibus* addat, quomodo et quo fructu ad effectum perduxerit monita et mandata, si quae S. C. in sua responsione ad praecedentem relationem dederit; et utrum progressus, regressus, an potius idem ferme persistens status in rebus fidei et morum haberi videatur in Missione, et quaenam harum rerum censeantur causae, quaenam proponantur remedia.

Datum Romae, ex aedibus Sacri Consilii Propagandae Fidei, die Paschae Resurrectionis, a. 1922.

G. M. Card. Van Rossum, *Praefectus.*

✠ *Petrus Fumasoni Biondi,* Archiep. Diocletan., *Secretarius.*

APPENDIX

COMPENDIUM NOTIONUM CIRCA STATUM MISSIONUM

Summaria propositio

I

GENERALES NOTITIAE MISSIONIS

I. Generales notitiae.

Superficies Km. quadratis enuntiata: N. ...

Limites, quas regiones vel provincias vel praefecturas civiles Missio comprehendat...

Residentia pro Superiore Missionis, quae sit... Detur accurata et completa inscriptio adhibenda in epistolis ...

Incolae { quot catholici indigenae : N. ... Catholici exteri : N. .
quot haeretici vel schismatici : N. ...
quot ethnici : N. ... mahumetani : N. ... hebraei : N ..

II

II. Missionis constitutio.

DE CONSTITUTIONE MISSIONIS EIUSQUE DIVISIONE ECCLESIASTICA

Quot *christianitates* vel missiones (idest cumulationes familiarum christianarum) : N. ...
Quot diversarum christianitatum consociationes vel districtus, vel sectiones : N. ...
Quot paroeciae vel *quasi-paroeciae* canonice erectae : N. ...; quot collectiones quasi-paroeciarum : N. :
An et quot *Vicarii Foranei* adsint : N.....

III

III. Ordinarii et principales cooperatores.

DE ORDINARIO EIUSQUE COOPERATORIBUS IN REGIMINE MISSIONIS

Ordinarii Missionis ... nomen ... natio ... aetas ...
Coadiutoris cum futura successione, vel *Episcopi Auxiliarii* .. nomen ... natio ... aetas ...
Pro-Vicarii ... vel *Pro-Praefecti* ... nomen ... natio ... aetas ...
Vicarii generalis (vel *Vicarii Delegati*) ... nomen ... natio ... aetas ...
In dioecesibus quot canonici vel consultores dioecesani, ac inter eos quot exteri : N. ... quot indigenae : N. ...
In *Consilio Missionis* ... quot exteri : N. ... quot indigenae : N...
In *Consilio Administrationis* ... quot exteri : N. ... quot indigenae : N. ...

IV

IV. 1-3 Clerus

§§ 1-3. - *De Clero*

Nomen Ordinis vel *instituti* cui Missio est concredita ... quot domus : N. ...
Sacerdotes religiosi ... quot exteri : N. ... quot indigenae : N. ...
Laici religiosi ... quot exteri : N. ... quot indigenae : N. ...
Sacerdotes saeculares ... quot exteri : N. ... quot indigenae : N. ...

§ 4. - *De Institutis religiosis et de aliis personis quae in Missione adlaborant*

IV. Instituta religiosa, catechistae, magistri, baptizantes.

An et quae *communitates virorum*, et singularum dicatur
- nomen ... quot domus : N. ...
- quot sacerdotes exteri : N. ... et indigenae : N...
- quot laici exteri : N. ... et indigenae : N. ...

An et quae *communitates mulierum*, et de iis dicatur
- nomen ... quot domus : N. ...
- quot alienigenae : N. ... quot indigenae : N. ...

An et quot *Virgines indigenae* extra claustra viventes : N. ...
Quot *Catechistae* viri : N. ... et quot mulieres : N. ...
Quot *Magistri* catholici : N. ... et quot acatholici : N. ...
Quot *Magistrae* catholicae : N. ... et quot acatholicae : N. ...
Quot *Baptizantes* viri : N. ... et mulieres : N. ...

V. Seminaria.

V

DE SEMINARIIS

Seminarii *praeparatorii* ... quot alumni : N. ...
Seminarii *minoris* ... quot alumni : N. ...
Seminarii *maioris* ... quot auditores philosophiae : N. ... quot theologiae : N. ...
An et quot alumni extra Missionem instituantur : N. ...

VI. Catechumenatus.

VI

DE CATECHUMENATIBUS

Quot pro viris : N. ... quot mensibus coacti : N. ... a quot auditoribus frequentati : N. ...
Quot pro mulieribus : N. ... quot mensibus : N. ... a quot auditoribus frequentati : N. ...

VII. Instituta pia et utilia.

VII

DE QUIBUSDAM INSTITUTIONIBUS DIFFUNDENDAE FIDEI UTILIBUS

Nosocomia pro infirmis. . . .
- quot domus *pro viris* : N. ... cubilia : N. ... hospites per annum : N. ...
- quot domus *pro mulieribus* : N. ... cubilia : N. ... hospites per annum : N. ...

Orphanotrophia. .
- *puerorum* ; quot domus : N. ... quot alumni : N. ...
- *puellarum* ; quot domus : N. ... quot puellae : N. ...

Brephotrophia . . . quot *domus*: N. ...
quot pueruli nutricibus crediti: N....
quot familiarum christianarum curis demandati: N.

Alia hospitia caritatis . . . . quot domus *pro viris*: N.... quot hospites: N...
quot domus *pro mulieribus*: N.
quot hospites: N....

Pharmacopolia quot: N.... et quot curae ibi confectae: N. ...

Typographiae quot: N.... quot typographi: N. ... quot libri editi: N. :::

Opificia varia . . . quot pro pueris: N. ... et pro quot puellis: N. . .
quot pro puellis: N. ... et pro quot puellis: N. ...

VIII

DE SCHOLIS

§ 1. - *Scholae Missionis*

A) - *Pro solis catholicis*

VIII. Scholae

Quot scholae precum pro pueris: N. ... quot pro puellis: N. ... quot mixti sexus: N. ... in iis quot alumni: N. ... quot alumnae: N. ...

Quot inferiores pro pueris: N. ... quot pro puellis: N. ... quot mixti sexus: N. ... in iis quot alumni: N... quot alumnae N..

Quot superiores pro pueris: N. ... quot pro puellis: N. ... quot mixti sexus: N. ... in iis quot alumni: N. ... quot alumnae N...

Quot professionales pro pueris: N. ... quot pro puellis: N. ... quot mixti sexus: N. ... in iis quot alumni: N. ... quot alumnae N. ...

B) - *Scolae mixtae pro catholicis et non catholicis*

Quot scholae pro pueris: N. ... quot pro puellis: N. quot mixti sexus N. ...
Catholici: quot alumni: N. quot alumnae:
Non-catholici: quot alumni: N. .. quot alumnae: N. ...

§ 2. - *Scholae privatae acatholicorum*

Quot *inferiores*: N..... frequentatae ab acatholicis: N..... a catholicis N. ...

Quot *superiores*: N. ... frequentatae ab acatholicis: N. ... a catholicis N. ...

Quot *professionales*: N. ... frequentatae ab acatholicis: N. ... a catholicis N. ...

§. 3. - *Scholae publicae*

Quot *inferiores:* N.... quas adeunt acatholici: N. ... catholici: N ...
Quot *superiores*: N.... quas adeunt acatholici N.... catholici N....
Quot *professionales*: N. ... quas adeunt acatholici: N .... catholici: N ....

IX

DE COLLEGIIS

IX. Collegia missionis

§. 1. - *Collegia Missionis*

Quot collegia *pro solis catholicis*, sive pueris: N. ... N. ... sive puellis: N. ...
Quot *mixta* cum non catholicis, sive pro pueris: N. .. sive pro puellis: N. ...
Nomen uniuscuiusque; et quae societas religiosa collegii regimen habeat.
Quot *alumni catholici* indigenae: N ...; quot exteri: N. ...
» » *non catholici* indigenae: N. ...; quot exteri: N. ...
» *alumnae catholicae* indigenae: N. ...; quot exterae: N. ...
» » *non catholiae* indigenae: N. ...; quot exterae: N. ...

§. 2. *Collegia acatholicorum*

et acatholicorum.

Quot collegia pro pueris: N. ... quot alumni acatholici: N ...; quot catholici: N. ...
Quot collegia pro puellis: N. ... quot alumnae acatholicae: N. ... quot catholicae: N. ...

X, XI

DE FRUCTIBUS SPIRITUALIBUS

XI. Fructus spirituales.

Christianitates in quibus *missio praedicata* est: N. ...
Quot aliae *praedicationes* fidelibus: N. ... quot infidelibus: N. ...
Quot infideles, haeretici, vel schismatici *conversi*: N. ...
Quot *baptismata adultorum* in periculo mortis: N...
Quot extra periculum mortis: N. ...
Quot *baptismata infantium* paganorum in periculo mortis: N...
Quot infantium fidelium: N. ...
Quot *Confirmationes*:
Quot *Confessiones* de praecepto: N. ... quot devotionis: N. ...

Quot *Communiones* paschales : N. ... quot devotionis : N. ..
Quot *Extremae Unctiones* : N. ...
Sacer *Ordo* quot clericis collatus : N. ...
Quot *Matrimonia* benedicta inter fideles: N. ... quot mixta : N....
Quot *Defuncti* adulti : N. ... quot pueri : N ...

XII. XIII. Fidelium associationes.

XII, XIII

DE FIDELIUM ASSOCIATIONIBUS

Qui *Tertii Ordines*... et quot in annum inscripti : N. ...
Quae *Confraternitates*... et quot in annum inscripti : N. ...
Quae *Piae Uniones*... et quot in annum adscripti : N. ...

XIV. Aedificia sacra.

XIV

DE SACRIS AEDIFICIIS

Sanctuaria quae peregrini adeunt: N. ...
Ecclesiae publicae : N. ...
Sacella cum residentia pro missionario : N absque residentia : N ...

XV. Coemeteria.

XV

DE COEMETERIIS

An adsint et quot *Coemeteria* clausa et benedicta : N. ...

XVI. Bona temporalia

XVI

DE BONIS ECCLESIAE

1. Quinam sint *valor fundorum*, valor *capitalium*, et quae *pecunia* aliis credita. Quale, iuxta *taxam synodalem*, stipendium *Missarum*...

2. De ratione accepti.
   - Reditus
     - bonorum immobilium...
     - alicuius industriae (ex concessione)...
     - pecuniae creditae...
     - ex aliis fontibus...
   - Subsidia et oblationes
     - proprii Instituti religiosi...
     - ex Pio Opere Propagationis Fidei...
     - » » » S. Infantiae aliorumque similium..
     - collecta ex fidelibus indigenis...
     - ex benefactoribus exteris...
   - Utrum et quanta pecunia mutuo accepta...
   - *Ex aliis capitibus*...

3 De ratione expensi
- *Impensae*
  - ad personas Missionis alendas et retribuendas...
  - pro cultu...
  - pro Seminariis...
  - pro scholis et collegiis...
  - pro catechumenatibus...
  - .o aliis institutionibus...
  - pro itineribus missionariorum...
- In *vectigalibus*...
- Pro *conservatione* immobilium. .
- *Pro novis aedificiis*...
- *Sumptus pro foenore* aeris alieni...
- *Sumptum pro* extinguendis *debitis*...
- *Pecunia aliis mutuo data*...
- *Ex aliis capitibus*...

ANNOTATIONES

1. Quod pro episcopis suae dicionis S. C. *Consistorialis,* decreto 4 nov. 1918 (1), S. vero C. de *Religiosis* pro Supremis religionum moderatoribus, decreto 8 mart. 1922 (2) praestitit, id iam S. C. de *Propaganda Fide*, epistola diei Paschatis 1922, universis episcopis, Vicariis Praefectisque Apostolicis ac Missionum Superioribus procuravit; i. e. novam quaestionum seriem secundum quam singuli de sua provincia accurate referrent.

2. Accedit haec altera utilitas, minime spernenda, ut sic, post stata intervalla, universa ratio officiorum quae apostolica munera componunt, et qua Missio ad mentem S. Sedis administranda est sub oculis Praefectorum ponatur. Immo subsidia rectae Codicis interpretationis ex isto elencho, magna cura in Urbe confecto, colligi possunt.

3. Memoratis superioribus actis, S. C. expresse monet, novam quaestionum seriem esse de mandato SS.mi confectam. Idem monuerat S. C. *Consistorialis.* S. vero C. *De Religiosis* expressam approbationem S. Pontificis notare non omisit.

(1) A. A. S. X (1918), p. 487. — (2) A. A. S. XIV, (1922) p. 161.

Canones vero 300 et 340 definiunt quo tempore relationes mittendae sint.

4. Plenior esse debet prima relatio post acceptam praesentem epistolam, sicut post susceptum munus Superioris missionis. Debet quoque prima relatio prudentem continere aestimationem condicionum missionis. Sequentes relationes esse possunt breviores. Simul tamen quaedam addenda sunt de observatis directionibus S. C. et de progressu vel regressu missionis.

5. *Superioris missionis* nomine designatur *generice* quilibet missionis praesul; ergo episcopus, Vicarius Apostolicus, Praefectus Apostolicus et Missionis nondum in praefectura erectae Superior; specialiter autem postremae rationis Superior. Sic in epistolae introductione, Superiores missionum distinguuntur ab episcopis et Vicariis Praefectisque apostolicis, dum n. III inter animadversiones, novus Missionis Superior generice intellegendus est.

6. Epistolae adiungitur modus synoptice describendi quae ad statum missionum pertinent. Quod tum ad privatum Superioris usum, tum ad adornandam relationem breviorem non modicae erit utilitatis.

7. Observes n. 10 et 11 peti ut ad S. C. mittantur, si sint, tam directorium missionariorum, quam catechismus qui in missione usurpatur.

8. Formula relationis S. C. *Consistorialis* centum; formula S. C. *de Religiosis* centum et quinque, formula S. C. *de Propaganda Fide* nonaginta quaestiones complectitur. Duae priores Congregationes formulam in decretum; tertia in epistolam circularem inseruerunt.

33. - S. Cong. Rituum

DECRETUM 29 apr. 1922

De evangeliis stricte propriis in fine missae legendis

(A. A. S. 8 iun. 1922, 14, 356)

Dubium.

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione: « Quae-« nam sint in Missali Romano, editionis typicae, Evangelia « stricte propria in fine Missae legenda, iuxta novas eiusdem « Missalis Rubricas Generales (tit. IX, n. 3) ». (1)

Rescriptum.

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus accurate perpensis, ita respondendum censuit:

I. Evangelia stricte propria habent sequentes Missae de Mysteriis, Festis seu Personis quae insigni dignitate pollent; nempe:

a) *Domini*, excepta Missa Dedicationis Ecclesiae, cum Evangelio: *Ingressus Iesus*;

b) *B. Mariae Virginis*, excepta Missa Assumptionis ipsius B. M. V., cum Evangelio: *Intravit Iesus in quoddam castellum*;

c) sanctorum Archangelorum et Angelorum Custodum;

d) sancti Ioannis Baptistae et sancti Ioseph, Sponsi B.M.V.;

e) sanctorum XII Apostolorum.

II. Item Evangelia stricte propria exhibent Missae Ss. Innocentium Mm., S. Mariae Magdalenae Poenitentis, S. Marthae Virg., Commemoratio Omnium SS. Summorum Pontificum atque omnes Missae votivae quae in ipso Missali primo loco exstant; non vero Missae votivae *ad diversa* quae incipiunt a Missa *pro eligendo Summo Pontifice*, etc.

Atque ita rescripsit, declaravit ac decrevit. Die 29 aprilis 1922.

Dies (19 apr. 1922)

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

Alexander Verde, Secretarius.

(1) *Additiones et variationes in Rubricis Missalis*, IX, « De Evangelio in fine Missae ». « 3. Denique, si nullum Dominicae, Feriae, Vigiliae, aut ali-« cuius ex Octavis supra, num. I, recensitis, Evangelium in fine Missae « fuerit legendum, dicitur ultimum Evangelium Missae sive Officii, primo « loco inter cetera quae Evangelium *stricte proprium* (et non appropriatum, « vel ex aliquo Communi assignatum, vel per octavam e festo repetitum) « habeant, commemorati ».

ANNOTATIONES

Hoc decretum tandem quaestionem controversam dirimit de Evangeliis stricte propriis in fine Missae legendis, et quidem eo fere sensu quem R. P. Vermeersch in his periodicis defendit (1). Proprium igitur habendum est Evangelium quod, significatione sua litterali, tractat de sancto vel de mysterio quod celebratur. Significationem tamen paululum amplificat decretum, cum etiam ut stricte propria indicet Evangelia Missarum de mysteriis, festis seu personis quae insigni dignitate pollent. Uti propria igitur habenda sunt Evangelia omnia de mysteriis vel festis Domini vel B. Mariae Virginis, etsi nihil in eo de ipso mysterio celebrato habeatur. Exceptio tantum fit pro Evangelio Missae Dedicationis ecclesiae et Assumptionis B. Mariae Virginis. Uti propria etiam habenda sunt Evangelia quae dicuntur in Missis sanctorum XII Apostolorum, etiam Missae Ss. Simonis et Iudae etsi in illo nulla habetur mentio neque de his sanctis neque de Apostolis in genere. Porro, sub hoc nomime festorum sanctorum XII Apostolorum veniunt etiam festa S. Pauli et S. Matthiae, non vero videntur sub hac denominatione comprehendi festa Ss. Evangelistarum Marci et Lucae, neque festum S. Barnabae.

Evangelium Missae Commemorationis omnium Ss. Summorum Pontificum ideo dicitur proprium quia ibi sermo est de collatione S. Petro potestatis clavium quae suprema potestas tunc a Domino collata est non Petro tantum, sed et successoribus eius.

IOS. PAUWELS, S. I.

---

(1) *Periodica* t. X, p. (5)

34. — S. Cong. Rituum

RESPONSUM 16 iun. 1922

De missis de requie in translatione cadaveris olim humati

(A. A. S. 1 iul. 1922, 14, 393)

Expostulatum est a Sacrorum Rituum Congregatione:

Dubium

« Utrum Missa *de Requie*, quae celebratur in translatione cadaveris iam humati in definitivam sepulturam, gaudeat privilegiis Missae exsequialis *ut in die obitus seu depositionis*, quamvis exsequiale funus peractum fuerit occasione praecedentis sepulturae ».

Responsum

Sacra porro Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, respondemdum censuit: *Negative*, sed ad casum propositum eadem Sacra Congregatio extendit privilegia contenta in novis rubricis Missalis tit. III, *de Missis defunctorum*, n. 6.

Dies (16 iun 1922)

Atque ita rescripsit, declaravit et indulsit. Die 16 iun. 1922

A. Card. Vico, ep. Portuen. et S. Rufinae

S. R. C. Praefectus.

Alexander Verde, Secretarius.

Annotatio

Casus hic propositus nostris temporibus non raro accidit, praesertim cum agatur de iis qui in bello occubuerunt. Porro, pro sua erga defunctos filios pietate et ad consolationem etiam superstitum voluit sancta Mater Ecclesia etiam hunc translationis diem privilegiis ditare. Non tamen visum est eidem concedere privilegia omnia Missae exsequialis, praesertim si exsequiale funus peractum iam fuerit occasione praecedentis sepulturae, sed privilegia tantum concessa reliquis diebus privilegiatis, v. g. in anniversario. Poterit

ergo in hac translatione, Missa unica de Requiem celebrari, cantata vel etiam lecta, dummodo non occurat dominica, vel festum de praecepto, licet suppressum, duplex 1 vel 2 classis, etiam translatum, aut aliqua ex feriis, vel octavis privilegiatis. Nisi translatio fiat in die anniversario, Missa dicetur cotidiana cum unica oratione convenienti v. g. pro uno defuncto. Si ritus ecclesiae hac die permittat Missas cotidianas de Requiem, hae pro praedicto defuncto cuius cadaver hac die definitivae sepulturae traditur, dicentur eodem ritu. Et eodem modo casus solvendus videtur etiam si, uti in bello saepissime accidit, in prima sepultura exsequiale funus minime peractum fuerit. Nam Missae exequiali quam maxima tribuuntur privilegia eo quod liturgice dies depositionis confunditur cum die obitus; in die autem translationis cadaveris minime verificatur quod in oratione Missae exsequialis dicitur: *quam hodie de hoc saeculo migrare iussisti.*

IOS. PAUWELS, S. I.

35. — S. Cong. Rituum

Responsa 16 iun. 1922 (Hildesien)

Dubia varia

(A. A. S. 7 aug. 1822, 14, 468)

Orator

Sacerdos Iosephus Machers, qui pro dioecesi Hildesiensi *Directorium ecclesiasticum* componere debet, de consensu sui R.mi Episcopi, sequentia dubia, pro benigna responsione, Sacrorum Rituum Congregationi humiliter subiecit; nimirum:

Dubia

A) De Festo Patroni principalis eiusque Octava.

I. patrono principali eiusque octava.

I. Si Missa Patroni principalis vel saltem Evangelium non est determinatum, licetne diebus infra Octavam necnon in die Octava (secundum Rubricas novi Missalis ante Commune unius

Martyris et ante Missas votivas ad diversa positas) aliam Missam vel aliud Evangelium ex eodem Communi sumere atque in die Festi, an Missam vel Evangelium pro Festo electum per totam Octavam legere oportet?

II. Et si *affirmative* ad primam partem, licetne in casu etiam Lectiones trium Nocturnorum Officii ad libitum ex lectionibus diversis eiusdem Communis eligere, observata tantum regula, quod Missae et Officii Evangelium idem esse debet?

B) De Feriis Rogationum.

De feriis Rogationum

III. In Missa Rogationum, si ad Processionem celebratur in ecclesia, ubi etiam Missa de die, sine cantu celebratur, utrum Commemorationes speciales fieri debent an non?

Ç) De Missis defunctorum.

De missis defunctorum

IV. Si Missa celebratur pro defuncto nondum sepulto, cum vel sine cantu, diebus quibus Missas quotidianas pro defunctis in cantu resp. sine cantu celebrare licet, utrum in omnibus ecclesiis et oratoriis Missa pro die obitus cum unica Oratione uti oportet?

V. Et si *affirmative*, licetne hanc Missam etiam post sepulturam celebrare, si Missa exsequialis rationabilem ob causam celebrata nondum est?

VI. Diebus ut supra liberis licetne plures Missas, de die III, VII, XXX, opportuniore post acceptum nuntium, anniversaria, etiam late sumpta, celebrare, an unam tantum?

VII. Missa cantata in anniversariis, quae extra diem obitus ex fundatione celebratur, vel quae pro omnibus defunctis alicuius coetus semel quolibet anno habetur, utrum eo tantum casu gaudet privilegio, qua certa dies in fundatione vel ex consuetudine coetus est determinata, an etiam, quo dies ad libitum celebrantis vel coetus eligitur?

D) De sollemnitatibus Festorum Motu proprio Abhinc duos annos *in Dominicas translatis.*

De translatis sollemnitatibus

VIII. Missa de sollemnitate, ex Decreto generali S. R. C. super Motu proprio *Abhinc duos annos* in Dominicam translata, num a parocho pro populo applicari potest, secundum *Additiones et variationes in Rubricis Missalis*, II, n. 11, an non?

IX. In dicta Missa, si est de Festo duplici I classis, num Commemorationes omnes sunt faciendae, quae fierent, si Festum in Dominica occurreret (secundum Decretum generale S. R. C. super Motu proprio dicto), an illae tantum, quae fiunt in Missa votiva solemni pro re gravi et publica simul causa (cir. *Add. et variat.*, V, 3).

X. In dicta Missa, de ritu duplici I sive II classis, num Symbolum est dicendum, etiamsi Missa Festi per se Symbolo caret nec Commemoratio Dominicae alteriusque Officii, quod Symbolum requirit, facienda est, an omittitur?

XI. Praefatio in dicta Missa, si Praefatio propria deest ac Missa sine Commemoratione diei celebratur, estne communis?

E) De Missa in honorem Ss.mi Cordis Iesu prima Feria VI mensis celebranda.

De missa in prima feria VI

XII. Si dicta Feria VI inciderit in die, qua de Festo Christi Domini fiat Officium aut Commemoratio aut occurat vigilia aut dies infra Octavam, quamvis simplicem, loco Missae de Ss.mo Corde, num semper Missa de Festo aut de Vigilia aut de Octava celebranda est, excepto casu, quo occurrat Festum duplex I classis vel Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum?

XIII. Et si *affirmative*, num ista Missa admittit Commemorationes tantum de duplici secundae classis et de Feria maiore?

XIV. Si dicta Feria VI inciderit in Festo duplici I classis, quod non est Christi Domini, num in Missa loco dictae Missae de Ss.mo Corde alias celebrandae, Oratio de Ss.mo Corde sub una conclusione cum prima addi potest? (cfr. *Add. et variat.*, II, 3) et num in casu Commemorationes praeter supradictas omittuntur?

XV. Si dicta Feria VI inciderit infra Octavam Pentecostes, in Missa de die, loco Misae de Ss.mo Corde alias celebrandae, estne dicenda una tantum Oratio?

F) De Evangeliis in fine Missae

De evangeliis in fine missae

XVI. Evangelium, quod in certis Festis B. M. V. sumitur de Communi Festorum B. M. V. estne Evangelium stricte proprium an non?

XVII. Evangelia, quae dicuntur in Festis Angelorum, S.

Pauli Apostoli, SS. Simonis et Iudae Apostolorum, SS. Marci et Lucae Evangelistarum, S. Stephani Protomartyris suntne stricte propria?

XVIII. Evangelium de Octava SS. Petri et Pauli Apostolorum, sub die 3 et 4 mensis iulii notatum, estne stricte proprium? Et si *affirmative*, rectene sic proceditur: Si die 4 mensis iulii Officium est de Octava, in Officio de Festo resp. Dominica, quod die 3 mensis iulii fiet, ultimum Evangelium non legitur de Octava; sin autem utraque die Commemoratio tantum fit de Octava, die priori Evangelium de Octava legitur in fine, die vero posteriori non?

Responsa

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam partem.

Ad II. Quoad Lectiones III Nocturni, provisum in primo. Quoad alias Lectiones, *affirmative*.

Ad III. *Affirmative*, nisi Missa lecta de die fuerit Conventualis.

Ad IV. *Affirmative*.

Ad V. *Negative*.

Ad VI. *Affirmative* ad I partem, *negative* ad II partem.

Ad VII. *Negative* ad I partem, *Affirmative* ad II partem.

Ad VIII. *Negative*, nisi agatur de Missis comprehensis etiam in novis Rubricis Missalis Romani, tit. IV.

Ad IX et X. *Negative* ad I partem, *affirmative* ad II partem.

Ad XI et XII. *Affirmative*.

Ad XIII. Serventur novae Rubricae Missalis Romani, tit. V. n. III et IV.

Ad XIV. Serventur novae Rubricae Missalis Romani, tit. V, n. III et IV, quoad Missas votivas solemnes pro re gravi et publica simul causa.

Ad XV. *Affirmative* ratione Commemorationis Missae de SS.mo Corde Iesu, admissis tamen, si quae sint, collectis imperatis pro re gravi.

Ad XVI et XVII. Provisum per Decretum de Evangeliis in fine Missae legendis diei 29 aprilis 1922 (*Acta Ap. Sedis*, p. 356 et seq.)

Ad XVIII. *Affirmative*, et legatur ipsum Evangelium prima die qua fiet Octavae commemoratio, etsi dein persolvendum sit Officium eiusdem Octavae.

Dies (16 iun. 1922)

Atque ita rescripsit ac declaravit die 19 iunii 1922.

✣ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. C. R. Praefectus

Alexander Verde, Secretarius

ANNOTATIONES

A) *De Festo Patroni principalis eiusque Octava.*

Saepe Patronus principalis loci (et idem dic de Titulari alicuius ecclesiae vel sacelli consecrati vel saltem sollemniter benedicti) nullo modo descriptus est neque in calendario universalis Ecclesiae, neque in calendario Dioecesano; quo casu, cum pro eo nulla certa Missa assignetur, ad libitum sumi potest aliqua ex Missis de Communi, immo Epistola et Evangelium eligi potest ex alia Missa de eodem Communi vel ex iis quae ad calcem totius Communis habentur. Perperam tamen inde concluderes idem licere per totam Octavam; regula enim generalis est, a qua non nisi rarissime discéditur, per Octavam Missam dici uti in ipso Festo, additis secundum Rubricas Orationibus pro diversitate Temporum assignatis. Iamvero in casu hanc regulam generalem esse tenendam praesens responsum inculcat. Unde etiam sequitur lectiones tertii Nocturni semper debere esse de Homilia in Evangelium quod dictum est in Missa Festi, ac proin, nisi quis uti velit lectionibus quae in Octavario prostant, singulis diebus in quibus officium fit de die infra Octavam vel de die Octava, repetendae erunt lectiones ut in Festo. Quod pro aliis lectionibus non obtinet: nam lectiones primi Nocturni regulariter erunt de Scriptura occurrenti cum suis responsoriis de tempore; in secundo vero Nocturno, nisi iterum adhibeantur lectiones Octavarii, dicentur diebus infra Octavam alternatim primae et secundae lectiones de Communi, in die octavo vero, si habentur lectiones propriae, ut in Festo.

Quaeri possit ad cuiusnam libitum derelinquatur illa Missa. Et putamus hoc non esse ad libi um uniuscuiusque celebrantis, sed ad libitum Superioris vel Praesidis, ut puta Ordinarii vel Parochi; non enim videtur cum sanis principiis liturgicis componi posse ut in Festo cui etiam competit feriatio, a diversis celebrantibus in eadem ecclesia diversae dicantur vel cantentur Missae.

B) *De feriis Rogationum.*

Responsio non est nisi applicatio regularum generalium. Regulariter enim in Missa fieri debent omnes Commemorationes quae in officio occurrunt; rubricae tamen generales Missalis a regula excipiunt « Missas conventuales, quando plures eadem die sunt celebrandae quae tunc absque ulla utrorumque commemoratione dicuntur » (Rubr. gen. Missalis tit. VII, n. 2). Novae rubricae (Additiones et Variationes in Rubricis Missalis tit. V, n. 4) idem statuerunt si praeter Missam conventualem celebretur alia Missa, etiam non conventualis, sed cantata, immo si duae celebrentur Missae cantatae, etiam si neutra sit conventualis; verum nullo modo sufficit ut, praeter Missam conventualem vel cantatam, alia celebretur Missa lecta quae non sit conventualis.

C) *De Missis defunctorum*

Ad IV, V, VI. Ante novam editionem typicam Missalis, indubium erat in diversis casibus hic enumeratis unicam tantum dicendam esse orationem. Sic enim expresse habet decretum generale 30 iunii 1886 n. 3920, ad cuius normam, per decretum *Urbis et Orbis* diei 7 decembris 1897, approbatum die 11 eiusdem mensis, concinnata est rubrica generalis Missalis (tit. V. n. 3): « Unica tantum oratio dicenda est in Missis cantatis vel lectis, permittente ritu, die-

bus III, VII, XXX et die anniversario alicuius defuncti, necnon quandocumque pro defuncto Missa sollemniter celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondet, uti in officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in anniversariis late sumptis. » Et decreto *Labacen.* 28 aprilis 1902 ad 11 explicite idem conceditur pro Missis de Requiem quae, permittente item ritu, celebrantur, non praesente corpore, pro defuncto nondum sepulto, immo etiam in biduo post factam ob gravem causam sepulturam. Verum dubitare nunc quidam coeperunt num hae rubricae adhuc valerent, eo vel magis quod praedictum decretum *Labacen.* in vol. VI Collectionis authenticae refertur sub n. 4096, dempto tamen responso ad 11 ; insuper in novis rubricis *(Additiones et Variationes in rubricis Missalis*, tit. III, n. 10) dicitur : « In omnibus Missis quae num. 4-7 recensentur, et in Missis quae respondent officio defunctorum celebrato sub ritu duplici, una tantum dicitur oratio ; in reliquis tres dicuntur ». Iamvero, in his numeris quaestio est tantum de Missis quae dicuntur in ipsa ecclesia ubi fit funus, vel de Missis quae, praesente corpore, celebrantur in oratoriis pro defuncto nondum sepulto, vel tandem de unica Missa quae celebratur in die III, VII, XXX, anniversaria, vel opportuniore die post acceptum nuntium de morte, ac proin videri possit illam Missam gaudere privilegio unicae orationis, reliquas vero Missas, si, permittente ritu, celebrentur de *Requiem* habendas esse ut cotidianas et dicendas cum tribus orationibus. Sed perperam quis sic ratiocinaretur, nam omnes Missae de *Requiem*, quae his diebus celebrantur, respondent officio defunctorum sub ritu duplici celebrato, uti patet ex rubrica speciali quae Officio defunctorum in Breviario praemittitur ; praesens ergo responsio non est nisi applicatio principii in rubrica statuti.

Ad VII. In decreto generali 2 decembris 1891, n. 3753, quo leges super anniversariis statuuntur, anniversaria stricte dicta dicuntur Missae cum cantu pro defunctis, sive fundatae a testatoribus prodie obitus *aut alia determinata die,* sive privatae ad petitionem viventium, dummodo pro die obitus; unde, ut Missa de *Requiem* extra diem vere anniversarium ab obitu vel depositione privilegiis gaudere posset, necessario requirebatur ut Missa foret fundata, et a testatoribus vel fundatoribus, in fundationis actu seu instrumento, assignaretur dies certus et determinatus, qui semper et in perpetum debuit servari (1). In novis rubricis (*Additiones et Variationes in rubricis Missalis* tit. III, n. 7), illa assignatio diei certi et determinati non iam requiritur, ideoque nihil amplius obstat quominus dies ad libitum celebrantis eligatur. Notandum tamen est ex novis rubricis illa anniversaria extra diem obitus fundata, non iam in omnibus aequiperari anniversariis proprie dictis: in eis enim, nisi ritus permittat Missas cotidianas de *Requiem*, non permittitur Missa anniversaria lecta, sed cantata tantum.

D) *De sollemnitatibus Festorum Motu proprio « Abhinc duos annos » in dominicas translatis.*

Postquam Motu proprio *Abhinc duos annos,* suppressa fuit assignatio cuiuscumque festi in dominica quavis, decreto 28 octobris 1913 super hoc motu proprio sancitum est ut: « Ubi sollemnitas externa festorum quae hucusque alicui dominicae perpetuo affixa erant, in ipsa dominica celebratur, de sollemnitate festi duplicis 1 classis permittantur missae omnes, praeter conventualem et parochialem, semper de officio diei dicendas; de solemnitate vero festi duplicis

(1) Cp. VANDER STAPPEN. *Sacra Liturgia,* t. 2, Q. 355.

2 classis permittatur Missa unica solemnis vel lecta. » Porro, novae rubricae, quae tamen minutatim describunt in quibusnam sollemnitatibus et sub quo ritu Missae de sollemnitate permittantur, de his sollemnitatibus nihil habent. Cum autem novae hae rubricae totam circa Missae votivas et alias quae extra ordinem officii de iure communi celebrari possint, legislationem hodiernam referre supponendae sint, ex hoc silentio novae rubricae plures auctores, et nostro quidem iudicio recte, concluserunt illas Missas iam non permitti. Alii tamen putarunt decreto 28 octobris 1913 concedi aliquod indultum seu privilegium, quod proinde subsequenti lege universali nullo modo auferatur, nisi de eo expresse mentio fiat; verum, potius dicendum est decreto isti competere novae legis generalem rationem, quae proinde subsequenti lege contraria fuit revocata. Quod responsa haec confirmant; ex iis enim luculentissime apparet sollemnitates decreto 28 octobris 1913 concessas post novas rubricas, ad quorum normam omnes sollemnitatem Missae ex responsis ad IX-XI celebrandae sunt, non esse servatas nisi in novis rubricis comprehendantur.

E) *De Missa in honorem SS.mi Cordis Iesu prima Feria VI mensis celebranda.*

Responsis XII-XV confirmatur quod scripsimus de Missa votiva sacratissimi Cordis indulta pro prima feria VI mensis, illi scilicet, utpote ad instar Missae votivae sollemnis concessae, applicandas esse novas rubricas de Missis votivis (1). In responso ad XV, attendatur Missam in casu dici celebrandam cum unica oratione, etsi sub prima conclusione addenda

(1) Cfer Notanda quedam practica circa Officium et Missam, auctore IOS. PAUWELS, S. I. n. 35.

est commemoratio Missae de SS.mo Corde, uti ex ipso responso patet; unde concludere est quotiens plures orationes sub prima conclusione dicendae sunt, illas computandas esse ut orationem unicam.

F) *De Evangeliis in fine Missae.*

Decretum 29 aprilis 1922 confer supra p. 109. Ex hoc decreto clarissime constat in omnibus festis B. Mariae Virg. etiam in festis quae in universali Ecclesia non celebrantur, excepto tantum festo Assumptionis, Evangelium, etsi de Communi festorum B. M. V. desumptum, habendum esse ut stricte proprium; itemque Evangelia quae dicuntur in festis Angelorum, S. Pauli Apostoli, SS. Simonis et Iudae Apostolorum; non vero Evangelia in festis SS. Marci et Lucae Evangelistarum: festa Evangelistarum enim in hoc decreto non enumerantur, neque simpliciter aequiperantur festis Apostolorum; multo minus habendum est ut proprium Evangelium quod dicitur in Missa S. Stephani protomartyris. Quod ad Evangelium Missae diei infra octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli, attinet, hoc certissime uti proprium est habendum, in eo etenim sermo est de S. Petro et non est per octavam a festo repetitum; sed, cum neque Evangelium ipsius festi pluries repeti debeat, etiam hoc unica tantum vice dicendum erit, h. e. prima vice qua de octava fit commemoratio vel officium, nempe Romae et ubi octava Apostolorum est privilegiata, die 1 iulii; alibi vero die 3, nisi alicubi hac die officium celebretur sub ritu duplicis 1 vel 2 classis. Quod hic statuitur de Evangelio Missae infra octavam Apostolorum valet quoque de Evangelio Missae diei octavae, hoc proinde Evangelium etiam in fine Missae legendum erit quotiens de die octava Apostolorum fiet tantum commemoratio.

IOS. PAUWELS, S. I.

36. — S. Cong. Rituum

Responsa 30 iun. 1922 (Aquen.)

De cineribus benedictis imponendis extra feriam IV cinerum

(A. A. S. 7 aug. 1922, 14, 471)

Orator. Rev.mus Archiepiscopus Aquen. Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur reverenter exposuit, nimirum;

Dubium Abhinc a multis annis in archidioecesi Aquensi viget consuetudo, in nonnullis sive piarum domorum sive paroeciarum ecclesiis, imponendi fidelibus, prima Dominica quadragesimali cineres praecedenti Feria IV Cinerum benedictos. Sic enim omnes fideles facilius recipiunt cineres, potius die dominicali quam feriali ecclesiam adeuntes; quaeritur:

Potestne permitti talis usus?

Responsum Sacra Rituum Congregatio, exquisito specialis Commissionis voto atque attentis expositis peculiaribus adiunctis, respondendum censuit: *Ad mentem.* Die 30 iunii 1922

Dies (30 iun. 1922. Mens est: *Affirmative* in casu; dummodo Feria IV Cinerum ritus benedictionis et impositionis cinerum expletus fuerit, iuxta Missale Romanum et Dominica prima in Quadragesima post expletam Missam aut extra Missam fiat impositio eorundem cinerum. (1)

A. Card. Vico, S. R. C. *Praefectus*

Alexander Verde, Secretarius

(1) Observes diem, contra receptum morem, in fine rescripti non apponi.

37. — S. Cong. Rituum

Rescriptum 30 iun. 1922

De novis quibusdam calicis formis

(A. A. S. 25 iul. 1922, 14, 437)

Dubium Sacrae Rituum Congregationi propositum est sequens dubium: « Utrum liceat quatuor calices, quorum effigies in ephemeride *Benediktinische Monatschrift* (Beuron, 1920, n. 3-4)

exhibentur, quique ibidem in textu pag. 168-184 elogiis efferuntur et nominibus « Poculum caeleste-Genimina vitae-Flos de Virgine-Virga Iesse » insigniuntur, in Missae sacrificio adhibere ?. »

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, omnibus inspectis ac perpensis, rescribendum censuit: « Ad R.mum D.num Ordinarium loci, qui curet ne calices a formis traditionalibus differant, ob periculum effundendi sacras Species et excitandi admirationem. » *Responsum ad mentem*

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 30 iunii 1922. *Dies (30 iun 1922)*

A. Card. Vico, S. R. C. *Praefectus*
Alexander Verde, Secretarius

---

38. — S. Congr. de Seminariis et de Studiorum Universitaribus

Decretum 23 iun. 1922

Gradus Magisterii in Univ. Greg.

(A. A. S. 31 aug. 1922, 14, 510)

Pontificia Universitas Gregoriana Collegii Romani Societatis Iesu, abhinc tribus annis, Sacra hac Congregatione probante, biennales altiorum studiorum cursus instituit, ut ii qui ordinarium philosophiae sive theologiae curriculum essent emensi et laurea doctorali donati, in alterutra vel utraque disciplina perfectiores evaderent. *Memorata institutione biennalis cursus altioris,*

Cum autem laetos uberesque hoc institutum iam ediderit fructus, R.mus Praepositus Generalis eiusdem Societatis enixe postulavit ut Apostolica Sedes huiusmodi cursus sua firmaret auctoritate ac novum honoris titulum auditoribus illum merentibus decerneret.

Itaque, in plenario conventu, habito die XXI aprilis anno vertente, Eminentissimi Patres non modo rem vehementer probarunt, sed etiam censuerunt ut Universitati Gregorianae potestas fieret delectos auditores suos vel philosophiae vel theologiae *Magistros aggregatos* renuntiandi his condicionibus : *et vota Eminorum*

I) si auditores iam doctoris lauream essent adepti ;

II) si in ipsa Universitate Collegii Romani biennium inte-

grum Magisterii scholam frequentassent, scholaeque exercitationibus interfuissent;

III) si aptis experimentis, idest periculis verbo factis et scriptione ad scientiae rationes exacta, idoneos se ad docendum probavissent.

probante Pontifice,

Die XXIII eiusdem mensis, E.morum Patrum sententiam, referente infrascripto Sacrae Congregationis Secretario, Ss.mus D. N. Pius PP. XI ratam habuit et ad effectum adduci iussit.

S. Cong. decernit certis legibus potestatem fieri Univ. Greg. conferendi titulum Magistri aggregati

Quamobrem Sacra congregatio, mandato Sanctissimi, decernit ut Pontificia Universitas Gregoriana Collegii Romani, seu Praepositus Generalis Societatis Iesu, sicut accademicos gradus in philosophia, in theologia et in iure canonico, pro accepta ab hac Apostolica Sede potestate, confert, sic possit titulum *Magistri aggregati* facultatibus philosophiae vel theologiae ipsius Universitatis conferre sub iis condicionibus quae supra memoratae sunt; et hac potestate ei liceat uti in eorum quoque auditorum gratiam, qui his tribus annis integrum Magisterii cursum rite absolverint.

Sollemnitates

In creandis autem Magistris aggregatis eaedem observentur iuris solemnitates, quae in ipso Athenaeo Gregoriano et in ceteris Academiis pontificiis observari debent, cum ad gradus academicos idonei promoventur.

Vis tituli

Qui vero hunc Magisterii titulum consecuti sint, eos Sacra Congregatio valde commendatos vult locorum Ordinariis, utpote maxime aptos ad philosophiam theologiamve vel aliquam earum disciplinarum partem tradendam cum in Seminariis tum in Universitatibus aliisque clericorum Collegiis, quibus facta facultas sit academicos gradus conferendi.

Dies (23 iun. 1922)

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Seminariis et studiorum Universitatibus praepositae, die XXIII, mense iunio, in festo Ss.mi Cordis Iesu, anno MCMXXII.

CAIETANUS Card. BISSETI, *Praefectus.*

† *Iacobus Sinibaldi, Ep. Tiberien. Secretarius*

39. - S. Paenitentiaria Apostolica

Responsum 14 iun. 1922

De cumulandis indulg. apostolicis cum aliis

(A. A. S. 1 iul. 1922, 14, 394)

Dubii ratio et obiectum

In canone 933 praescribitur uno eodemque opere, cui ex variis titulis Indulgentiae adnexae sint, non posse plures acquiri indulgentias, « nisi aliud expresse cautum fuerit ». Cum autem Indulgentiis Apostolicis a Ss.mo D. N. Pio Pp. XI die 17 februarii 1922 benigne impertitis praemittantur quaedam monita, quibus sub n. 4 edicitur, ex expressa declaratione eiusdem Ss.mi Domini nostri, per Apostolicarum Indulgentiarum concessionem nullatenus derogari Indulgentiis a Summis Pontificibus iam alias concessis pro precibus, piis exercitiis vel operibus ibi recensitis; humillime quaeritur utrum per huiusmodi declarationem reipsa cautum sit, ad normam postremi incisi citati canonis 933, ut uno eodemque ex operibus in elencho Indulgentiarum Apostolicarum recensitis plures Indulgentiae respective acquiri possint?

Responsum a S. Pontifice confirmatum.

S. Poenitentiaria Apostolica ad propositum dubium, die 9 maii 1922, respondendum censuit: *Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo.*

Quod responsum, ab infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiore in audientia diei 2 iunii praedicti anni, Ss.mo D. N. Pp. XI relatum, eadem Sanctitas Sua benigne confirmavit, ac publici iuris fieri iussit.

Dies (14 iun. 1922).

Datum Romae, in Sacra Poenitentiaria Apostolica, die 14 iunii, anno 1922.

O. Card. GIORGI, *Poenit. Maior.*

L. Fagiolo, S. P. Secretarius

ANNOTATIO

Dubium quod hic proponitur, in *Periodica,* supra, p. 43, solvimus severiore ratione, secundum regulam generalem c. 933, quae negat eodem opere plures

indulgentias acquiri posse, « nisi opus requisitum sit confessio vel communio, aut nisi aliud *expresse* cautum fuerit ». Expressa ista cautio, nostra sententia, non reperiebatur in verbis quibus S. Pontifex declarabat per Apostolicarum indulgentiarum concessionem non derogari indulgentiis quae iam antea pro iisdem operibus essent concessae. Simplex enim suppetebat explicatio: opera ista manebant variis titulis ditata indulgentiis; quod canoni 933 prorsus erat consentaneum.

Nec S. Paenitentiaria contrarias partes est secuta. Sed, *facto verbo cum Sanctissimo*, ac proin, suppleto quidquid desideraretur, declaravit indulgentias Apostolicas cum aliis cumulative eodem opere acquiri posse.

40 — Pont. Commissio interpretando Codici

Responsa 15 apr. 1922

Dubia circa canonem 139

(*A. A. S.* 8 maii 1922, 14, 313)

Dubia

I. An S. R. E. Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi sive residentiales, sive titulares, ad normam canonis 139 § 4, munus senatorum aut deputatorum sollicitare vel acceptare possint.

II. An Ordinarii locorum in concedenda licentia sacerdotibus, qui se candidatos ad deputatorum comitia sistere cupiunt, potius difficiles quam faciles se praebere debeant.

Resp

Responsa.

Ad 1. Negative et ad mentem. Mens est: Si vi constitutionis civitatis, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi sint de iure senatores, et Sancta Sedes aliquo modo id probaverit, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi possunt sine speciali licentia Sanctae Sedis huiusmodi munus explere, dummodo per Vicarium generalem aliove modo suis obligationibus satisfaciant. In quolibet autem alio casu Cardinales, Archiepiscopi sive residentiales, sive titulares indigent venia Sanctae Sedis

Ad 2. Affirmative ad 1. partem, negative ad 2.

Dies (25 apr. 1922.

Romae, 25 aprilis 1922.

P. Card. Gasparri, *Praeses*

Aloisius Sincero, Secretarius

ANNOTATIO

Cum de munere *senatoris* agitur quod de iure episcopis tribuatur, in ipso usu tacitus et sufficiens consensus S. Sedis plerumque continebitur.

---

41. — Pontificia Commissio Ad Codicis canones authentice interpretandos

Responsa 1 iul. 1922

Dubia soluta in plenariis comitiis Em. orum Patrum

(A. A S. 1 iul. 1922, 14, 406)

De electione et postulatione

1. Utrum ad normam can. 180 § 1, concurrente postulatione cum electione, si in primo, altero et tertio scrutinio suffragia dividantur inter postulatum et eligibilem, atque nec postulatus duas tertias partes suffragiorum obtinuerit, nec eligibilis maioritatem absolutam, sed relativam tantum, hic valide electus sit. *Dubia de concursu electionis cum postulatione*

2 Si plures sint eligibiles, utrum valide electus sit qui inter eos maioritatem obtinuerit relativam.

Resp.: Ad 1um affirmative, seu in tertio scrutinio valide eligi maioritate relativa, excluso postulato. *Responsa*

Ad 2um affirmative, seu inter eligendos valide eligi eum qui obtinuerit maioritatem relativam, excluso hoc quoque in casu postulato.

De reservatione dignitatum

Utrum ad normam can. 396 § 1 Sedi Apostolicae reservetur collatio dignitatum, quae nullam praebendam, nulla emolumenta, aut valde exigua adnexa habeant. *Dubium de reservatione dignitatum.*

Resp.: Affirmative. *Responsum Dies 1 iul. 1921.*

Romae, 1 iulii 1922

P. Card. GASPARRI, *Praeses*
Aloisius Sincero, Secretarius

Annotationes

Proposita dubia respiciunt: *a)* Concursum postulationis cum electione; *b)* reservationem dignitatum. De utroque genere pauca sunt observanda.

I. De priore genere, duo casus solvendi proponuntur.

1. In scrutiniis electionis, alii electores suffragiis suis designarunt candidatum cuius electioni obstabat impedimentum super quo dipensari poterat et solebat. Hunc igitur simpliciter eligere non poterant sed debebant eum « postulare » a Superiore qui in impedimento dispensare poterat. Alii vero suffragia dederunt candidato plene eligibili. Secundum c. 101 electio peragitur parte absolute maiore suffragiorum; secundum vero c. 180 § 1, quando non omnes postulant sed alii eligunt, alii postulant, postulatio vi caret nisi duabus partibus suffragiorum fiat.

Quid igitur, si neque eligibilis maioritatem absolutam, neque postulandus duas tertias partes suffragiorum rettulerint?

Dispositio c. 101 qua in tertio scrutinio praefertur pars quae maioritatem relativam obtinuerit, caditne in solam electionem an etiam in postulationem? Si in utramque rationem, id unum videndum est uter duorum, postulandi vel eligibilis, maiorem numerum suffragiorum consecutus fuerit; si in solam electionem, electus erit qui, neglecto postulando, maiorem numerum suffragiorum obtinuerit, etiam si iste numerus sit longe inferior numero suffragiorum quae data sint postulando.

Ac responsum est, in duobus primis scrutiniis nihil actum esse; in tertio vero maioritate relativa valide eligi eligibilem, excluso postulando.

2. Nec responsum mutatur quia pro uno eligibili plures eligibiles suffragia obtinuerint.

Huc spectat responsum ad 2.

Quid, si in tertio scrutinio suffragia aequalia fuerint inter eligibilem et postulandum? Excluso postulando, eligibilis erit electus. Ac si plures eligibiles aequaliter cum postulando concurrant, praeses inter solos eligibiles paritatem dirimere poterit; vel senior inter eligibiles erit electus, ad normam c. 101. Id manifesto ex datis responsis consequitur.

II. C. 396 reservat S. Sedi collationem dignitatum in capitulis. Dignitas per se annexam habet praebendam. *Quid* igitur, si haec nulla fuerit? Reservationem manere, responsum est.

ACTA SUMMATIM RELATA

42. — *SS. D. N. Pius Pp. XI*

A. *Litterae de erigenda Ecclesia metropolitana, Praelatura nullius.*

Grajahú et Maranhas, 10 feb. 1922.

Bulla 10 feb. 1922 rata habetur erectio praelaturae nullius *S. Josephi grajahuensis* in dioecesi S. Aloysii de Maranhâo (Brasilia), itemque erectio laudatae Ecclesiae *S. Aloysii de Maranhâo* ad dignitatem Ecclesiae metropolitanae, a Benedicto Pp. XV iam decreta quin tamen litterae apostolicae ante eius obitum expeditae fuerint (A. A. S., 8 iun. 1922, XIV, 331).

B. *Litterae de dioecesi erigenda.*

Villa Real, 20 apr. 1922.

Bulla 20 apr. 1922, avulsis territoriis a dioecesibus Bracharensi, Brigantiensi et Lamacensi (Lusitania), nova erigitur dioecesis *Villaregalensis*, suffraganea archidioecesis Bracharensis (A. A. S., 1 iul. 1922, XIV, 369).

C. *Litterae de Vicariatibus vel Praefecturis Apostolicis erigendis, mutandis.*

Vicar. Mongoliae occ. mer., 14 mart. 1922.

1. Litteris 14 mart. 1922, Vicariatus Apostolicus Mangoliae occiduo-meridionalis, adiecta parte Vicariatus Mongoliae centralis, in duos Vicariatus Apostolocos, de *Ning-hia* et de *Soueiyuen*, dividitur. (A. A. S., 8 maii 1922, XIV, 271)

Vicar. de Tehagar, 14 mart. 1922.

2. Item litteris 14 mart. 1922, divisa a Vicariatu Apostolico Mongoliae centralis parte septemtrionali, quae constituat missionem de *Mongolia exteriore*, parti residuae nomen inditur Vicariatus Apostolici de *Tchagar* (A. A. S.. 8 maii 1922, XIV, 272).

Praefect. de Tatung-fu, 14 mart. 1922.

3. Litteris 14 mart. 1922, a Vicariatu Apostolico de Sciansi septemtrionali in Sinis seiungitur territorium quod novam Praefecturam Apostolicam de *Tatung-fu* constituat (A. A. S., 8 maii 1922, XIV, 273).

Vicar. Caxonen., 4 mart. 1922.

4. Bulla 4 mart. 1922, a dioecesi Guayanensi (Venezuela) pars territorii disiungitur et in Vicariatum Apostolicum *Caronensem* nuncupandum erigitur (A. A. S., 8 iun. 1922, XIV, 334).

5. Litteris 25 apr. 1922, diviso territorio Vicariatus Apostolici de Kivu (Afri a centr.), eriguntur. Vicariatus Apostolici de Ruanda et de Uru di (A. A. S., 8 iun. 1922, XIV, 373).

Vicar. de Ruanda et de Urundi, 25 april. 1922.

D. *Litterae de basilica.*

Litteris 2 maii 1922, Sanctuarium B. M. V. *Aspricollensis*, archidioecesis Mechliniensis (Belgium), ab archiducibus Alberto et Isabella saeculo XVII° erectum, multisque miraculis ac frequentissimis peregrinationibus inclytum, titulo et privilegiis basilicae minoris augetur (A A S., 1 iul. 1922, XIV, 374).

B. M. V. in Scherpenheuvel, seu, gallice Montaigu.

E. *Epistola de religione in B. M. V. de Monte Carmelo.*

De privilegio Sabbatino commendatio.

Ad R. P. Eliam Magennem, Moderatorem generalem Ordinis Carmelitarum. Labente saec. VI ex quo privilegium sabbatinum vulgari coepit, SS. D. rogatus commendat sodalitates B. M. V. de Monte Carmelo et socios hortatur « ut perseveranti studio haereant iis omnibus quae praescripta sunt ad lucrandas concessas indulgentias, in primisque maximas illas quae Sabbatinae dicuntur » (A. A. S., 8 maii 1922, XIV, 274).

Observes prudentem modum quo S. Pontifex de privilegio sabbatino loquatur.

F. *Epistola de tertio pleno saeculo canoniz. S. Theresiae.*

De apostolico S. Theresiae spiritu fovendo in eius Ordine.

Ad R. P. Lucam a Maria SS. Praep. Gen. et ad universum Ordinem Fr. Carmelitarum Excalceatorum. Occasionem nactus saecularis celebrationis, S. Pontifex in laudes erumpit S. Theresiae. Peculiariter autem eius spiritum apostolicum effert, atque atres Carmelitani Ordinis, excitat ut ex ipsa maiorum recordatione ad sacras missiones eo vel impensius » incumbant. (A. A. S., 8 maii 1922, XIV, 275).

43. — *S. Congr. S. Officii*

A. *Opera damnata.*

Opera damnata.

1. Decreto 19 maii 1922, damnatur et in Indicem inseritur opus cui titulus: *Die heiligen Schriften des Alten Bundes*, von Dr. *Nivard Schlögl*, O. Cist., erster Band (A. A. S 8 iun. 1922, 349) Cf supra, p. 6.

2. Decreto 2 iun. 1922, declaratur opera omnia auctoris ANATOLE FRANCE, ad normam can. 1399, 2°, 3°, 6°, 8°, 9°, prohiberi ipso iure atque iubetur ut in Indicem inserantur. (A. A. S., 1 iul. 1922, XIV, 379).

B. *Excommunicatio et commentarii periodici proscriptio.*

Schismaticorum excommunicatio

Ex decreto 14 iun. 1922, sacerdotes qui dissolutae consociationis schismaticae *Iednota*, ab episcopis Cecoslovachiae atque a S. Sede iamdudum damnatae (cf. A. A. S., 1920, XII, pp. 57. 585), adhuc sint participes, nisi intra quindecim dies ab huius decreti promulgatione per Episcopos facienda, plene se subiecerint, ipso facto excommunicationem incurrent S. Sedi reservatae ; insuper, contra quattuor sacerdotes qui eiusdem consociationes praesidium constituunt feretur decretum excommunicationis *nominatim*.

et periodici proscriptio, 14 iun. 1922.

Insuper periodicum cui pariter titulus *Iednota*, proscribitur, illudque edentes, defendentes, legentes ac retinentes excommunicatione plectuntur S. Sedi speciali modo reservata, de qua can. 2318 § 1 (A. A S., 1 iul. 1922, XIV, 379).

44. — *S. Congr. Consistorialis*

Mutationes in dioecesium finibus, titulo.

Lwów et Przemysl

1. Decreto 29 apr. 1922, pagus Urger ab archidioecesi Leopoliensi Latinorom dismembratur et dioecesi Premisliensi Latinorum unitur (A. A. S., 8 iun. 1922, 349). - Die 15 maii 1922, pagus Rudnik Wielki a dioecesi Kielcensi separatus dioecesi Wladisiaviensi aggregatur (A. A. S., 8 iun. 1922, 350). - Die 29 maii 1922, pars paroeciae loci Paterno a dioecesi Marsicana dismembrata, abbatiae SS. Trinitatis Cavensi (Italia) unitur (A. A. S., 1 iul. 1922, XIV, 381). - Die 12 iun. 1922, a dioecesi Clevelandensi dismembrantur comitatus Erie, Huron et Richland, quae uniuntur dioecesi Toletanae (Stat. foed Amer. sept.). (A. A. S., 1 iul. 1922, XIV, 383).

Kielce et Włotzlawsk

Marsico et Cava

Cleveland et Toledo

2. Decreto 9 iun 1922, tilulus archidioecesis Linarensis (Mexico) mutatur in Monteregensem. (A. A S., 1 iul. 1922, XIV, 383).

Linares . Monterey

45. — *S. Congr. de Propaganda Fide*

Mutationes in Vicariatuum Apostolicorum titulo.

Nankin

Decreto 1 maii 1922, Vicariatui Apostolico de Kiang-sou in Sinis nuper erecto nomen restituitur *Nankinensis*, ab urbe quae fuit sedes antiquorum episcoporum Sinensium. (A. A. S., 8 iun. 1922, 355). Decreto 14 iun. 1922, statuitur Vicariatum Apostolicum Congi Gallici Superioris (Africa centr.) in posterum appellandum esse *de Brazzaville* (A. A. S., 1 iul. 1922, XIV, 385).

de Brazzaville

46. — *S. Congr. Rituum*

A. *Causae beatificationis.*

1. *Commissio introductionis causae.*

Decreta introductionis

Petri Casani, 22 mart. 1922

Die 22 mart. 1922, signata est commissio introductionis causae servi Dei PETRI CASANI, sacerdotis professi e Congregatione clericorum regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum. Natus Lucae, die 8 sept. 1570, vicesimo quarto aetatis suae anno, Congregationem Lucensem a Matre Dei beati Ioannis Leonardi, ingressus est. Romae, in collegio Romano, praeceptore Ven. Roberto Bellarmino, condiscipulo Sancto Aloisio Gonzaga, theologiae incubuit Lucam reversus, anno 1600 vota simplicia, 1604 sollemnia emisit. Ubi vero, paucis annis post, novit S. Iosephum Calasanctium, eidem se cooperatorem praebuit in fundando Instituto Scholarum Piarum: postquam ipse, una cum pluribus Congregationis Lucensis sodalibus ad novum Institutum transiit, indefessus deinceps illud promovit, propagavit varia per loca. In senectute, particeps effectus angustiarum quibus S. Iosephus vexatus est, anno aetatis septuagesimo septimo in amplexu sancti Fundatoris spiritum emisit (A. A. S., 8 maii 1922, XIV, 308).

2. *Decreta de heroicitate virtutum.*

De virtutibus heroicis

Eymard 1 iun. 1922. 1 Petr. Iul.

Mariae M. a SS. Sacram, 11 iun. 1922.

Die 11 iun. 1922 publicatum est decretum de virtutilus heroicis Ven. S. D. PETRI EYMARD, Fundatoris Congregationis presbyterorum a SS. Sacramento (A. A. S., 1 iul. 1922, XIV, 386). - Item eadem die de virtutibus heroicis Ven. S. D. MARIAE MICHAELAE A SS. SACRAMENTO, fundatricis Ancillarum SS. Sacramenti et Caritatis. (A. A S., 1 ini. 1922, XIV, 389).

Antida Thouret 6 iul. 1922

Die 6 iul. 1922, publici iuris factum est *decretum de virtutibus heroicis* Ven. Servae Dei *Ioa. Antidae Thouret.* Hoc est eius causae particulare quod tres tantum testes de visu sunt excussi. Quia tamen sat multi testes ex audito de videntibus testimonia certa dederunt, causa procedere potuit, sed quattuor miracula ad beatificationis honores obtinendos requiruntur (cf. c. 2117) (A. A. S., 25 iul. 1922, 14, 429).

Contardus Ferrini 6 iul. 1922

Die 6 iul. 1922, signata est commissio introductionis causae servi Dei CONTARDI FERRINI qui professor in Papiensi athenaco, 17 oct. 1902 e vivis decessit. Cum iunior in studiis, tum praeceptor in Universitatibus Papiensi, Messanensi, Mutinensi, praeclara vitae sanctae documenta dedit. Inter studia in Universitate Berolensi peracta, nihil de pietate et puritate

animi remisit, postea quoque devotione erga SS. Sacramentum vere egregius, studiis iuris romani provehendis cum docendo tum scribendo haud parum allaboravit (A. A. S., 25 iul. 1922, 14, 433).

B. *Concessio privilegiorum basilicae minoris.*

Titulus Basilicae minoris B. M. V. Salutiferae Venetiarum

Decreto 23 dec. 1921, cui Sanctitas Sua vim tribuit litterarum in forma Brevis, privilegiis basilicae minoris decoratur templum B. M. V. Salutiferae seu Dominae Salutis Venetiis exsistens. In hoc templo, ex voto reipublicae aedificato ob liberationem a peste anno 1800, asservatur prodigiosa icon B. Virginis, anno 1672 ab insula Creta asportata. (A. A. S., 1 iul. 1922, XIV, 392).

Notabilis est ista privilegiorum concessio per decretum S. R C.

47. — *S. Congr. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis*

Constituitur territorium nullius.

Dantzig

Decreto 21 apr. 1922, territorium liberae civitatis *Gedanensis* (Dantzig), iuxta praesentes limites politicos definitum, a iurisdictione episcoporum Culmae et Warmiae subtrahitur, et proprio Administiatori Apostolico tamquam Ordinario committitur (A. A. S., 8 maii 1922, XIV, 312).

48. — *S. Roma Rota*

Tarentina iurium confraternitatum, 3 feb. 1922.

Die 3 febr. 1922, S. Rota definitivam tulit sententiam in altera instantia in causa Tarentina iurium Confraternitatum. Ex eo quod hucusque ipsa sola visitationem SS. Sacramenti processionaliter instituerat *Feria V* in Coena Domini sub vesperum, dum reliquae confraternitates eandem processionaliter quoque peragere solent *Feria VI* in Parasceve, contendebat Confraternitas Nativitatis et VII Dolorum B. M. V. loci « Martina Franca » *sibi uni* ius esse processionem Feria V ducendi, nec alii Confraternitati concedi posse ut eadem die, licet hora diversa, idem pietatis officium exerceret. Animadvertitur in iure eos qui in quasi possessione sint aliquam processionem ducendi, ius inde habere ne ab aliis *turbentur;* hanc autem turbationem accipiendam esse sensu iuridico, quatenus iuris possessi exercitium praepediat, nequaquam sensu morali, quatenus animum exercentis passione aemulationis commoveat; non tamen plus praescriptum umquam esse quam possessum. In casu, misso iure *faciendi* processionem propriam, nequaquam demonstrat Confraternitas Nativitatis et VII Dolorum se possidere ius *prohibendi*

ne alii hora diversa et suam faciant: Quod nisi probetur, constare non potest de iure *exclusivo* quod sibi competere autumat.

Nec inde sequitur alteram Confraternitatem in causa praetendere posse *ius* quoddam nativum pro lubitu transferendi in Feriam V processionem suam Feria VI fieri solitam; ad unum *loci Ordinarium* spectat concedere sive ut nova processio inducatur, sive ut iam exsistens in alium diem transferatur (A. A. S. 1 iul, 1922, XIV, 395).

19. — *Provisio Ecclesiarum*

A. *Decretis S. Congr. Consisterialis* nominati sunt:

12 maii 1912, R. P. D. Ioan. Sanne, ep. Gravinen. et Montis Pelusii (Italia) ex episcopo Ampuriensi et Templensi. — *Gravina e Irsina.*

19 maii 1922, R. P. D. Natal. Gabr. Moriondo, ep. Casertanus (Italia) ex episcopo titulari Cidyessensi. — *Caserta*

19 maii 1922, R. P. D. Hyac. Chassagnon ep. Augustodunen. (Gallia) ex ep. tit. Modrensi. — *Autun*

19 maii 1922, R. D. Steph. Faugier, Auxiliaris Em. Arch. Lugdunen cum onere residendi in urbe S. Stephani (Gallia). — *S. Etienne (Gallia)*

24 maii 1922, R. D. Bern. Mahoney, ep. Siouxormen. (Stat. foed. Amer. sept.) — *Sioux Fa ls*

2 iun. 1922, R. P. D. Ios. Medard. Emard, archiep. Ottavien. (Canada) ex episcopo Campivallensi. — *Ottawa*

7 iun. 1922. R. D. Oront. Lucian Durante, ep. Sancti Severi (Italia). — *S. Severo*

23 iun. 1922, R. D. Aug. Aguirre Ramos, ep. Sinaloens. (Mexicana resp). — *Sinaloa*

27 iun. 1922, R. P. D. Fr. Xav. Irastorza et Loinaz, ep. Oriolen. seu Alonien.-ex ep. tit. Doren. (Hispania). — *Alicante vel Orihuela*

27 iun. 1922, R. P. D. Gabr. Llompart et Jaume, ep. Gerunden., ex ep. tit. S. Christophori de Lajuna (Hispan.) — *Gerona*

27 iun. 1922, R. P. Mach. Keyes, e Soc. Mariae, ep. Savannen. (Foed. Stat Amer. sept.) — *Savannah*

28 iun. 1922, R. D. Raph. delle Nocche, ep. Tricariven. (Italia) — *Tricarico (Italia)*

Decreto S. C. de Prop. Fide.

21 iun. 1922, R. D. Maurit. Bernard Despatures e Sem. Par. ab exteris miss. ep. Mysurien. (Indiae). — *Mysore*

B. *Vicarii (V. A.) brevibus ap. et Praefecti Apostolici (P. A.) Decretis S. C. de Prop. Fide* nominati sunt:

Norvegia et Spitzberg 12 apr 1922, R. D. Henr. Ioan. Smit, V. A. Norvegiae et de Spitzberg.

Ruanda 26 apr. 1922, R. P. Leo Classe, V. A. de Ruanda (Africa centr.)

Urundi 26 apr. 1922, R. P. Iulian Gorju, V. A. de Urundi (Africa centr.)

Nojan-hoei 27 apr. 1922, R. P. Vinc. Duarte, V. A. de Ngan-hoei (in Sinis).

Laos 27 apr. 1922, R. P. Angel. M J. Gouin, V. A. de Laos (Siam).

Iringa 10 maii 1922, R. P. Franc. Cagliero, P. A de Iringa (Africa centr.).

Uelle Orient. 10 iun. 1922, R. P. Aem. Rollin, P A. de Uelle Orientali (Africa centr.)

Cape of good Hope 21 iun. 1922, R. P. D. Franc Hennemann, P. A. districtus centralis Promotorii Bonae Spei (Africa).

Lac Albert 21 iun. 1922, R. P. Ios. Matthijsen, P. A. Lacus Alberti (Africa centr.)

Brazzaville 28 iun. 1922, R. P. Firm. Guichard, V. A. Brazzaville (Congo Gall.)

Lulua et Katanga centr. 15 iul. 1922 R. P. Val. Stappers, P. A. praefecturae de Lulua et Katanga centrali (Congo Belg.)

C. *Administrator apostolicus decreto edito per S. Congr. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis* nominatus est.

Dantzig 21 apr 1922, R. P. D. Eduard. O' Rourke. ep. tit. Caneensis, liberae civitatis Gedanensis.

50. — *Necrologium*

Fidgi 2 apr. 1922, Ill. D. Iulian. Vidal, ep. tit. Alyden., Vic. Ap. insularum Fidgi (Oceania).

Antequera 19 maii 1922, Ill. D. Eulog, Gregor. Gillow, archiep. de Antequera (Mexico).

Ferentino 12 iun. 1922, Ill. D. Domin. Bianconi, ep. Ferentinus (Italia).

Socorro 25 iun. 1922, Em. D. Card. Theod. Valfré di Bonzo.

21 iul. 1922, Ill. D. Antonius Vincent. Arenas, epis. de Succursu (Colombia).

Maccio 27 iul. 1922, Ill. D. Antonius de Oliveira Lopez, archiep. Macejen. (Brasilia)

BIBLIOGRAPHIA

Ex Libris

Cocchi G., C. M. *Commentarium in Codicem iuris canonici ad usum scholarum.* L. II De Personis. - Pars II. De religiosis. - Pars III. De laicis. - Taurini, Marietti, 1922. In - 12 333 p. 8 fr. Commentarium ad Codicis ordinem est dispositum.

Cotel - Gombart., S. J. *Les principes de vie religieuse ou l'explication du catéchisme des voeux,* 4 éd. soigneusement revue et mise en harmonie avec le code de droit canon.

Première Partie. Des voeux de religion en général.

Seconde Partie. Des trois voeux de religion en particulier. Bruxelles, Dewit, Tours, Mame, 1922. In - 16, 243 p. 6 fr.

L. Derbaix, S. J. *Mes petits hommes.* Récits et nouvelles. Préface par HENRI DAVIGNON. Pour faire connaissance. - Martyr. - 332 avant G. C. - Film de guerre. « Si, c'est sérieux ! » - « Casse - Tête ». - Edmond. - Bob. - In- 16, XI - 205 pag. Bruxelles, Action catholique, 1922. 5 fr.

Génicot - Salsmans, S. J. *Casus conscientiae.* Opus postumum accommodatum ad Theologiae moralis institutiones. Ed. 4. ad normam Codicis Iuris recognita et pluribus casibus aucta. - In - 8, 723 p. Bruxelles, Dewit, 1922. 20 fr.

Hoornaert G., S. J. *Le combat de la pureté* (à ceux qui ont vingt ans). Préface par A. VERMEERSCH, S. J. L'état militant. - Garde à vous. - L'ennemie. - L'attaque. - La défaite. - La victoire. - Le triomphe. In - 16, 368 p. Bruxelles, Action catholique, 1922.

Körperich Ric. *Les lois sur la Mainmorte dans les Pays Bas catholiques.* Étude sur l'édit du 15 septembre 1753, ses précédents et son exécution. (Dissertatio ad gradum Magistri in facultate Theologica consequendum) Ch. I. Aperçu sur le droit féodal et communal. - Ch. II. Evolution générale de la Législation monarchique. - Ch. III. L'érection d'un établissement de mainmorte. - Ch. IV. L'acquisition de biens immeubles. - Ch. V. L'acquisition de rentes rachetables et de biens meubles. - Ch. VI. La jointe des amortissements. in - 8, 288 p. Louvain, Smeesters, 1922.

Legrand G., *L'actualitè de S. Augustin* (*Revue générale* aout 1922) 27 p. Bruxelles, Goemaere.

Missale Romanum, ex decr. S. C. Trid. restitutum, S. Pii V, P. M. iussu editum, aliorum Pontificum cura recognitum, a Pio X reformatum et SS. D. N. Benedicti XV auctoritate vulgatum - Editio secunda, iuxta typicam Vaticanam iterum impressam - Taurini - Augustinorum, Marietti, 1922 - 10 × 16 cm. *Charta indica* tenui et solida, cum characteribus magnis et perspicuis rubro et nigro impressis, accuratissima, perraro lectorem ab una ad aliam pag. remittens, *cum cantu gregoriano integro.*

Sine tegumento : 24 fr. - variis tegumentis, a 32 fr. ad 48 fr.

Missae et officia novissima, iuxta decr. S. R. C. 24 oct. 1920 et 26 oct. 1921.

Missae, characteribus rubro nigris, missalibus in 4 max. et in 4 parvo aptatae : 0,20 - 0,40. *Officia* caracteribus rubro nigris, singula 0,30 - 0,75, in - 12 et in 32.

Mathon Eug. *L'inflation et les troubles sociaux.* (Semaine de la Monnaie. Rapport) 14 p. Paris, Renouard.

Payen G. S. I. *Déontologie médicale d'après le droit naturel.* PREM. PARTIE : Le médecin considéré en lui - même. — DEUXIÊME PARTIE : Multiples rapports avec les malades. — TROISIÉME PARTIE ; Des rapports avec les confrères. — QUATRIÈME PARTIE : Rapports avec les autorités civile et giudiciaire. 1 fort vol. in - 8VI - 765 p. Chang-Hai; Zi-ka-Wei, 1922.

Vermeersch, A. S. I. *La Tolérance.* Nouvelle édition. La tolérance du Christ. — Prem Partie. La tolérance dans la vie privée. — Deux. Partie. La tolérance dans la vie publique. — Troisieme Partie Corollaires et Questions. — Conclusion. Le christianisme, religion d'amour. in - 12. XII, 429 p. Louvain, Uystpruyst, 1922, 10 fr.

Ex Periodicis

Collat. Brugenses - maii - iun. 1922. V. COUCKE, *De materia valida sacramenti Eucharistiae — De materia licita sacramenti Eucharistiae.* — A. LEGRAND, *De examine eonscientiae particulari.* — E. HOSTEN, *De subiectione operariorum heris suis.*

Collat. Gandav. Sept. 1922. STANDAERT, A., Casus minorennis contrahentis. — CLAEYS BOÛÛAERT, F., *De sacramentorum reviriscentia.* — LEJOUR, O., *De officio defunctorum.* — STANDAERT, A., *Le nouveau tarif des services fondés.*

Commentarium pro religiosis. Iul. Aug. LARRAONA, A.,

commentarium Codicis (c. 488) = *Quaestio canonica de privilegiis religionum* (*c. 630, § 1*). — **Goyeneche,** S., *Consultationes* (cc. 105, 2º e 653. 1156. 576, § 2. 575, § 2. 49. 67. 101, § 1, n. 2 et 105, § 1, 1. 544).

Resena eclesiástica. Iul. - Aug. 1922. VICENS PIERA, Eficacia apologética de la liturgia. — LUIS CARRERAS. Los centenarios. El culto de la santidad.

Canoniste contemporain. Mars-Avr. 1922. A. VILLIEN. *Le nouveau code de droit canonique.* (Liv. III, tit. VI) - A. COULY *Les biens temporels de l'Eglise* (Donations et testaments). — *Les sentences de la Rote en 1913.* Mai-juin 1922. Mêmes articles (suite). *L' ordination* par A. VILLIEN. *Les fondations* par A. CONLY. - Mg.r BOUDINHON, *Consultations* (Chanteuses à l'église. Délégation pour mariages. L'acte héroique et l'indulgence *in articulo mortis*).

MUSEUM " LESSIANUM „

PUBLICATIONS

dirigées par

des Pères de la Compagnie de Jésus

LOUVAIN

Pour la rédaction, s' adresser **au Secrétariat, 11, Rue des Récollets, LOUVAIN (Belgique).**

Pour l'administration s 'adresser à la **Firme CHARLES BEYAERT, éditeurs pontificaux, 6, Rue Notre Dame, BRUGES (Belgique).**

Le 15 janvier prochain, Louvain célébrera le troisième centenaire du décès du célèbre théologien et moraliste Léonard Lessius S. J. qui mourut dans ses murs, en odeur de sainteté, le 15 janvier 1623.

Il a paru à des professeurs du Collège philosophique et théologique S. J. de Louvain, que la meilleure manière de perpétuer la mémoire de leur illustre devancier serait de continuer son

œuvre d'enseignement religieux, en l'adaptant à la situation présente.

De cette pensée est né le *Lessianum*. Cette dénomination n'implique en aucune manière l'intention de s'occuper uniquement ni même surtout de Lessius ; l'œuvre dont elle est l'enseigne n'exclut aucune question religieuse ou philosophique.

Pour éviter toute concurrence avec les périodiques existants, on a renoncé délibérément à donner à l'œuvre le type d'une Revue. C'est plutôt une bibliothèque qu'on a cherché à créer.

Une première Section, *Ascétique et Mystique*, comprendra des livres originaux et des traductions, adaptations, rééditions de textes anciens. Les laïques désireux d'éclairer leur piété par la fréquentation des Pères de l'Eglise, des grands mystiques médiévaux ou des ascètes plus récents, ne disposent que très rarement de textes accessibles ou suffisamment appropriés. Le *Lessianum* tâchera, pour sa part, de remédier à cette pénurie.

Une deuxième Section, *Théologique*, comprendra des travaux de Théologie dogmatique et morale, et de Droit canonique. Ils paraitront le plus souvent sous la forme de *Cahiers théologiques* de volume variable. Deux Revues, déjà existantes, sont désormais annexées à cette Section, la *Nouvelle Revue theologique*, et les *Periodica de re canonica et morali*.

Une troisième Section, *Philosophique*, comprendra des séries d'études originales et des collections de textes à l'usage des cours de Philosophie.

NOTE IMPORTANTE

1. LES SOUSCRIPTEURS aux *publications françaises seulement ou latines seulement des trois sections, ou de chacune d'elles* jouiront d'une remise de 10 %.

2. Les souscriptions des Instituts, Couvents, Bibliothèques etc. engagent ceux-ci comme tels ; les factures seront adressées non pas à un de leurs membres mais aux instituts etc. eux-mêmes.

3. Chaque publication étant indépendante dans la série où elle paraît, pourra être achetée isolément.

4. Le paiement des factures peut être fait par mandat postal ou par chèque établi par toute banque au bénéfice de la « *Firme Charles Beyaert à Bruges* ». Les monnaies étrangères seront reçues au taux du jour de leur réception, et ce, suivant le cours du jour de la Bourse de Bruxelles.

Publications du "Lessianum„ pour paraître en 1922 et 1923

*Les oeuvres marquées d'un * astérisque viennent de paraître*

I. Section Ascétique et Mystique:

* **La Prière de toutes les heures.** 1ere série de 33 méditations, par PIERRE CHARLES, S. J., Professeur au Collège Philosophique et Théologique S. J., de Louvain. (Deux autres séries de 33 méditations sont en préparation).

* **Recollectiones Precatoriae,** desumptae ex XIV libris de Perfectionibus moribusque divinis necnon ex tractatibus de Numinis Providentia et de Praedestinatione R. P. LEONARDI LESSII, S. I., ad utilitatem ac commoditatem piorum fidelium seorsum impressae. Edidit CAROLUS VAN SULL, S. I. (Eiusdem auctoris opuscula alia parantur) . . . fr. 2.50

* **Lettres de S. François Xavier.** Nouvelle traduction française en 4 volumes par EUGÈNE THIBAUT, S. J., Docteur en philosophie et lettres. 1re série. En Portugal et aux Indes (1540-1547) — 2me série. Seconde Mission des Indes (1548). — 3me série. Mission du Japon (1549-1551). — 4me série. Retour aux Indes et Mission de Chine (1551-1552).
la serie fr. 3.50

Textes originaux et Traductions de textes annotés, choisis dans les actes des Martyrs, les œuvres des Pères de l'Eglise et des principaux ascètes (Publications en série).

II. Section Théologique et Scienses Connexes.

* **Theologiae Moralis** *Principia — Consilia — Responsa.* 3 vol. in-8o. *Primum volumen* complectens longiorem et accuratam introductionem, Tractatus generales de Actibus humanis — de Legibus — de Conscientia — de Peccatis — de Subsidiis humanae libertatis, — auctore A. VERMEERSCH, S. I., doctore iuris et iuris canonici, lectore theologiae moralis religatum : fr 18. A dorso corio : fr. 23.56. (Eiusdem operis vol. II et vol. III brevi sequentur).

Nouvelle Revue Théologique publiée tous les mois sous la direction de quelques Professeurs de Theologie de la Compagnie de Jésus a Louvain. 48 Tomes parus. T. 49 (1922) Belgique et France fr. 15,00. Autres pays fr. 20,00.

Periodica de re canonica et morali Religiosis et missionariis praesertiim utilia. 10 Tomes parus. T. XI (1922) fr. 12,00.

Le Spiritisme en Belgique, par PIERRE CHARLES S. J.

Baius et le Baianisme, par FRANÇOIS-XAVIER JANSEN, S. J., Professeur au Collège Philosophique et Théologique S J. de Louvain.

Questions apologétiques, par PAUL CLAEYS BOUUAERT S. J., Professeur au Collège Philosophique S. J., de Louvain.

La Théologie de la Communion, par PIERRE CHARLES S. J.

La Liturgie du Baptême, par EDOUARD DE MOREAU S. J., Docteur en philosophie et lettres, Professeur au Collège Philosophique et Théologique S. J., de Louvain.

Le Vœu du plus parfait, par JOSEPH CREUSEN, S. J., Docteur en philosophie et lettres, Professeur au Collège Philosophique et Théologique S. J,, de Louvain.

III. Section Philosophique.

Le **Point de départ de la Métaphysique.** Leçons sur le développement historique et théorique du Problème de la Connaissance, par JOSEPH MARÉCHAL, S. J., Docteur en sciences, Professeur au Collège Philosophique et Théologique S. J., de Louvain cahiers d'environ 200 pp. chacun, mis en vente séparément dans l'ordre suivant :

* Cahier I. — *De l'antiquité à la fin du moyen âge : La critique ancienne de la connaissance* (*paraîtra prochainement*) fr. 14.00

Cahier II. — *Le conflit du Rationalisme et de l'Empirisme dans la philosophie moderne, avant Kant.*

Cahier III. — *La Critique kantienne.*

Cahier IV. — *Par delà le Kantisme: Vers l'Idéalisme absolu.*

Cahier V. — *Le Thomisme devant la philosophie critique.* I. Essai exégétique d'une Epistémologie selon S. Thomas

Cahier VI. — *Le Thomisme devant la philosophie critique.* II. Comparaisons avec quelques philosophies récentes.

La Métaphysique du Kantisme, par PIERRE CHARLES S. J.

Etudes sur la Dialectique hégélienne, par PIERRE SCHEUER S.J.

Etudes sur la Psychologie des Mystiques, par JOSEPH MARÉCHAL S. J

* **Principes d'Économie sociale,** par VALÈRE FALLON, S. J., Docteur en sciences politiques et sociales, Professeur au Collège Philosophique et Théologique S. J., de Louvain. Deuxieme édition sous presse. Pour souscripteurs fr. 8.00

PARS ALTERA

MONUMENTA

51. — Epistola Apostolica 1 aug. 1922

PIUS PP. XI

De seminariis et de studiis clericorum
(A. A. S. 7 aug. 1922, 14, 450).

DILECTE FILI NOSTER (1)
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quantum interesit ut Ecclesiae boni ministri non desint.

Officiorum omnium sanctissimorum, quaecumque Apostolici muneris amplitudo complectitur, nullum sane nec maius est nec patet latius, quam curare et efficere ut Ecclesiae ad divina sua munia obeunda bonorum ministrorum satis magna copia suppetat. Id enim est eiusmodi, quod Ecclesiae et dignitatem et efficientiam et vitam ipsam coniunctam habet; quodque ad salutem humani generis tam interest quam quod maxime: siquidem quae mundo parta sunt a Iesu Christo Redemptore immensa beneficia, ea non cum hominibus nisi per « ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei » communicantur. Iam vero ex hac beati Petri Cathedra, in qua nullo merito Nostro divinitus collocati sumus, circumspicientibus Nobis eum, qui proximis Nostris curis demandatus est, orbem catholicum, existimare licet ex una parte quae et quam magnae sint animorum necessitates, ex altera autem quam non eis plurifariam clerus, pro sua praesertim paucitate, sufficiat: difficultatesqu ad eum rite supplendum, quae iam gravissimae aderant, quanto factae sint recentis belli damnis iacturisque graviores. Quod si omnibus, quotquot divinae gloriae alienaeque saluti student, longeque ante alios sacris Pastoribus, permolestum accidat

Sufficiens ista copia desideratur

(1) Em. Card. Bisleti. Praef. S. C. de Sem. et stud. Univ.

oportet, facile intelligitur Nos, cum omnium Ecclesiarum curam sustineamus, multo vehementius quam ceteros, eam ipsam ob causam anxios esse atque sollicitos. Itaque in exordio Pontificatus maximi nihil Nobis est antiquius, quam singulare quoddam studium ad rem tanti momenti conferre: praecipueque advocatam adhibere operam istius Urbani Consilii cuius est educationem doctrinamque sacrae iuventutis universae moderari. Novimus enim multa iam a decessoribus Nostris eodem Consilio, ut instrumento, usis peropportune esse praescripta, quae Nos et valde probamus omnia et Nostrae auctoritatis suffragio confirmamus: verum nonnulla ex iis sunt, quae omnino volumus eo vel impensius urgeri, tamquam sancto proposito maxime conducibilia. Quapropter, ad te dilecte fili Noster, eiusdem sacri Consilii praefectum, has damus litteras, ut quemadmodum huius Nostrae tantae sollicitudinis in primis es particeps, ita ad ea significanda quae eandem levare possunt, te ipso interprete utamur.

Providentia divina Ecclesiae non deerit

Principio, quoniam sacri ordinis Ecclesiaeque rationes artissime, uti diximus, inter se cohaerent, non est dubitandum quin omni tempore satis hominum a Deo ad sacerdotium destinetur; alioquin necessaria in re Deus umquam deesset Ecclesiae suae, quod nefas est dicere.

Sed orandum est

Quamquam hac ipsa in re, aeque ac in ceteris quae ad communem animarum salutem opus sunt, ea divinae providentiae lex valet, ut communes preces amplissimum locum habeant ad impetrandum. Apertum enim notumque omnibus est illud: *Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam* (1). Quoniam igitur huic officio optimus quisque satisfacere, Ecclesia praeeunte, consuevit, iam ut candidatorum ad sacra numerus accrescat, in primis servari cupimus optamusque quod in iuris canonici Codice ita praescriptum est: *Dent operam sacerdotes, praesertim parochi, ut pueros, qui indicia praebeant ecclesiasticae vocationis, peculiaribus curis a saeculi contagiis arceant, ad pietatem informent, primis litterarum studiis imbuant divinaeque in eis vocationis germen foveant* (2). Qui quidem, ubi maturum tempus esse iudicaverint, suos alumnos studebunt sacro alicui Seminario tradere in disciplinam, ut in eis quod ipsi inchoaverint, rite perficiatur. Quod si huic rei tenuitas adolescentulorum fuerit impedimento, nec sacerdotes sumptus

et a sacerdotibus germina vocationis fovenda sunt,

(2) MATH. IX, 37. 38.
(1) Can. 1353.

suppeditare ipsi possint, bonorum animos excitent ad succurrendum, proposita rei tum sanctitate, tum etiam incredibili utilitate. Quo loco facere non possumus quin rogemus omnes, quicumque Ecclesiam diligunt, ut illud « Opus vocationum ecclesiasticarum » quod, pueris spei bonae et domi et apud parochos et intra Seminariorum septa sedulo adiuvandis, salubriter institutum est, omni foveant studio atque promoveant.

Sacra Seminaria reservanda sunt clericis instituendis.

Illud enimvero maximae Nobis est curae, modisque omnibus efficiendum est, quod decessores Nostri Leo XIII et Pius X saepius praeceperunt, ut sacra Seminaria, nisi ad eam rem, cuius causâ condita sunt, ne adhibeantur, id est ad sacrorum administros, ut oportet, instituendos. Quare non modo in eis locus esse non debet pueris vel adolescentulis, qui nullam ad sacerdotium praeferant propensionem voluntatis, — horum enim consuetudo clericis mirum quantum obest, — sed etiam cum pietatis exercitationes, tum ratio studiorum, tum ipsum gubernationis genus huc omnino spectent oportet, ut ad perfunctionem divini muneris accommodate alumnorum animi praeparentur. Haec esto Seminariorum omnium, nullo excepto, sanctissima lex; cui quidem si religiosius usque adhuc obtemperatum esset, tanta fere ubique non esset paucitas sacerdotum. Nam hoc est in proclivi, quae non congruenter suae propriae naturae regantur Seminaria, ea suum quidem retinere nomen, re autem vera societati civili multum prodesse posse, at sacro ordini vix aliquid aut omnimo nihil proficere.

Iam quomodo constituta esse oporteat Seminaria ut idonea existant sacerdotibus educandis, qui et a pietate et a doctrina bene instructi sint, non est Nobis in animo hic explicare: dumtaxat nonnulla sunt, quae praecipue, ut maximi momenti et ponderis, cupimus, dilecte fili Noster, universos sacrorum Antistites diligenter attendere.

In iis studium linguae latinae promovendum. Cur oporteat et clerici hanc linguam colleant.

Primum est de linguae latinae studio in litterariis clericorum ludis omni cura fovendo atque provehendo, quam linguam scientia et usu habere perceptam, non tam humanitatis et litterarum, quam religionis interest. Etenim Ecclesia, ut quae et nationes omnes complexu suo contineat, et usque ad consummationem saeculorum sit permansura, et prorsus a sui gubernatione vulgus arceat, sermonem suapte natura requirit universalem, immutabilem, non vulgarem. Huiusmodi cum sit sermo latinus, divinitus provisum est ut is mirifico esset usui Ecclesiae docenti, idemque Christifidelibus doctioribus ex omni gente magnum ministraret vinculum unitatis; iis dando scilicet non solum unde, vel locorum intervallo disiuncti vel in unum

locum congregati, facile inter se sensa mentis et consilia conferrent, sed etiam, quod maius est, unde, quae Ecclesiae matris sunt, altius cognoscerent et cum Ecclesiae capite artius cohaererent. Utraque de causa, ut cetera omittamus, liquet clerum, ante alios, latinae linguae perstudiosum esse oportere; neque enim hic laudes persequimur quibus hoc commendatur loquendi genus, pressum, locuples, numerosum, maiestatis plenum et dignitatis, quod mire dixeris comparatum ad serviendum Romani Pontificatus gloriae, ad quem ipsa Imperii sedes tamquam hereditate pervenerit. Quod si in quopiam homine laico, qui quidem sit tinctus litteris, latinae linguae, quam dicere *catholicam* vere possumus, ignoratio quendam amoris erga Ecclesiam languorem indicat, quanto magis omnes clericos, quotquot sunt, decet eiusdem linguae satis gnaros esse atque peritos! Horum profecto est latinitatem tanto tueri constantius, quanto a sapientiae catholicae adversariis qui saec. XVI Europae in una Fidei doctrina consensionem labefactarunt, acrius eam norunt oppugnatam. Quare - quod ipsum in iure canonico cautum est - (1) in litterarum ludis, ubi spes sacri ordinis adolescunt, accuratissime sermone latino volumus alumnos institui, hanc etiam ob causam, ne deinde, cum ad maiores disciplinas accesserint, quae latine utique et tradendae et percipiendae sunt, fiat, ut prae sermonis inscitia plenam doctrinarum intelligentiam assequi non possint, nedum se exercere scholasticis illis disputationibus, quibus egregie iuvenum acuuntur ingenia ad defensionem veritatis. Ita iam non continget, quod saepius dolemus fieri, ut nostri clerici sacerdotesque, cum haud satis operae litterarum latinarum studio dederint, neglectis Patrum Doctorumque Ecclesiae copiosis voluminibus, quibus Fidei dogmata exibentur cum dilucide proposita tum invicte defensa, idoneam sibi doctrinae copiam a recentioribus petant auctoribus, in quibus fere non modo perspicuum dicendi genus et accurata disserendi ratio solet, sed fidelis etiam dogmatum interpretatio desiderari. Quae igitur Paulus Timotheum admonuit: *Formam habe sanorum verborum* (2)... *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt*, (3) haec, si umquam alias, his praesertim temporibus valent, cum varias errorum fallacias, scientiae nomine specieque obtectas, nimis

(1) Cod. I. Cf. can. 1364.
(2) II *Tim.*, I, 13.
(3) I *Tim.*, VI, 20. 21.

multi usque quaque venditare consueverunt. Has autem quis detegere possit ac redarguere, nisi Fidei dogmatum probe sensum teneat vimque verborum quibus solemniter sunt expressa, denique nisi ipsum, quo Ecclesia utitur, sermonem calleat?

Diligentissime saltem per biennium docenda philosophia catholica, secundum doctrinam et principia S. Thomae.

Alterum in quo singularem Episcoporum vigilantiam requirimus, ad altiora adolescentis cleri studia pertinet. Omnino quae hac de re sunt in iure canonico providentissime statuta, (1) ea sancte inviolateque observari debent, si quidem consilium est sacerdotum parare copiam, qui tantae magnitudini muneris impares non sint. Confecto igitur litterarum curriculo, nostri alumni, ut sacrae Theologiae aptam praeparationem adhibeant, minimum biennio diligentissime in Philosophiae studio versentur. *Scholasticam* intelligimus Philosophiam, a sanctis Patribus Scholaeque Doctoribus quadam laborum continuatione naviter expolitam, ac denique opera et ingenio Thomae Aquinatis ad summum perfectionis gradum adductam, quam quidem decessor Noster illustris Leo XIII « Fidei propugnaculum ac veluti firmum Religionis munimentum » (2) appellare non dubitavit. Profecto ipsius Leonis magna laus est Philosophiam Christianam, excitato Doctoris Angelici amore cultuque, instaurasse: atque etiam sic iudicamus, omnium rerum, quas in diuturno Pontificatu pro Ecclesia et pro societate civili utilissime gesserit, hoc adeo fuisse caput, ut si cetera non adessent, haec una res satis esset ad tanti Pontificis nomen immortalitati commendandum. Itaque in primis sibi curae habeant magistri Philosophiae in hac disciplina clericis tradenda non solum rationem seu methodum, verum etiam doctrinam et principia sequi sancti Thomae: idque eo faciant vel studiosius, quod sciant nullum Ecclesiae Doctorem *modernistis* ceterisque fidei catholicae hostibus ita esse terrori ac formidini, ut Aquinatem.

Eadem valent de Theologia

Quod autem de Philosophia dicimus, idem est de sacrae Theologiae disciplina intelligendum. Nam, ut Sixti V verbis utamur: « Huius quidem tam salutaris scientiae cognitio et « exercitatio, quae ab uberrimis divinarum Litterarum, Summo- « rum Pontificum, Sanctorum Patrum et Conciliorum fontibus « dimanat, certe semper maximum Ecclesiae adiumentum af- « ferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligen- « das et interpretandas, sive ad Patres securius et utilius « perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et haere-

(1) Cod. I. C., can. 1365 et 1366.
(2) Litt. Enc. *Aeterni Patris*.

« ses detegendas et refellendas; his vero novissimis diebus, « quibus iam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo « descripta, et homines blasphemi, superbi et seductores pro- « ficiunt in peius, errantes et alios in errorem mittentes, sane « catholicae Fidei dogmatibus confirmandis pernecessaria est » (1). Etenim id quod efficit ut hoc disciplinae genus vim scientiae veri nominis habeat, in eoque — ut desideratissimus decessor Noster praeclare ait (2) — « plena sit, quantum per humanam rationem licet, explicatio invictaque defensio traditae divinitus veritatis », nihil est aliud nisi Philosophia Scholastica duce et magistro Aquinate, in usum ipsius sacrae disciplinae conversa. Hinc « apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohaeren- « tia, ille ordo et dispositio tamquam militum in pugnando « instructio, illae dilucidae definitiones et distinctiones, illa « argumentorum firmitas et acutissimae disputationes, quibus « lux a tenebris, verum a falso distinguitur, haereticorum men- « dacia, multis praestigiis et fallaciis involuta, tamquam veste « detracta, patefiunt et denudantur » (3).

Positiva methodus insufficiens est.

Consequens est, non bene sacrae iuventuti consulere, qui omnem de Theologia institutionem, scholastica ratione neglecta, ad *positivam methodum*, ut dicitur, exigendam putent; multoque minus eos officio suo satisfacere, qui huius doctrinae magisterium non aliter exerceant, nisi ordinem seriemque dogmatum atque haeresum doctis disquisitionibus exsequendo. Illa enim positiva methodus necessario quidem scholasticae adiungenda est, sed sola non sufficit; cum bene comparari nostros oporteat ad Fidei veritatem non modo convincendam, sed illustrandam etiam ac defendendam; Fidei autem dogmata contrariosque errores ex ordine temporum recensere, ecclesiasticae quidem historiae est, non vero munus Theologiae.

Neglegi nequit Theologia pastoralis.

Tertio loco, quod ad clericorum studia pertinet, qui, pro conscientia officii, ea moderetur, non is profecto praescriptiones iuris canonici negliget de Theologia *pastorali:* (4) imo plurimum tribuet huic disciplinae, qua quidem proxime animarum quaeritur salus. Nec vero dumtaxat, quam sancte sint divina tractanda, praecipiet; sed praeterea quemadmodum sint maiore semper cum fructu hominibus applicanda. In quo ei erit temporum habenda ratio diligentissime. Multa enim in po-

(1) Bulla *Triumphantis*, an. 1588.

(2) BENEDICTUS XV, Motu proprio *De Romana Sancti Thomae Academia* an. 1914.

(3) SIXTUS V, l. c.

(4) Cod. I. C., can. 1365 § 3.

puli christiani mores rerum cursus induxit, patrum nostrorum inaudita temporibus: quae pernovisse hodie sacerdotem oportet ut nova novis remedia malis in Iesu Christi virtute reperiat, et salutarem Religionis vim in omnes venas afferat humanae societatis.

Antistites suffragentur Ap. Sedi instituenti seminaria regionalia.

Denique scito, dilecte Fili Noster, admodum cordi Nobis illud esse quod pariter in iuris canonici Codice statuitur: *Si constitui Seminarium dioecesanum nequeat, aut in constituto Seminario conveniens institutio, praesertim in philosophicis ac theologicis disciplinis, desideretur, Episcopus alumnos in alienum Seminarium mittat, nisi Seminarium interdioecesanum vel regionale, auctoritate apostolica, constitutum fuerit.* (1) In quo quidem optandum est ut Episcopi, quorum id refert, Apostolicae Sedis providentiam aestiment eique libentibus animis suffragentur. Quam multi enim sunt, qui vel moderatorum praeceptorumque inopia, vel fortunarum angustiis, vel alia de causa nequeunt adolescentes clericos, si quos habent maioribus studiis maturos, apud se curare, ut dignum est, instituendos? Iis igitur ut possent permagno sui muneris officio fungi, opportune haec Apostolica Sedes opitulata est, conditis, maxime per Italiam, in singularum regionum commodum, nonnullis Seminariis, iisque praesidum doctorumque nobilitate florentibus, unde sacerdotes exsisterent ad omne opus bonum instructi, paratique se devovere totos Dei gloriae animarumque saluti. Nos equidem id instituti genus, in quo sapientia aeque ac munificentia decessorum Nostrorum Pii X et Benedicti XV spectata est, cum sartum et tectum conservare volumus, tum etiam, quantum est in Nobis, omni ope in maius provehere. - At vero par est et consentaneum, sacrorum quoque Antistites, qui eius sint regionis, cuius gratia Seminarium huiusmodi sit excitatum, debere omnes eidem pro virili parte prospicere. Quos quidem rogamus, ne inviti id faciant, quod non solum communis ab eis, sed propriae etiam ipsorum utilitatis ratio postulat. Etenim si reputaverint - quod res est- suam cuiusque causam hic agi, et Seminarium interdioecesanum vel regionale suarum cuique dioecesium Seminarii maioris instar esse, in quo ipsi eadem iura eademque officia singuli habeant, nihil sane, quod intelligant a se in eius bonum conferri posse, umquam recusabunt.

Em. Praefecto exsecutio commendatur.

Haec habuimus, dilecte Fili Noster, ad te de clericorum institutione scribere. Iam istius, cui praees, Urbani Consilii

(1) Can. 1354 § 3.

erit curare, ut tum in sacris Seminariis Collegiisque clericorum tum in magnis Lyceis et *facultatibus* seu doctorum ordinibus quicumque eidem Consilio subiecti sunt, ea diligenter ubique ad effectum adducantur. Eadem ipsa igitur, ex auctoritate Nostra omnibus, quorum interest, tu significabis. Deprecante autem Virgine beatissima, Eius Matre qui est *Sacerdos in aeternum*, confidimus rem magno cum emolumento sacri ordinis, Dei miserentis gratia, successuram.

Auspicem interea divinorum munerum ac peculiaris Nostrae benevolentiae testem, apostolicam benedictionem tibi, dilecte Fili Noster, amantissime impertimus

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 1 mensis augusti, anno MCMXXII, Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP. XI

---

52. — S. Congr. de Religiosis

Responsum 1 aug. 1922

De acceptatione rescripti saecularizationis vel dispensationis votorum.

(A. A. S. 1 ang. 1922, 14, 501)

Dubiuns. Huic Sacrae Congregationi propositum fuit pro opportuna solutione sequens dubium :

« An Religiosum qui saecularizationis indultum aut simplicium votorum dispensationem impetravit, possit primum « aut alteram recusare cum a locali Superiore eiusdem notitiam accipit, quamvis Superior generalis in scriptis iam exsecutoriale decretum rescripti emiserit ad normam can. 56 « Codici iuris canonici. »

Responsum S. Cong. Praerequisito igitur Consultorum voto, dubium propositum fuit E.mis PP. in plenario coetu diei 9 iunii 1922, qui, re mature perpensa, respondendum censuerunt :

« *Affirmative*, dummodo Superiores graves rationes in contrarium non habeant, quo in casu ad Sacram Congregationem « referant. »

Approbatio Pontificis. In audientia autem die sequenti habita ab infrascripto Secretario, SS.mus Dominus Noster Pius Pp. XI E.morum PP. resolutiomem adprobavit.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 1 augusti 1922. *Dies (1 aug. 1922).*

C. Card. LAURENTI, *Praefectus*

L ✠ S.

Maurus M. Serafini, O. S. B., *Secretarius*

ANNOTATIONES

1. Praesenti responso confirmatur simile iam a S. Sede datum 15 mart. 1892 a S. C. *Super disciplina regulari* in causa Ord. Fr. Min. Reformatorum datum, quo post impetratum rescriptum et appositam exsecutionis formulam, religiosus declaratus est nondum dispensatus (1), ita ut in eius arbitrio sit in religione manere vel ab ea discedere.

Iuridica responsi ratio desumi potest ex c. 37, qui validum rescriptum cum eius non usu componit. Quod de rescripto impetrato pro alio ibi statuitur, id de rescripto impetrato pro se nunc valere decernitur.

Philosophica seu moralis ratio afferri potest, favor quem Ecclesia constantiae in vocatione religiosa tribuere solet.

2. Quid autem si, antequam e domo exierit, religiosum acceptantem acceptatae dispensationis vel saecularizationis paeniteat? Acceptatione religiosi, iuridicus actus est perfectus, ita ut in unius partis facultate iam non sit se eius effectibus subtrahere. Propriae religionis Constitutiones et usus in primis consulenda sunt. Verum, nonne, ad mentem praesentis responsi, permitti potest ut consentientes Superior et dispensatus actum pro infecto habeant, si mox retractatus fuerit; praesertim si nondum innotuerit? Sic, ante codicem, pro non interrupto habebatur noviciatus novicii qui mox post discessum reverteretur, sic ante externam exsecutionem, pactio mutuo consensu rescindi potest.

(1) *Acta Sanctae Sedis*, 26, p 320.

3. Quod de religioso impetrante declaratur, valet quoque de Superiore expellente. Is potest iussionem suam retractare, donec acceptata fuerit; immo, sed tunc annuente ipso expulso, donec is religioni re vera valedixerit.

4. Vis praesentis responsionis nullo concesso Superioribus iure temperatur. Si enim graves rationes recusationi contrarias habeant, S. C. recursum ad S. Sedem praescribit. Fieri tamen potest ut religiosus, v. g. votorum temporariorum, ipsa inconstantia sua gravem causam dederit cur invitus dimitti queat. Qui casus si interciderit, Superiores iure suo dimittendi uti non prohibentur.

---

53. — S. Congr. Rituum

Responsum 8 iul. 1922

Dubium. **De Missis infra octavam privilegiatam II ordinis**

(A. A. S. 31 aug. 1922, 14, 504)

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione: « Utrum « infra Octavam privilegiatam tertii ordinis, uti est, Romae, « Octava Ss. Petri et Pauli Apostolorum, occurrente festo ritus « semiduplicis, dici possint Missae de ipsa Octava; an prohi- « beantur per novas Missalis Rubricas, tit. IV, n. 5? ».

Responsum. Et Sacra eadem Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis voto, omnibus perpensis, respondendum censuit:

« *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam; *Dies (8 iul. 1922).* « et Rubrica intelligenda est de Officiis ab ipsa Octava extra- « neis ».

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 8 iulii 1922.

✠ A. Card. Vico, *Ep. Portuen. et S. Rufinae S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

Responsum huic dubio a Congregatione factum

momento non caret ad determinanda principia quae in interpretandis rubricis prae oculis habere oportet.

Qui enim rubricam de qua in quaesito in sensu rigoroso et ad litteram intellegere vellet, ille procul dubio in casu proposito solutionem prosus diversam dare debuisset, scilicet Missam de octava non licere. Sic enim habet praedicta rubrica : « Singulis diebus in quibus non occurrat officium duplex, dominica quaevis... octava privilegiata... dici possunt ritu festivo Missae etiam privatae, de quovis officio ad Laudes commemorato... salvis amplioribus privilegiis quae in praesenti tit. IV, nn. 1-4 ac tit. II, n. 10 sunt indicata ». Ampliora illa privilegia hic non favent ; nam tit. II n. 10 agitur de Missis cantatis quae et ipsae infra octavas privilegiatas prohibentur ; tit. vero IV nn. 1-4 quaestio est de Missa unica in cantu quae de Patrono, Titulo, Dedicatione vel Fundatore aut de Festo quod cum magna populi frequentia celebratur, permittitur in die propria si officium impeditur, necnon in die in qua de huiusmodi festo sollemnitas externa celebratur ; aut tandem de Missis quas celebrare licet de Festis duplicibus maioribus aut minoribus vel semiduplicibus quae perpetuo vel accidentaliter impediantur. In his porro non comprehenditur dies infra octavam, etiam privilegiatam ; privilegium etenim non conceditur omni officio ritus semiduplicis sed tantum *festis* huius ritus, sub quo nomine non veniunt dies infra octavam. Occurrente proinde alio officio praevalente, Missa de die infra octavam, etiam privilegiatam, iis tantum diebus celebrari poterit qui tit. IV, n. 5 non excluduntur; idest, si rubrica in suo sensu litterali intellegitur, de octava privilegiata, quae commemorationem tantum obtinet, quodcumque sit officium prevalens, numquam poterit Missa celebrari. Porro talis non potest esse verus sensus rubricae, haec enim certis diebus prohibet Missas tam votivas

quam de officio commemorato, ut Missa dignioris officii rarius omittatur; sed in casu Missa dignior. cui rubrica vult favere, non est missa festi semiduplicis, sed diei infra octavam; hanc proinde in casu prohibere fini a rubrica intento directe repugnaret, et sic privilegium quod rubrica octavae privilegiatae concedit, ipsi vergeret in detrimentum; ex ipsa ergo natura rei rubrica « intellegenda est de officiis ab ipsa octava extraneis ».

IOS. PAUWELS. S. L.

---

54. - S. Congr. Rituum

Responso 4 aug. 1922

De fidelibus qui celebranti respondeant vel cum eo plura legant.

(A. A. S. 31 aug. 1922, 14, 505)

Dubia

Sacrorum Rituum Congregationi proposita sunt, pro opportuna declaratione, sequentia dubia; nimirum:

« I. An liceat coetui fidelium adstanti sacrificio Missae, « simul et coniunctim respondere, loco ministri, sacerdoti ce- « lebranti?

« II. An probandus sit usus, quo fideles Sacro adstantes, « elata voce legant Secreta, Canonem, atque ipsa Verba Conse- « crationis, quae, paucissimis in Canone verbis exceptis, iuxta « Rubricas *secreto* dici debent ab ipso sacerdote ».

Responsa

Et Sacra Rituum Congregatio, audito speciaiis Commissionis voto, omnibus mature perpensis, ita respondendum censuit:

« Ad I. Ad R.mum Ordinarium iuxta mentem » Mens autem « est: Quae per se licent. non semper expediunt ob inconve- « nientia quae facile oriuntur, sicut in casu, praesertim ob « perturbationes quas sacerdotes celebrantes et fideles adstan- « tes experiri possunt cum detrimento sacrae actionis et ru- « bricarum. Quapropter expedit, ut servetur praxis communis.

« Ad II. *Negative;* neque permitti potest fidelibus adstan- « tibus quod a Rubricis vetitum est sacerdotibus celebrantibus, « qui Canonis verba *secreto* dicunt, ut sacris Mysteriis maior « reverentia concilietur, et in ipsa Mysteria fidelium veneratio, « modestia et devotio augeantur; ideoque mos enuntiatus,

« tamquam abusus, reprobandus est, et, sicubi introductus sit, « omnino amoveatur ».

Atque ita rescripsit, declaravit atque decrevit. Die 4 augusti 1922. *Dies (4 aug. 1922).*

✠ A. CARD. VICO, *Ep. Portuen. et S. Rufinae S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S. *Alexander Verde, Secretarius.*

ANNOTATIONES

I. Multum ultimis temporibus disputatum est de liceitate et opportunitate *Missae dialogatae*. Quidam acriter eam impugnaverunt uti R. D. Al. BARIN (1) et praecipue R.mus I. B. PIGHI qui hanc thesim statuit: « Missa dialogata est reicienda, quippe quae suspicione originis sectariae non vacat, et evidenter pluribus rubricis opponitur ». (2) Contra, plerique in re liturgica periti pro ea stant: sufficiat indicare varios articulos qui prodierunt in *Questions liturgiques*. R. D. M. RIGHETTI (3), R. D. V. DELAPORTE (4), R. P. DE SPIEGELEERE S. S. S. (5), R. D. VISMARA (6), et praecipue R. P. D. L. BEAUDUIN (7), R. P. I. M. HANSSENS S. J., (8) ac R. D. CALLEWAERT (9). Hi auctores contendunt Missam dialogatam, si sano modo intellegatur, et populus nullam partem sibi assumat

---

(1) A. BARIN. Circa Missam quam dialogatam appellant *Ephem. liturg.* aug. 1921 p. 299.

(2) Mons. Can. Gio. B. PIGHI. La Messa dialogata, *Bollettino Ecclesiastico della Diocesi di Verona* Dicem. 1921 e Gennaio 1922.

(3) M. RIGHETTI. De Missa dialogata, *Ephem. liturg.* sept. 1921 p. 350.

(4) V. DELAPORTE. *Revue Gregorienne* 1921, p. 115.

(5) P. D. DE SPIEGELEERE S. S. S. De gedialogeerde Mis. *Eucharistia*, oct. 1921 p. 261.

(6) VISMARA. La Liturgia cristiana e partecipazione del Popolo 1919 p. 34. *Monitore Ecclesiastico* 1921 p. 119.

(7) D. L. BEAUDUIN, O. S. B. De Missa dialogata. *Ephem. liturg.* oct. 1921, p. 396; *Questions liturgiques*, dec. 1921 p. 263. Cfr. etiam *Questions liturgiques*, sept. 1922, p. 223.

(8) J. M. HANSSENS S. J. *La Messe dialoguée.* NOUVELLE REVUE THÉOLOGIQUE, t. 48, juin 1921 p. 292.

(9) C. CALLEWAERT. *Gezamentlijk antvoorden van het volk op de gebeden van den priester.* LITURGISCH TIJDSCHRIFT t. IV 1914 p. 183 et 271. - *Liturgicae Institutiones*, Tr. I *De S. Liturgia universim*, p. 30.

quae ministris aut ipsi celebranti reservantur, uti certo esset v. g. recitatio *Pater noster* et a fortiori orationum quae dicuntur *Secretae* et *Canonis*, nulli legi liturgicae repugnare, cum acolythus ex proprio officio ad altare debeat ministrare, in respondendo autem potius partes agat ipsius populi; immo, hanc methodum sacro astandi, theoretice saltem, excellentem ducunt, utpote quae faveat activae populi participationi sancto Sacrificio; ultro tamen concedunt practice hanc methodum nonnullis incommodis posse esse obnoxiam, ideoque illam non nisi caute et prudenter esse introducendam.

II. Nihil mirum si in hac opinionum diversitate S. Rituum Congregatio de liceitate huius praxis fuerit pluries interrogata (1). Illi certo non favet, eam tamen non damnat tamquam illicitam, sed potius inexpedientem ducit ob incommoda quae ex tali praxi facile nunc oriri possunt.

Et primo quidem S. Rituum Congregationem nullo modo voluisse Missam dialogatam damnare tamquam illicitam, evidenter iam patet consideranti diversum modum quo ad utrumque quaesitum huius dubii respondet. In altero enim quaesito agitur de praxi a quibusdam « extremistis » forsan propugnata, sed quae nihil commune habet cum Missa dialogata, uti ab auctoribus supra laudatis propugnatur; et disertis verbis talis praxis severe damnatur, *Negative;* ideoque mos enuntiatus, *tamquam abusus, reprobandus est*, et, sicubi introductus sit, *omnimo amoveatur*. In responso ad I nulla invenitur talis damnatio vel prohibitio, sed potius non obscure contrarium indicatur: *Quae per se licent, non semper expediunt.*

---

(1) Responsa anteriora in *Acta Apostolicae Sedis* non fuerunt promulgata; apud *Ephemerides liturg.* aug. 1921 duo responsa legere est, quae quod ad substantiam, immo pro altero fere quod ad verba, cum decreto nunc promulgato coincidunt.

Attamen, ob inconvenientia quae facile oriri possunt, noluit Congregatio simpliciter Missam dialogatam permittere; ex alia tamen parte, neque eam voluit simpliciter prohibere, sed rem totam remisit prudentiae Ordinarii, quem tamen vult prae oculis habere illa inconvenientia, et cui insuper hanc normam directivam tradit *expedire ut servetur praxis communis*. Nihil ergo prohibet quominus Ordinarius, si iudicet in certis circumstantiis, v. g. in sacello alicuius communitatis religiosae, aut seminarii vel collegii, praxim Missae dialogatae illis incommodis ansam non praebere, eam permittat, praesertim si usus iam invaluerit; neque prohibemur sperare paulatim futurum ut, mutatis circumstatiis, incommoda evanescant, quod sinet ut Ordinarius in concedenda facultate faciliorem se praebere queat.

IOS. PAUWELS, S. J.

---

55. - S. C. De Seminariis, etc.

Decretum 2 aug. 1922

De unione seminariorum Calvensis et Theanensis in seminarium interdioecesanum Theani constituendum.

(A. A. S. 31 aug. 1922, 14, 508)

Deficiens status seminariorium.

Pluribus abhinc annis sacra Seminaria diocesium Calven. et Theanen., quae aeque principaliter sunt unitae, pro variis rerum adiunctis minime ad eas normas ordinari et regi compertum est, quae horum institutorum naturae et fini respondent, quasque Sedes Apostolica iugiter praescripsit.

Hinc, mandatum exsequens Benedicti XV.

Quapropter SS.mus D. N. Benedictus PP. XV, cui nihil est antiquius, nil potius quam ut haec instituta pariter doctrinae integritate et vitae sanctimonia floreant, omnibus mature perpensis, censuit aequiori clericorum institutioni consultum fore, si ambo dioecesium Calven. et Theanen. Seminaria coalescerent in unum, et hoc in ipsa civitate Theanen., ubi Episcopus degit, cui munus est praecipuum assiduam vigilantiam suam bono

alumnorum sacri ordinis impertiendi. Quod consilium non modo nullum dioecesi Calven. afferet detrimentum, imo potius maximam utilitatem et commodum ; siquidem exploratum est dioecesium fortunam cum recta clericorum institutione coniungi.

Proinde haec Sacra Congregatio Seminariis praeposita, cui ab ipso Beatissimo Patre demandatum est ut ea statuat quae huic exsequendo consilio paria sunt, praesenti decreto quae sequuntur decernit :

S. C. Seminarium interdioecesanum ordinat.

I. Ex duobus Seminariis Calven. et Theanen. nunc exsistentibus fiat unum, et hoc constituatur in civitate Theanen., sit utrique dioecesi proprium, et Seminarium interdioecesanum Calven. et Theanen. nuncupetur ;

II. Bona et reditus, iura et onera simul et privilegia ad Seminaria Calven. et Theanen. spectantia, Seminario interdioecesano exinde addicantur ;

III. In eligendo Deputatorum coetu sive pro disciplina, sive pro bonorum temporalium administratione, ad normam can. 1359, Episcopus utrumque Capitulum Calven. et Theanen. audiat.

R.mo Ordinario Calven. et Theanen. Sacra Congregatio tribuit facultatem quae superius statuta sunt exsequendi, eique mandat ut de peracta exsecutione ad ipsammet referat.

Contrariis quibuslibet, etiam specifica mentione dignis, minime obstantibus.

Dies (2 aug. 1921).

Datum Romae, die 2 augusti, anno 1921.

CAIETANUS Card. BISLETI, *praefectus.*

L. ✠ S.

Ioseph Rossino, Substitutus.

ANNOTATIO

1. Cum iam duae dioeceses Calven. et Theanen. ipsa facta unione satis exiguae demonstrentur, facile intelligetur, aegre tantum cum recta studiorum ordinatione et clericorum institutione separationem seminariorum componi posse. Quocirca S. Pontifex Benedictus XV prudenter statuit, ut ambo seminaria in unum coalescerent, quod, Theani exsistens, interdioecesanum Calven. et Theanen. nuncuparetur.

2. Simul ratio cur interventus S. Sedis requiratur, fit manifesta, eo quod utriusque seminarii, Calven. et Theanen. bona, iura, privilegia, onera, alii subiecto, i. e. novo seminario addicenda erant.

3. Peculiari modo facienda dicitur designatio coetus deputatorum, quatenus utriusque dioecesis capitulum sit audiendum.

---

56. - S. C. De Religiosis

Responsa 11 oct. 1922.

De monialium monasteriorum fundatione, translatione et professione.

(A. A. S. 31 oct. 1922, 14, 554).

DUBIA

Dubiorum occasio.

S. Congr. De Religiosis sequentia dubia fuerunt proposita pro opportuna solutione:

Contingit aliquando ut monasteria monialium, ex instituto quidem votorum sollemnium, in quibus tamen ex praescripto Apostolicae Sedis pro aliquibus locis vota non nisi simplicia emittuntur., procedant ad fundandum novum monasterium eiusdem Ordinis, missis aliquibus monialibus in locum eidem praescripto minime obnoxium. Hinc quaeritur:

tenor

I. An vota emissa aut emittenda, in novo monasterio, ut supra fundato aut fundando, habenda sint sollemnia ad normam iuris communis.

II. An moniales de quibus in can. 488, n. 7, possint alibi fundare monasteria absque beneplacito Sedis Apostolicae.

III. An monasterium monialium cum votis sollemnibus et clausura papali, quando in alium locum transfertur, pergat esse clausurae Papalis et votorum sollemnium.

IV. Quid iuris, quando monasterium monialium, de quibus in can. 488, n. 7, transfertur in locum ubi non viget praescriptum S. Sedis de quo in dicto canone.

Responsa S. Congr. 21 iul. 1922.

Porro Emi Patres S. Congr. Religiosorum Sodalium negotiis praepositae, in plenario coetu habito die 21 iulii 1922, re mature perpensa, respondendum censuerunt:

Ad I. *Affirmative,* dummodo accedat beneplacitum Apostolicae Sedis.

Ad II. *Negative,* et supplicandum SSmo ut fundationes huiuscemodi hactenus absque Sedis Apostolicae interventione peractas sanare dignetur.

Ad III et IV. Recurrendum in singulis casibus ad Apostolicam Sedem.

Approbatio SS.mi 27 iul.

Facta audem de omnibus relatione SSmo Domino Nostro Pio Divina Providentia Papa XI, in audientia habita ab infrascripto P. Secretario die 27 iulii, Sanctitas sua Emorum Patrum sententiam ratam habere et sanationem de qua in dubio II concedere dignata est.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Dies (11 oct. 1922).

Romae, ex Secretaria S. Congregationis de Religiosis, die 11 oct. 1922.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus*

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B. Secretarius

ANNOTATIONES

I Responsum ad I. quatenus affirmat sollemnitatem votorum, hoc principio nititur, regulam ipsa exceptione in casibus non exceptis firmari. Moniales pertinentes ad institutum votorum sollemnium per se talibus votis se Deo mancipant. In quibusdam locis, ex Apostolicae Sedis praescripto, non habent nisi vota simplicia. Verum extra ista loca commune eorum statutum reviviscit.

Quatenus autem ut sollemnitatis condicionem exigit beneplacitum S. Sedis, S. C. sententiam tenet quae post Codicis canonem 497, § 1 non iam ambigitur, cum beneplacitum Apostolicum ad erectionem monasterii monialium ibi expressis verbis postuletur.

Ante Codicem res controvertebatur ; et, 22 maii 1895, in Ruremondensi S. C. *Episcoporum et Regularium*, respondendo ad 3 « *Dilata* » dubium tunc dirimere noluit.

Sollemnitas affirmatur de votis quae in novo monasterio sint emissa aut emittenda. Quid autem de votis monialium quae cum votis simplicibus monasterium votorum sollemnium fundarunt ? Etsi S. Sedis

auctoritate earum vota simplicia in sollemnia converti possint, mutatio ista non est sine argumento affirmanda. Quocirca, deficiente indicio positivo, opinamur vota earum manere simplicia.

II. Alterum quaesitum parumper obscurum est, cum in can. 488, n. 7 de omnibus monialibus agatur, tam de iis quae vota sollemnia emittunt quam de aliis quarum professio non iam est nisi simplex. Nihilominus responsum datum est generale: nullas fundationes monasteriorum sine beneplacito Apostolico fieri posse. Ideo additur sanationis consilium, quod a SS. Domino exauditum est. Sanatio ista plena sumenda est, ita ut locis ubi vigeat ius commune, de sollemnitate votorum emissorum et emittendorum, non sit dubitandum.

Nolimus tamen necessitatem istius beneplaciti ad moniales Belgii et Galliae transferre. Etenim, ex declaratione 22 maii 1919, nihil innovandum *est* in dependentia Monialium praedictarum ab Ordinariis locorum in Gallia et in Belgio, prout post restaurationem ab uno saeculo et amplius hucusque observatum est » (1). Si ergo sola Ordinariorum auctoritate monasteria monialium ibi erecta sunt, moniales dicendae sunt ibi Sororibus etiam in novis domibus condendis aequiperari.

III. Propter varietatem adiunctorum, noluit S. Sedes quidpiam de tertio et quarto dubio generaliter pronuntiare. Ceterum, cum beneplacitum Apostolicum pro omni fundatione sit necessarium, plerumque uno eodemque recursu res componetur.

Anno vero 1895, in praefata causa Ruremondensi, S. C. Episcoporum et Regularium respondit sollemnia fuisse et esse vota Ursulinarum quae e conventu Dortensi, in Borussia, expulsae, in Hollandiam se rece-

(1) Cf. *Periodica*, X, 69.

perant, ibique in domo, sola Ordinarii auctoritate erecta (in loco Weert) professionem ut moniales Dortenses emiserant.

Propter clausuram papalem quae in monasterium votorum sollemnium inducenda est, videtur ipsa translatio talis monasterii beneplacito Apostolico indigere.

---

57. - Pont. Commissio Codici interpretando

Responsa 14 iul. 1922

(A. A. S. 31 aug. 1922, 526)

Dubia soluta in plenariis comitiis

I

De acquisitione domicilii (can. 93)

Domicilium uxoris

Utrum uxor, a viro malitiose deserta, possit, ad normam can. 93, § 2, obtinere proprium ac distinctum domicilium.

Resp. Negative, nisi a iudice ecclesiastico obtinuerit separationem perpetuam, aut ad tempus indefinitum.

II

De obligationibus clericorum (cann. 130, 590)

Examen theol. post studia.

Utrum parochi vel vicarii curati religiosi examen, de quo in can. 130, § 1, subire teneantur coram Ordinario eiusve delegato, si coram Superiore religioso eiusve delegatis examen subierint, de quo in can. 590.

Et quatenus negative:

2. Utrum in casu negligentiae Superiorum religiosorum circa examen, de quo in cit. can. 590, Ordinarius loci cogere possit religiosos istos ut examen, ad normam cit. can. 130, § 1, coram se suisve delegatis subeant.

Resp. Ad 1. Negative.

Ad 2. Recurrendum esse in casu ad S. C. de Religiosis.

III

De amissione officiorum ecclesiasticorum (cann. 189, 191)

Utilis renun-

1. Utrum, ad normam can. 189, § 2, Ordinarius renuntia-

tionem valide acceptare possit, elapso iam integro mense a renuntiatione facta, quin nova intercesserit resignatio. *tia ionis acceptatio.*

Resp. Affirmative, nisi resignatarius ante acceptationem renuntiationis, renuntiationem Ordinario exhibitam revocaverit, et revocationem Ordinario significaverit.

2. Utrum, ad normam can. 191, § 1, resignans renuntiationem revocare valeat ante acceptationem.

Resp. Affirmative.

IV

De parochis (can. 460)

1. Utrum can. 460, § 2, applicetur dumtaxat ad paroecias erigendas post promulgationem Codicis; an etiam ad paroecias iam erectas. *De parochis cumulativis*

Et quatenus negative ad 1am partem, affirmative ad 2am;

2. Utrum idem canonis praescriptum applicetur etiam paroeciis, in quibus pluralitas parochorum inducta est non consuetudine aut privilegio, sed legitimo statuto.

Et quatenus affirmative:

3. Utrum iura iam quaesita parochis, ut aiunt, proportionariis seu cumulativis, integra maneant tum quoad spiritualia, tum quoad temporalia; an vero revocentur etiam quoad temporalia.

Et quatenus negative ad 1am partem, affirmative ad 2am;

4. Utrum cura animarum principalis et unica tribuenda sit parocho qui praeeminentiam honoris habeat prae aliis; an vero antiquiori possessione.

Resp. Ad 1. Negative ad 1am partem; affirmative ad 2am;

Ad 2. Affirmative.

Ad 3. et 4. Provisum in praecedentibus; pro applicatione vero canonis ad hos casus particulares recurrendum esse ad S. C. Concilii.

V

De vicariis substitutis et supplentibus quoad assistentiam matrimoniis (can. 465, §§ 4 et 5)

1. Utrum vicarius substitutus, de quo in can. 465, § 4, possit post Ordinarii approbationem licite et valide assistere matrimoniis, si nulla limitatio apposita fuerit. *Vicarius substitutus, assistens matrimoniis.*

2. Utrum idem vicarius id possit etiam ante Ordinarii approbationem.

3. Utrum idem vicarius parochi religiosi id possit post approbationem Ordinarii, sed ante approbationem Superioris religiosi.

4. Utrum vicarius, seu sacerdos supplens, de quo in cit. can 465, § 5, id possit ante approbationem Ordinarii.

Resp. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Negative.

Ad 3. Affirmative.

Ad 4. Affirmative, quoadusque Ordinarius, cui significata fuit designatio sacerdotis supplentis, aliter non statuerit.

VI

De vicariis oeconomis quoad applicationem Missae pro populo (cann. 466, 473)

Vic. oeconomus, applicare pro populo missam quomodo debeat.

Utrum vicarius oeconomus, qui plures paroecias tempore vocationis regit, unam tantum debeat Missam pro populis sibi commissis diebus praescriptis applicare.

Resp. Affirmative, ad normam can. 473, § 1, collati cum can. 466, § 2.

VII

De transitu ad aliam religionem (can. 634)

Suffragium pro admissione transeuntis.

Utrum suffragium Capituli in admittendo religioso, de quo in can. 634, ad professionem sollemnem aut simplicem perpetuam, habeat vim deliberativam; an tantum consultivam.

Resp. Affirmative ad 1am partem; negative ad 2am.

VIII

De collati baptismi adnotatione (can. 777)

Annotatio baptismi.

An verbum *illegitimi* canonis 777, § 2, omnes omnino comprehendat illegitime natos, etiam adulterinos, sacrilegos, ceterosque spurios, ita ut liceat parentum ipsorum cognomina inscribere in adnotatione collati baptismi.

Resp. Nomina parentum ita inserenda esse, ut omnis infamiae vitetur occasio: in casibus vero particularibus recurrendum esse ad S. C. Concilii.

IX

De irregularitatibus aliisve impedimentis (can. 987)

Quinam filii

Utrum nomine *filiorum*, de quibus in can. 987, n. 1, in-

telligendi sint tantum descendentes in linea paterna usque ad primum gradum. *acathoticorum sint impediti.*

Resp. Affirmative.

X

De custodia ac cultu sanctissimae Eucharistiae (can. 1274)

Utrum ecclesiae, in quibus, ad normam can. 1274, § 1, sine Ordinarii licentia fieri potest expositio publica seu cum ostensorio die festo Corporis Christi et infra octavam inter Missarum sollemnia et ad Vesperas, sint illae tantum quibus datum est asservare sanctissimam Eucharistiam. *Expositio SS.i in festo et octava corp. Christi.*

Resp. Affirmative, firmo praescripto can. 1171.

XI

De reductione onerum Missarum (cann. 1517 et 1551)

Utrum Ordinarius, ad normam can. 1517 et can. 1551, ob imminutos reditus, onera Missarum reducere valeat, si id in tabulis fundationum expresse caveatur. *Reductio onerum testamento permissa.*

Resp. Affirmative.

XII

De foro competenti (can. 1565)

Utrum, ad normam can. 1565, § 1, pars ratione contractus conveniri possit coram Ordinario loci, in quo contractus initus est vel adimpleri debet, etiamsi e loco discesserit. *Forum competens ex contractu.*

Resp. Negative, salvo praescripto § 2 citati canonis.

XIII

De sententia (cann. 1874 et 1894)

Utrum, ad normam can. 1874, § 5, et can. 1894, n. 3, nullitatis vitio laboret sententia lata a tribunali collegiali, et subscripta tantum a praeside tribunalis et notario. *Sententia non collegialiter subscripta.*

Resp. Affirmative.

XIV

De foro competenti in causis matrimonialibus (can. 1964)

1. Utrum uxor a viro malitiose deserta, eum in causa matrimoniali, ad normam can. 1964, convenire possit coram Ordinario proprii ac distincti quasi-domicilii; an vero convenire debeat coram Ordinario domicilii vel quasi domicilii viri. *Forum competens in causa matrimoniali*

Resp. Negative ad 1am partem; affirmative ad 2am.

2. Utrum actrix catholica, a viro non legitime separata, quae proprium ac distinctum quasi-domicilium habet, virum

acatholicum in causa matrimoniali, ad normam can. 1964, convenire possit tantum coram Ordinario proprii ac distincti quasi-domicilii ; an vero etiam coram Ordinario domicilii viri.

Resp. Cum uxor in casu habeat proprium ac distinctum quasi-domicilium, et sequatur domicilium viri, potest virum convenire coram alterutro Ordinario.

XV

De subiecto coactivae potestati obnoxio (can. 2233)

Monitio infligendae censurae requisita.

Utrum, ad normam can. 2233, § 2, ob violationem praecepti peculiaris, quod communitum erat censura ferendae sententiae, statim post delictum comprobatum censura infligi possit ; an vero praemittenda sit nova monitio.

Resp. Affirmative ad 1am partem ; negative ad 2am.

Romae, 14 iulii 1922.

P. Card. GASPARRI, *Praeces.*

Aloisius Sincero, Secretarius.

ANNOTATIONES

1. **De acquisitione domicili.** I. Canon 93 uxori legitime non separatae domicilium mariti assignat. Quid ergo si vir eam malitiose deseruerit ? Nonne iam tunc pro *legitime* separata haberi potest, praesertim cum vir domicilium suum proprio arbitratu mutare queat ? Dubium itaque in significatione vocis *legitime* vertitur.

2. Merito autem Pontificia Commissio, voces *licite* et *legitime* distinguens, pro legitima habere noluit separationem quae, quia involuntaria, uxori non erat imputabilis ac proin, pro ipsa, licita evaserat. Sed necesse esse dixit ut, allegato mariti discessu, uxor saltem a iudice ecclesiastico separationem perpetuam aut ad tempus obtineret.

3. *Ecclesiastici* iudicis sententia postulatur, quia ex c. 1960, « causae matrimoniales inter baptizatos iure proprio et exclusivo ad iudicem ecclesiasticum spectant ».

Quid autem si concordato pernittitur aut consuetudine toleratur ut causae separationis a iudice civile dirimantur? Consequens tunc esse videtur ut sententia laici iudicis fundet separationem legitimam, quae distinctum uxori domicilium permittat.

4. Immo ne sententia quidem semper opus erit. Etenim, cc. 1330 et 1131 *legitimam* pronuntiant separationem coniugis innocentis qui, propter alterius adulterium, vel propter manifestam et urgentem causam qua vita communis importabilis fiebat, propria auctoritate discesserit. Ipso itaque iure erit tunc impleta condicio necessaria, ut uxor separatum domicilium constituere possit.

II. **De examinibus post sacerdotium.** 1. Contra ac proposita quaestio insinuat, c. 130 nullum examen parochis et vicariis qua talibus speciatim praecipit, sed commune imponit examen sacerdotibus, post expletum studiorum curriculum, « etsi beneficium paroeciale » sint consecuti, idque saltem per tres annos. Religiosis vero simile examen per quinque annos, canone 590 faciendum praescribitur. Dependentia autem qua parochi religiosi, tamquam parochi, Ordinario loci subordinantur non est ratio cur bis examinandi sint. Quare duplex ista obligatio merito negata est.

Quid autem si Superior religiosus examen neglexerit? Praecipiendo recursum ad S. C. *de Religiosis*, Commissio simul exemptioni plurium religiosorum et stimulandae Superiorum diligentiae providit.

III. **De renuntiatione officiorum.** Can. 189 mere praescribit ut Ordinarii renuntiationem intra mensem acceptent vel reiciant, nullam autem condicionem valoris introducit. Quare, etiam expleto mense, renuntiatio valide acceptari potest. Renuntiatio autem ante acceptationem non est perfecta seu completa. Quare, sive intra sive ultra mensem, renuntians suam abdicationem revocare potest donec acceptata non fuerit;

nec locus est canoni 191, § 1, qui, « semel legitime facta renuntiatione », paenitentiam excludit.

IV. **De parochis cumulativis.** C. 460 « reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio », vetat ne plures parochi *simul* actualem curam eiusdem paroeciae gerant. *Simul*, inquam : non agitur enim de parochis qui successive seu per turnum actualem curam interdum suscipiunt. Verba tam absoluta Codicis exceptionem de quibus fiebant quaestiones excludebant. Practica tamen manet difficultas definiendi quisnam e pluribus parochis officium servare, quisnam idem dimittere debeat. Quod cum aliter in alio casu dirimendum sit, Commissio generalem regulam approbare noluit, sed rem S. C. *Concilii* prudenter remisit.

V. **De vicariis substitutis et supplentibus, eorumque assistentia matrimoniis.** Ex c. 465. § 4, parochus, quotiescumque ultra hebdomadam abfuturus est, suo loco relinquere debet vicarium substitutum, quem Ordinarius loci, et etiam, si parochus religiosus fuerit, eius Superior probare debent. Si tamen repentina et gravis causa parochum avocaverit, § 5 sinit ut parochus sacerdotem supplentem sibi eligat, atque Ordinarium de re commonefaciat. Ex c. autem 474, vicarius iste « locum parochi tenet in omnibus quae ad curam animarum spectant, nisi Ordinarius loci vel parochus aliquid exceperint ».

Hinc quaeritur quatenus idem vicarius competens sit pro matrimoniis. Et cum, ex c. 474, vicarius iste sit, in omni cura animarum, pro parocho, liquet eum competentem esse post approbationem, cum tunc rite constitutus sit Atque ad id sufficere approbationem Ordinarii, Commissio merito respondit, cum Ordinarius plenam competentiam matrimonialem, sicut ipsam iurisdictionem cuilibet sacerdoti sua delegatione (1)

(1) Generalis tamen solis vicariis valide dari potest.

tribuere queat, ita ut consensus religiosi Superioris solam afficiat liceitatem actus, idque ex parte parochi religiosi seu subditi Superioris. Ante receptam approbationem Ordinarii loci, id nec licite nec valide posset, quia nondum est vicarius, et solus vicarius *generaliter* delegari potest. Sed pro assistentia matrimonio particulari inter definitas personas contrahendo, sacerdos qnivis, ac proin etiam nondum probatus vicarius, a parocho legitime delegari potest. Quia autem, ex § 5 praevia Ordinarii approbatio in casu urgente et gravi non requiritur, substitutus poterit tunc iam ante approbationem matrimoniis assistere, donec Ordinarius, cuius mandatis standum dicitur, nihil aliud satuerit.

VI. **De Vicariis oeconomis et missa pro populo.** Vicarius *oeconomus* dicitur qui ab Ordinario designatur ut vacantem paroeciam regat; per quod tempus iura et officia parochi participat, ac proin missam pro populo sicut parochus applicare debet. **Quid** ergo, si plures paroecias regat? Merito, ex analogia applicandus dicitur c. 466, § 2, qui parocho plures paroecias regenti unam tantum missae applicationem praescribit.

VII. **De professione religiosi transeuntis.** Ex c. 634, religiosus qui iam votis perpetuis ligatus ad aliam religionem transierit, absoluto novicatu, ilico, omissis votis temporariis, ad professionem perpetuam admittendus est. Ex c. autem 575, § 2, suffragium capituli vel Consilii non statuitur deliberativum nisi pro prima professione temporaria; et pro perpetua statuitur consultivum.

Quodnam igitur suffragium capituli seu consilii dandum erit, ut transiens religiosus ad vota perpetua admittatur? Et quia nulla praecedenti occasione, capitulum seu consilium de isto religioso decernere quidquam potuerit, vis deliberativa ascribitur isti suffragio

quod, quamvis sit de professione perpetua, est tamen de prima professione in religione ad quam professus transierit.

VIII. **De annotatione baptismi illegitimorum.** C. 777, § 2, vult ut in baptismali libro, baptizati, filli illegitimi, mater annotetur si eius maternitas palam constet, vel ipsa sponte id scripto vel coram duobus testibus petat; pater autem, si id eodem modo requirat, vel ex publico authentico documento sit notus. **Quaeritur** iam de universalitate istius dispositionis, etiam si agatur de adulterinis, sacrilegis ceterisque spuriis. Responsum est nomina ita inserenda esse, ut omnis infamiae occasio vitetur: in casibus vero particularibus recurrendum esse ad S. *C. Concilii.*

Quia, extra casus manifestae originis, nomina non inscribuntur nisi postulante parente, qui proin iuri famae suae renuntiat, de sola infamia baptizati sermo esse potest. Occasio infamiae vitari videtur, si nota peculiaris nativitatis non exprimatur, ita ut puer seu baptizatus non designetur ut adulterinus, spurius, sed mere ut natus ex Titio et Bertha. Verum fieri potest ut alia ex annotatione timenda sint detrimenta, v. g. religioni, si audax sacrilegus sacerdos velit ut pater pueri designari. Tunc ad S. C. *Concilii* recurrendum dicitur. Etenim, cum non agatur iam de ipsa sacramenti collatione sed de praecepta eius annotatione, res non ad S. C. *de Sacramentis* verum ad S. C. *Concilii* pertinet.

IX. **De impeditis ab ordinatione.** Ex responso praesenti filius patris catholici non est a recipienda ordinatione impeditus, quamvis mater acatholica fuerit. Quo suo responso, Commissio temperat severiorem responsionem qua, die 16 oct. 1922 ad 13, declaraverat impeditis annumerandum esse eum cuius pater tantum sit catholicus alter parens acatholicus. Cf. *Periodica* X, p. 101. Id tamen ex hoc responso retinebimus,

catholicam matris religionem auferendo impedimento non sufficere.

X. **De Expositione SS.mi in die festo Corporis Christi et infra octavam**. Canon 1274 explicat quatenus in ecclesiis, et oratoriis *quibus datum est asservare Sanctissimum,* Sanctissimi expositio fieri permittatur. Liquet igitur facultatem publicae expositionis solis istis ecclesiis vel oratoriis esse dicto anone concessam. Commissio autem simul firmum vult praescriptum c. 1171, quo Ordinarius permittitur in omni ecclesia quae non est religionis exemptae, horas sacrorum rituum ob iustam causam praefinire. Ipsi igitur licebit horam missae sollemnis et vesperarum praecipere quae paroeciali functioni non noceat.

XI. **De reductione missarum.** Cum, sine ulla limitatione, cc. 1517 et 1551 Ordinario permittant reductionem onerum testamento vel tabulis fundationis expresse concessam, liquet id de oneribus missarum valere, sicut responsum est.

XII. **De Foro competenti.** Per se, ex c. 1559, § 3, actor forum rei sequi debet, seu eum convenire in loco ubi habeat domicilium vel quasi-domicilium. Attamen, ex c. 1565, § 1, conveniri potest quoque in loco quo contractus initus est vel adimpleri debet. Canonem istum interpretans, Commissio statuit id valere, dummodo ibi praesens adsit,nisi ex c. 1565, § 2, in actu contrahendi, locum elegerint in quo etiam absentes possit conveniri.

XIII. **De subscriptione sententiae. Quaerebatur** utrum ad ipsius sententiae valorem requireretur subscriptio sententiae collegialis ab omnibus iudicibus, quae c. 1874, § 5, praescribitur, an subscriptio solius praesidis et notarii sufficeret. Et cum, ex c. 1894, sententia vitio nullitatis laboret « 3. quando iure praescriptis subscriptionibus caret », severa Commissionis responsio ambigenda non erat.

XIV. **De foro competente in causis matrimonialibus.** Agens de causis quae non reservantur S. Sedi, nec pertinent ad civilem magistratum, c. 1964 competentem declarat iudicem loci in quo matrimonium celebratum est aut in quo pars conventa vel, si una sola sit catholica haec domicilium vel quasi-domicilium habeat. Hinc manifesta fit ratio responsionum Pontificiae Commissionis. Uxor actrix virum catholicum, quamvis culpandum desertionis, in suo proprio domicilio vel quasi-domicilio convenire nequit; si autem vir fuerit acatholicus, tunc quidem poterit eum convenire sive in proprio quasi-domicilio, sive in domicilio viri, quippe quod sit domicilium necessarium uxoris non legitime separatae.

Quaeres, propter responsum ad XII, utrum pars conveniri possit in loco matrimonii, etiam si ambo coniuges inde discesserint. Atque id affirmandum arbitramur, quia c. 1964 id absolute permittit, et « generi per speciem derogatur ».

XV. **De monitione censurae praemittenda.** Post commissum et comprobatum delictum, censura non est, ex c. 2233, infligenda, nisi monitione facta ut reus a contumacia recedat. **Quid** autem si praeceptum particulare communitum sit censura ferendae sententiae? Potestne tunc censura statim infligi, an nova monitio requiratur? Monitionem iam non requiri respondit Commissio Ratio cur ita responsum sit haec esse videtur quia particulari praecepto (secus ac generali) sufficiens monitio continebatur.

Fatemur tamen nos in explicanda responsione ista, non modicam difficultatem experiri. Quando censura decernitur latae sententiae nulla monitio requiritur, quia tunc, ipso momento quo delictum committitur, plectit delinquentem qui, eodem momento, est manifeste contumax. Quando autem est ferendae sententiae, delinquens non plectitur nisi per subsequen-

tem sententiam. Agitur ergo de infligenda censura, ita ut casus propositus canone 2233, § 2, vere comprehensus videatur. Et profecto, si inter delictum et sententiam, reus se paenitentem demonstraverit, censura infligi non poterit, cum attingeret aliquem qui non est contumax. Quare, ni fallimur, id unum pontificia Commissio intendit, in casu proposito, non esse locum concedendo, ad normam c. 2233, § 2, congruo tempori, ad resipiscentiam, nec faciendis monitionibus, ut a contumacia, adhuc persistente, recedat. Sed, cum citatur ad comparendum, vel iam recessit a contumacia, et non damnabitur, vel est contumax coram tribunali, et excommunicatione plectetur.

58. - S. Congr. de Religiosis

DECRETUM 30 nov. 1922

De Institutis iuris dioecesani

(A. A. S. 15 dec. 1922, 14, 644)

Memoratis dispositionibus iuris

Quod iam per Constitutionem *Conditae a Christo* Summus Pontifex Leo XIII fel. rec. statuerat, hoc clarius in Codice iuris canonici sancitum est: Congregationes nempe religiosas alias *iuris pontificii*, alias *dioecesani iuris* esse, ita ut utraque Congregationum classis religiosae societatis naturam vere habeat, cum iuribus quae ei competunt; inter quae illud fundamentale est quod quaelibet Congregatio religiosa, legitime constituta, personalitatem moralem ad normam iuris induat eaque potiatur. Ne autem in re tam gravis momenti ullum dubium oriri possit et de legitimitate eiusdem personalitatis iugiter constare queat, sapienter per can. 100, § 1 praescribitur ut personae morales (exceptis Catholica Ecclesia et Apostolica Sede) nonnisi per formale decretum a competente ecclesiastico Superiore erigi valeant.

et neglecto formali decreto,

Aliquando tamen, praecipue ante Constitutionem *Conditae a Christo* et Motu proprio *Dei Providentis* diei 16 iulii 1906

s. m. Pii Pp. X, factum est ut nonnullae Congregationes religiosae exsurgerent quae ab Ordinariis vel toleratae vel etiam implicite approbatae nunc censeantur, quin tamen constet eas per formale decretum fuisse erectas.

Quod cum pluribus incommodis aditum praebere possit, et praestet ut quicumque ambigendi locus circa Congregationum religiosarum legitimitatem auferatur, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, omnibus mature perpensis, ea quae sequuntur statuit:

Statuitur facienda inquisitio;

I. Quilibet Episcopus, aut Praelatus quasi-episcopalem iurisdictionem in territorio separato exercens, quamprimum inquirat de omnibus et singulis Congregationibus religiosis, aut Piis societatibus ad modum religiosorum viventibus, utriusque sexus, etiamsi unica domo constent, in sua dioecesi aut territorio existentibus, quae ab Apostolica Sede saltem per decretum laudis approbatae non fuerint:

1) An per formale decretum episcopale, cuius tenor cognoscatur, fuerint erectae.

2) An statuta seu constitutiones ab eadem auctoritate approbatas habeant.

et formalis recognitio.

II. Si quas invenerit Congregationes vel Pias societates quae decretum erectionis minime vel dubie obtinuerint, sed aequipollenter, per repetitos actus plurium annorum decursu ante Codicis promulgationem, ab Ordinario tamquam approbatae habitae fuerint, ex. gr. per professionis receptionem, sacram visitationem, episcopales ordinationes aut similia, Episcopus, nisi aliud adiuncta consulere videantur, iuxta inferius dicenda sub n. III, ea recognoscat per suum formale decretum, in quo, breviter iis quae hactenus praecesserunt expositis, Congregationem religiosam vel Piam societatem iuris dioecesani erectam declaret; dummodo pro Institutis, quae post supra memoratum Motu proprio *Dei Providentis* anni 1906 initium habuerunt, apostolicae Sedis venia obtenta fuerit, Statuit autem haec Sacra Congregatio ut praedictum recognitionis decretum vim habeat sanandi defectum canonicae erectionis quoad praeteritum, quatenus opus fuerit.

Quid, si institutum sit in pluribus dioecesibus;

III. Si Institutum in plures dioeceses fuerit diffusum, Ordinarius loci, de quo in n. I, est ille in cuius dioecesi exstat domus princeps, qui tamen decretum recognitionis ne edat nisi collatis consiliis cum ceteris Praesulibus ipsisque saltem non contradicentibus.

quid, si neganda videatur recognitio

IV. Si ob statum Instituti vel ob parvum alummorum numerum, aut ob defectum argumentorum de quibus in n. II, vel

aliis de causis, Ordinarius minime opportunum iudicaverit aliquam Congregationem aut Piam societatem, de qua in praecedentibus, per formale decretum recognoscere, vel aliquis ex Ordinariis, de quibus in n III, positive obstet, rem ad hanc Sacram Congregationem deferat.

Relatio ad S. Congregationem

V. De universis et singulis Congregationibus aut Piis societatibus iuris dioecesani iam legitime erectis, aut ut supra nunc recognitis, quarum domus praecipua vel unica domus in dioecesi in praesenti exsistat, Ordinarius ad hanc Sacram Congregationem elenchum mittat, in quo distincte exprimatur:

a) Titulus, *b*) scopus, *c*) fundatoris nomen et fundationis leges, *d*) erectionis aut recognitionis decretum, *e*) in quas dioeceses facta fuerit diffusio, *f*) alummorum et domorum numerus.

VI. Si quis loci Ordinarius in suae iurisdictionis territorio nullam Congregationis religiosae iuris dioecesani domum principem aut domum independentem in praesenti exsistere comperiat, certiorem de hac re faciat hanc Sacram Congregationem per expressam in scriptis declarationem.

Cautio de futuris erectionibus

VII. In posterum vero, quatenus Ordinarius, debita venia Apostolicae Sedis obtenta, aliquam novam Congregationem aut Piam sociatatem religiosam erigere voluerit, satagat ut erectio fiat per formale decretum in scriptis datum, cuius exemplar tam in tabulario Instituti quam in Archivo dioecesano servandum erit. De peracta autem huiusmodi erectione hanc Sacram Congregationem edoceat, ac decreti exemplar transmittat, in quo praecipue curet ut tam titulus quam scopus Instituti peculiaris explicite et exacte praefiniatur, habitis prae oculis iis quae de hac re in *Normis*, a Sacra Congregatione approbatis sub die 6 martii 1921, cap. II et IV (*Act. Ap. Sedis*, vol. XIII p. 312), habentur.

Approbatio SS.

Facta autem de omnibus relatione SS.mo D.no Nostro Pio divina Providentia PP. XI, in audientia habita ab infrascripto P. Abb. Secretario Sacrae Congregationis, die 25 novembris 1922, Sanctitas Sua decretum approbavit atque ab omnibus ad quos spectat servari mandavit.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Dies (30 nov. 1922).

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, die 30 novembris 1922.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus*

L. ✠ S.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., *Secretarius*.

ANNOTATIONES

Praesentis decreti finis esse conspicitur. ut, inducto maiore ordine et distinctiore notitia percepta et cum S. Sede communicata, nullius religionis vel similis Instituti status iuridicus in incerto versetur, atque ipsa S. Comgregatio suo conspectu universas religiones complecti queat. Quod ipsi in variis consiliis dandis, vel solvendis dubiis, vel aestimanda opportunitate novi Instituti valde utile erit.

Porro, in finem istum tria genere statuit: alia enim praestanda iubet ab episcopis vel quasi episcopis erga ipsa Instituta suae dioecesis vel quasi-dioecesis; alia ad se relata vult; et alia cavet de futuro.

I. *Praestanda erga ipsa Instituta.* 1. Quam primum, episcopi vel quasi-episcopi inquirere debent de omnibus Congregationibus religiosis et de Institutis quae ad modum religiosorum vivunt, ac proin, secundum descriptionem c. 673, § 1, « in *communi* degunt sub regimine Superiorum, secundum probatas Constitutiones »; de omnibus, inquam, exceptis tamen Institutis quae, obtento saltem decreto laudis, iam sunt iuris Pontificii. Ambo autem haec indicanda sunt: *a)* Suntne formali decreto erecta; *b*) Habentne statuta seu Constitutiones erigentis auctoritate approbata.

Ac bene fieri potest ut antiquiora Instituta nulla huiusmodi statuta habeant, cum sint ipsae moniales plures quae, praeter antiquam regulam, non habent nisi usu probatas leges vivendi in communi.

2. Si quae reperiant Instituta quae, certo aut probabiliter non fuerint nisi aequipollenter approbata, formali decreto recognoscantur et erecta declarentur. Id tamen faciendum non est nisi sint anteriora Motu Proprio *Dei Providentis*, 16 iul. 1906. Exinde enim non potuere licite condi nisi prius consulta S. Sede.

Si quae igitur reperiantur, sine tali venia, conditae post 16 iul. 1906, S. Sedes de iis consuli debebit.

3. Diffusio Instituti in varias dioeceses fieri non potuit nisi approbante Episcopo in cuius dioecesi conditum est atque, ut plurimum, domum principem servavit. Quare onus inquirendi et decretum recognitionis Ordinario domus principis committitur. Verum, quia, post huiusmodi diffusionem, Ordinarii locorum sunt aequali iure respectu ipsius Instituti, Ordinarius domus principis decretum recognitionis edere non potest nisi prius ceteros Ordinarios in quorum dioecesi vel quasi-dioecesi domus exsistant, de re interrogaverit, et nullus saltem decreto positive obstiterit.

S. Congregatio silentio ceterorum Ordinariorum contenta est, ne molestae oriantur difficultates, si non nullae Curiae interroganti non responderint.

Quaeres undenam domus princeps ab aliis dignosci possit? Id interdum ipsis Constitutionibus definitur. Si nihil expresse statuitur, domus ubi Superior generalis cum suis Consiliariis stabiliter moratur, pro principe habenda erit. Quod ipsis normis 1902, art. 253 confirmatur.

4. Quattuor causae esse possunt cur decretum recognitionis non videatur dandum: *status* (moralis, disciplinaris, oeconomicus) Instituti; - *exiguitas* Congregationis; - *defectus argumentorum* quibus saltem probabiliter efficiatur Congregationem fuisse approbatam (argumenta sunt receptio professionum, visitatio canonica, episcopalis ordinatio, etc.); - *positiva oppositio Ordinarii* in cuius dioecesi exsistat domus. Si aliqua ex istis causis impediat recognitionem, qua negata, Institutum virtualiter supprimitur, res ad S. Congregationem deferenda est. Non est enim in potestate Ordinarii supprimere Congregationem etiam a se solo approbatam (c. 493).

II. *Referenda ad S. Congregationem.* 1. Elenchus

mittendus est de singulis Congregationibus vel piis Societatibus in dioecesi vel quasi-dioecesi erectis aut nunc recognitis; in quo distincte varia puncta in decreto indicata explicanda sunt.

2. Si vero nulla reperiatur, id etiam nuntiandum est, tamquam dignum quod in archivo S. Congregationis notetur. Atque hoc modo de recepta completa notitia, S. Congregatio magis certa esse poterit.

III. *Cautio de futuro*. In posterum, omnis erectio fiat per formale decretum scriptum asservandum in archivo Instituti et Curiae dioecesis, et mittendum ad S. Congregationem, exacte indicato titulo et scopo Instituti.

IV. Mandato S. Pontificis omne dubium de competentia S. Congregationis talia iniungendi episcopis summovetur.

Quaeres utrum, vi c. 100, formale decretum erectionis sit necessarium. Id negandum arbitramur. Etenim, ex ipso c. 100. praeter Ecclesiam catholicam et S. Sedem, aliae personae morales fiunt tales ex ipso iure, et aliae ex formali decreto. Iam vero legitime conditae religiones et domus sunt personae morales ex clara dispositione (c. 531 et 536, § 1); nec est canon quo formalis erectio requiratur. Immo, erigere personam moralem non potest nisi qui potestatem quasi episcopalem possideat; dum tamen domus ex sola venia Ordinarii eriguntur a Superiore qui iurisdictione caret. Cf. MAROTO, *Institutiones*, I, 461. - FERRERES *Institutiones canonicae* I, 219 ut rationem personae ex iure habentia allegat dioeceses, seminaria, communitates regulares.

Quaeres utrum decretum istud etiam episcopos et quasi episcopos regionum subiectarum S. C. de *Propaganda Fide* respiciat necne?

Quod affirmandum putamus. Etenim, ex cc. 251, 252, quidquid religiosos qua tales sive singulos sive

simul sumptos attingit, ad S. C. de *Religiosis* pertinet. Rursus autem nulla est in decreto insinuatio restrictionis. Itaque, de religionibus dioecesanis quae in missionum locis forte exstent iussiones praesenti decreto contentae valebunt.

59. - S. C. De Prop. Fide

MONITA 22 nov. 1922

E Secretaria Pontificii Operis a Prop. Fidei

(A. A. S. 15 dec. 1922, 14, 647)

Auctor monitorum.

De mandato Consilii Superioris Generalis Pontificii Operis a Propagatione Fidei, haec publici iuris fiunt, ut prae oculis habeantur ab iis quorum interest.

Quonam mittenda statuta, litterae, etc.

1. Cum tandem hisce diebus coeperit Romae munera sua explere Consilium Superius Generale Pontificii Operis a Propagatione Fidei, de quo in Pii Pp. XI Motu Proprio *Romanorum Poutificum*, dato sub die 3 mensis maii, a. c., et sedem suam, licet provisoriam, habeat apud S. C. de Propaganda Fide, huc mittendu n est quidquid pertinet ad Opus ipsum, sive notitiae de constitutione Consiliorum Nationalium, sive eorum Statuta, sive suo tempore rationum libri, sive quaestiones ad Operis organizationem et diffusionem attinentes, sive modo et tempore statuto pecunia collecta ut pro Missionibus erogetur. Huic Consilio similiter spectant epistolae, relationes et petitiones eorum, qui, in locis Missionum operam navantes, annuam subventionem et subsidia sibi expostulant.

Quae cum ita sint, litterae ceteraque inscribantur: *Al Rev.mo Presidente* vel *Al Rev.mo Segretario Generale della Pontificia Opera della Propagazione della Fede* - Palazzo di Propaganda, Piazza di Spagna, n. 48, Roma (6).

et pecuniae

2. Notitiae de pecuniis et donis collectis mittendae erunt mense ianuario exeunte, idque fiet per praesidem Consilii Nationalis vel eius Delegatum; in locis autem, ubi Consilium nondum est constitutum, per Moderatores dioecesanos. Uti evidens est, integrum semper et ubique esto cuique offerenti immediate ad hoc Romanum Consilium mittere oblationes suas.

Pecuniae vero et dona collecta erunt ad nutum et liberam dispositionem ipsius Consilii Generalis, cuius officium est mense martio decernere quibus, qua mensura et quomodo sint elargienda et distribuenda.

Relatio facienda ad Consilium

3. Cum autem ius sit et officium Consilii Superioris Generalis rationum libros singulorum Nationalium Consiliorum adprobare (1), sub finem mensis martii ad ipsum deferendae erunt distinctae et clarae relationes tum de pecuniis donisque oblatis, tum de eorum administratione et de expensis factis sive pro Operis evulgatione, sive pro annalibus, foliis, imaginibus ceterisque typis impressis.

Satius erit has relationes mittere in duplici exemplari, ita ut alterum Romae in Operis archivo asservari possit, alterum reddatur cum notis et signatura.

4. Ad Consilium Superius Generale item mittenda sunt quam citius statuta particularia pro Consiliis Nationalibus redacta, in quibus quidem fideliter retinenda sunt quae pertinent ad formam suustantialem Operis. Haec enim ab ipso Consilio sunt adprobanda. (2)

Quid praestandum sit ad obtinendas subventiones

5. Iuxta Statuta Generalia (ib. X) Consilii conventus pro distribuenda pecunia Romae habebuntur mense martio Mature ergo Consilio exhibendae sunt petitiones cum iis relationibus, quae ad rem faciunt. Hic diligenter advertendum quod hoc anno elementa pro definiendis subventionibus desumentur ex responsis ad quaestiones propositas a S. C. de Propaganda Fide per epistolam datam die Paschatis vertentis anni. Curent igitur Rev.mi Episcopi, Vicarii Praefectique Apostolici ac Missionum Superiores, ut tempestive, id est ante finem vertentis anni vel saltem proximo ineunte, relationes ipsas transmittant. Consilium enim abstinebit a dandis subsidiis Missionibus, de quibus nondum pervenerit relatio ad S. C. de Propaganda Fide

Qua de causa in petitionibus pro annua subventione opportunum erit significare an necnon praedicta relatio data fuerit.

6. Ad petitiones quod attinet, consultius videtur, pro iis Missionibus quae concreditae sunt alicui Ordini, Congregationi. Instituto vel Seminario, si per eundem respective Superiores vel Procuratores exhibeantur una cum documentis relativis, hac tamen lege quod singularum Missionum nota distincta praebeatur: Consilium enim nihili faciet petitiones cumulativas.

---

(1) Cf. *Statuta Generalia*, IX, 4, itemque *Statuta pro Cons. Sup. Gen.*, IX, 4.

(2) Cf. *Statuta* cit., loc., cit.

Vicissim iidem Superiores vel procuratores enixe rogantur ut de hoc statuto quam citius certiores faciant eos ad quos pertinet, ita ut omnes statis conditionibus satisfacere queant.

De subsidiis pro itineribus

7. Ad subsidia pro itineribus obtinenda oportet ut, sicut antea, diligenter significentur omnia quae ad rem faciunt, sive aetas, sive conditio itinerantium, sive loca ad quae pergunt, et an prima vel altera vice se conferant ad infidelium regiones pro apostolicis laboribus suscipiendis. Optimum erit addere etiam quae et qualis sit expensa sive pro vehiculo vel schedula itineris (*biglietto, billet*), sive pro victu. Quae omnia facillima evadent, si adhibeantur prospectus ad hoc dispositi, quos requirere licet apud sedem huius Consilii Superioris Pontificii Operis. Duplici autem exemplari exhibendi sunt.

Dies (22 nov. 1922.

Datum Romae ex Secretaria Pontificii Operis a Propagatione Fidei, die XXII mensis novembris MCMXXII.

† *P. Fumasoni Biondi*, Archiep. Diocletanus, *Praeses*
Ioseph Nogara, *Secretarius Generalis*.

ANNOTATIO

Monita ista commendamus missionariis cum modum indicent subsidia impetrandi.

---

60. - Pont. Commissio Codici interpretando

Responsa plenarii coetus 12 nov. 1922

(A. A. S. 15 dec. 1922, 14, 661)

I

Dubia

De parochi iure quoad processiones (can. 462, n. 7)

1. Processiones

Utrum verba canonis 462, n. 7: *publicam processionem extra ecclesiam ducere* intelligenda sint tantummodo de processione, quae initium ducit ab ecclesia paroeciali; an etiam de iis quae faciunt initium ab aliis ecclesiis intra ambitum territorii paroeciae sitis, idque etiam si hae ecclesiae non sint filiales et proprium Rectorem habeant.

Resp. Negative ad 1am partem, affirmative ad 2am firmo tamen praescripto canonum 482, 1291, § 2.

II

II. Computatio anni noviciatus

De anno integro novitiatus (can. 555, § 1, 2)

1. Utrum annus integer novitiatus, praescriptus in can. 555, § 1, 2, computandus sit iuxta normam statutam in can. 34, § 3, 3.

Et quatenus affirmative:

2. Utrum eiusmodi norma computandi annum in ordine ad novitiatum servanda sit ad validitatem, an tantum ad liceitatem.

Resp. Ad 1um affirmative, seu servandum esse praescriptum canonis 34, § 3, 3.

Ad 2um affirmative ad 1am patem, negative ad 2am seu canonem servandum esse ad validitatem novitiatus.

III

III. Saecularizati et exclaustrati

De egressu e religione (cann. 638-640)

1. Utrum can. 640, § 1, comprehendat omnes qui saecularizationis indultum obtinuerint sive a Sede Apostolica, sive ab Ordinario loci.

2. Utrum qui indultum exclaustrationis ab Ordinario loci obtinuerunt, teneantur conditionibus appositis in can. 639.

Resp. Ad 1um Affirmative.

Ad 2um Affirmative, salva Ordinarii potestate concedendi exclaustrato ob rationes particulares facultatem retinendi habitum religiosum.

IV

IV. Ius exclusivum et cumulativum fontis

De iure cumulativo fontis baptismalis (can. 774, § 1)

Utrum ecclesia quae ante Codicis iuris canonici promulgationem fruebatur legitimo iure exclusivo fontis prae aliis paroecialibus ecclesiis, illud conservet cumulativum cum iisdem ecclesiis, quae, ex praescripto can. 774, § 1, ius fontis obtinent.

Resp. Canonem 774, § 1, ita intelligendum esse, ut ecclesia quae ius fontis habet cumulativum cum aliis totius civitatis ecclesiis, paroecialibus, illud obtineat etiam prae ecclesiis pa-

roecialibus noviter in civitate erectis cum fonte baptismali. At ius fontis cumulativum in posterum obtineri nequit ex consuetudine, quae corruptela dicenda est.

Ecclesia vero quae ante Codicis promulgationem habebat ius fontis exclusivum prae aliis ecclesiis paroecialibus, post Codicis promulgationem erectoque in iisdem ecclesiis fonte ad praescriptum citati canonis, nonnisi ius cumulativum obtinet, salvo praescripto can. 778.

V

De dispensatione super impedimentis matrimonialibus (cann. 1044 et 1045, § 3)

V. Quimam Ordinarius adiri nequeat

Utrum in casibus, de quibus in canonibus 1044 et 1045, § 8, censendum sit Ordinarium adiri non posse, cum nec per litteras, nec per telephonum ad eum recurri potest; an etiam cum solum per litteras impossibile, est, licet per telegraphum vel telephonum id fieri possit.

Resp. Negative ad 1am partem, affirmative ad 2am, seu ad effectum, de quo in cann. 1044 et 1045, § 3, censendum esse Ordinarium adiri non posse, si nonnisi per telegraphum vel telephonum ad eum recurri possit.

VI

De iure patronatus (can. 1451, § 1)

VI. Vis vocis curent

Quaenam sit vis verbi *curent* canonis 1451, § 1.

Resp. Verbum *curent* cit. canonis declarat ab Ordinariis locorum suadendum esse patronis ut loco iuris patronatus quo fruuntur, aut saltem loco iuris praesentandi, spiritualia suffragia etiam perpetua pro se suisve acceptent; et hinc patronos, praesertim ecclesiasticos, optime se gerere si hisce suasionibus obsequantur.

VII

De concursu quoad beneficia iuris patronatus laicalis (can. 2252)

VII. Concursus pro parochiis

Utrum ad normam can. 1462 paroeciae aliave beneficia obnoxia iuri patronatus laicalis conferri semper debeant per concursum, ita ut patronus etiam laicus non possit praesentare nisi clericum legitime ex concursu probatum.

Resp. Affirmative, si paroeciae aliave beneficia iuris patronatus laicalis sint obnoxia concursui iure particulari ex gr. fundationis vel legitimae consuetudinis; secus negative.

VIII

VIII Vis c. 2252

De absolutione a censuris (can. 2252)

Utrum in canone 2252, quo statuitur obligatio recurrendi *ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum*, etc., verba illa *facultate praeditum* restringenda sint ad vocabulum *aliumve;* an etiam pertinere dicenda sint ad aliud vocabulum *Episcopum*, ita ut Episcopus qui non sit facultate praeditus, mandata dare nequeat.

Resp. Negative ad 1am parrem, affirmative ad 2am, seu Episcopum mandata dare non posse, nisi facultalem habeat a iure vel ex Sedis Apostolicae concessione.

Dies (12 nov. 1922).

Romae, 12 novembris.

P. CARD. GASPARRI, *Praeses*

Aloisius Sincero, *Secretarius*,

ANNOTATIONES

1. Responsa praefata clarissima sunt et pleraque versantur in dubiis quae, nostra humili sententia, potius subiectiva petentium quam obiectiva dicenda sunt. Rescire tamen iuvat iam authentice declaratum esse in computando anno noviciatus normas Cod. c. 34, § 3, 3 esse applicandas, et quidem ad valorem, ita ut nulla sit professio eius qui, noviciatum ingressus die 15 maii, anno proxime sequente, iam 15 maii vota nuncupaverit.

2. Observes quoque licere Ordinario ut, propter peculiares rationes, personae quam ipse exclaustraverit (de hac enim agitur in dubio), permittere possit usum habitus religiosi.

3. Ambigi poterat num ecclesiae quae ante Codicem habebant ius exclusivum fontis baptismatis, quod ius Codice exstinguitur, servarent saltem istud

ius tamquam cumulativum. Idque potius negavimus in Epitome, II, 53. Modo constat ius istud in cumulativum esse conversum.

4. Maximi momenti est solutio V. de modo quo intellegendum est impedimentum adeundi Ordinarium. Cum agitur de dispensatione super impedimentis matrimonii, iam adiri nequit si solum per telegraphum vel telephonum ad eum recurri possit. Et ratio esse videtur quia dispensationes istae scribi debent ut probatio canonica servari possit; et quia causae istae saepe secreto tegi debent, nec per telegraphum vel telephonum securitas secreti vel fidelis communicationis habeatur. Quare, per analogiam poterimus idem probabiliter affirmare, quotiescumque res est quae per se postulet secretum vel canonice probanda sit.

Cetera ita plana sunt ut commentariis non indigeant.

---

61. - SS. D. N. PII Pp XI

Epistola ad Dr. Murray Butler, praesidem Universitatis Columbinae, Neo-Eborar., 8 sept. 1922

De restituenda Bibliotheca Lovaniensi

(A. A. S. 15 nov. 1922, 14, 986).

Monsieur le Président,

Quaenam Pontificem ad scribendum moverint.

Le haut intérêt que le Saint-Siege a toujours porté à la création et à la conservation des bibliothèques et des Universités, l'habitude de presque toute Notre vie antérieure et la sollicitude particulière que Nos prédécesseurs Nous ont léguée pour l'université de Louvain, Nous font saluer avec une vive satisfaction tout ce qui concerne la prosperité et la splendeur de ce célèbre Institut. C'est vous dire, qu'il Nous a été particulièrement agréable d'apprendre que vous avez constitué aux Etats-Unis un comité en vue de recueillir les fonds néces-

Propositum laudatur.

saires pour reconstruire les bâtiments de la bibliothèque de cette illustre Université. Par une heureuse inspiration, le dit comité se propose d'adresser un appel aux étudiants et aux écoliers de l'Amérique tout entière, leur demandant de souscrire chacun une obole pour l'œuvre. En vous félicitant de cette noble initiative, Nous aimons à penser qu'on répondra avec empressement à cet appel, de telle sorte qu'il soit donné de voir bientôt l'édifice de la bibliothèque de *l'Alma Mater* de Louvain, atteindre et surpasser même son ancienne splendeur. Ce monument proclamera ainsi devant la postérité la générosité des étudiants américains, leur amour pour la Belgique et leur dévouement à la cause de la science et de la haute culture. Daigne le Seigneur couronner de succès vos efforts et exaucer les voeux que Nous formons pour votre prospérité et votre bonheur.

Ei Pontifex bene precatur

Dies (8 sept. 1922).

Rome, du Vatican, le 8 septembre 1922.

PIUS PP. XI.

ANNOTATIO

Cur, pro causa omnibus cara, inclitae Universitatis Lovaniensis eiusque bibliothecae derogaverimus nostro usui non allegandi epistolas pontificias ordinis potius privati, lectores facile intellegent et probabunt.

Notandum

Litterae encyclicae « Ubi arcano », quibus modo, die 23 dec. 1922, S. Pontifex Ecclesiam Christi ditavit, cum nunc ex plerisque ephemeridibus cotidianis cognitae iam sint, et congruo spatio in hoc volumine destituamur, in T. XII inserentur.

---

62. - S. Rituum Congr.

DECR. 9 aug. 1922

Additiones faciendae in Rituali Romano

(A. A. S. 31 Aug. 1922, 14, 506)

TITULUS V.

CAP. I. DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

De extrema unctione pluribus ministranda.

Post rubricam n. 20, sequens instructio addatur: *21. Quando pluribus simul infirmis hoc Sacramentum ministratur, sacerdos singulis aegrotis crucem pie deosculandam porrigat, omnes preces quae unctiones praecedunt, plurali numero, semel recitet, unctiones cum respectivis formis super singulos aegrotos efficiat, omnes vero preces quae unctiones subsequuntur, plurali numero semel dicat.*

CAP. II. ORDO MINISTRANDI SACRAMENTUM EXTREMAE UNCTIONIS

Ordo ministrandi

N. 7... Mox dicat « In nomine Patris », etc., post verba « per invocationem » addatur: » gloriosae et Sanctae Dei Genitricis Verginis Mariae, eiusque inclyti Sponsi Ioseph, et omnium » etc. (uti in oratione tit. V, cap. 7, *Proficiscere*, etc.)

CAP. VI. RITUS BENEDICTIONIS APOSTOLICAE IN ARTICULO MORTIS.

Benedictio apostolica in articulo mortis.

Rubrica n. 7. compleatur per sequentem instructionem (depromptam ex appendice Breviarii Romani et ex Decreto S. R. C. diei 8 martii 1879, n. 3483):

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum suppetat tempus, statim sacerdos benedictionem ei impertiatur, dicendo: « Dominus noster » etc. ut supra. *Et si mors proxime urgeat dicat*: « Ego, facultate mihi ab Apostolica « Sede tributa, indulgentiam plenariam et remissionem omnium « peccatorum tibi concedo In nomine Patris † et Filii, et « Spiritus Sancti. Amen. » « Per sacrosancta », etc., ut supra. « Benedicat te » etc. ut supra. *In casu vero necessitatis sufficit dicere:* « Ego, facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, in- « dulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum « tibi concedo et benedico te. In nomine Patris † et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. »

Post. n. 4 addatur: *N. 5. Quando huiusmodi benedictio Apostolica pluribus simul infirmis impertitur, omnia dicantur semel ut supra, singulari tantum numero in pluralem immutato.*

N. 6. *Postea dicit*: « Adiutorium » etc.

Commendatio animae.

CAP. VII. ORDO COMMENDATIONIS ANIMAE.

In oratione « Proficiscere » etc., post verba » « Virginis Mariae » addatur: « in nómine beati Joseph, inclyti eiúsdem Virginis Sponsi ».

In oratione « Comménd0 te », etc., post verba « te complexus astringat » addatur: « Sanctus Joseph, morientium patrónus dulcissimus, in magnam spem te érigat ».

« Post orationem « Clementissima Virgo », etc. addatur sequens: « Oratio, « Ad te confugio, Sancte Ioseph, Patrone « moriéntium, tibique, in cuius beáto transitu vigiles adstité- « runt Iesus et Maria, per hoc utrúmque carissimum pignus, « ánimam huius fámuli (*vel* fámulae) *N.* in extrémo agóne la- « borantem enixe comménd0, ut ab insidiis diáboli, et a morte « perpétua, te protegénte, liberetur, et ad gáudia aetérna per- « venire mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. R). Amen .»

In exspiratione.

CAP. VIII. IN EXSPIRATIONEM.

Post verba « hora mortis suscipe » addatur: « Sancte « Ioseph, ora pro me. Sancte Ioseph, cum béata Virgine Sponsa « tua, áperi mihi divinae misericordiae sinum. Iesu, Maria, « Ioseph, vobis cor et animam meam dono. Iesu, Maria, Ioseph, « adstate mihi in extrémo agone. Iesu, Maria, Ioseph, in pace « vobiscum dormiam et requiéscam. »

ROMANA

Has variationes, sive Instructiones et Orationes titulo V Ritualis romani, opportune ac respectivis in locis addendas, a S. R. C. propositas, SS. D. N. Pius Pp. XI, referente infrascripto Cardinali eiusdem Sacri Consilii praefecto, suprema auctoritate sua approbavit, et in futuris editionibus eiusdem Ritualis inseri iussit.

Dies (9 aug. 1922).

Die 9 aug. 1922.

A. Card. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *Praef.*

Alex. Verde, *Secr.*

ACTA SUMMATIM RELATA

63. — *SS. D. N. Pii PP. X.*

A Concordatum inter S. Sedem et rempublicam Lettoriae

Concordatum cum Lettonia 30 maii 1922

Romae 30 maii 1922 initum est *Concordatum inter S. Sedem et rempublicam Lettoniae,* cuius haec fere praecipua capita :

Religio catholica in Lettonia libere et publice exercebitur, ac personalitate iuridica in foro quoque saeculari gaudebit. Rigae erigetur sedes archiepiscopalis ; cuius titularis atque unus alterve auxiliaris natione Lettones Lerunt, quaeque immediate a S. Sede pendebit. Nomen candidati ad hanc Sedem eligendi cum gubernio communicabitur, ut eius obiectiones ordinis politici, si quae sint, audiantur. Priusquam Sedis possessionem capiat archiepiscopus iuramentum fidelitatis reipublicae in manibus Praesidis Lettoniae emittet. Innovabitur a S. Sede Capitulum cathedrale. Gubernium vero ecclesiam cathedralem, domum archiepiscopalem et capitularem aptam donabit. Nominationes ecclesiasticae ab archiepiscopo ad normas iuris canonici fiunt. Clerici in maioribus servitio militari aliisque muneribus cum statu suo incompatibilibus eximuntur. Scholas « confessionales » easque proprias possidere potest Ecclesia ; ceterum et ipsa leges civiles servabit de scholis privatis. Erigetur Seminarium ad normam iuris canonici in quo, praeterquam latina, lingua Lettonica ad docendum utentur. De fundando Romae collegio Lettone convenietur ulterius inter partes contrahentes. Donec numero sufficienti praesto sint sacerdotes Lettones, ius esto archiepiscopo, gubernii sententia audita, alienigenas arcessere, praecipuis tamen muneribus solis civibus reservatis. Libere ad normam iuris communis civitatis agere poterunt associationes catholicae. Ecclesiae, oratoria, coemeteria catholica iure proprietarii ad Ecclesiam pertinent et ab ea libere administrantur ; eorum immunitas ad normam iuris canonici servabitur. Bona Ecclesiae tributis obnoxia sunt, exceptis tamen aedibus cultui destinatis, seminario, domibus episcopalibus et parochialibus. De delictis fori ecclesiastici iudicati solus Ordinarius ; nec licet ab eius sententia ad iudicem laicum provocare. Si qui ecclesiastici viri apud iudicem laicum in crimina-

libus accusentur, ius esto archiepiscopo eiusve delegato assistendi processui. Si quis ecclesiasticus carceris damnetur, poenam hanc subiet in Monasterio; ceteras autem poenas, pro iure civitatis communi subient, postquam ab Archiepiscopo honore ecclesiastico erunt privati.

Concordatum hoc ad triennium valebit, atque tacite ad singulos annos, nisi sex in antecessum mensibus denuntietur, renovabitur.

Quod si denuntietur, bona immobilia de quibus in eo agitur Ecclesiae acquisita manent; personae vero iure civitatis communi regentur. (A A. S. 15 nov. 1922, 14, 577.)

In pactione facienda Em. Card. secretarius Status S. Sedem repraesentabat.

Accedit *declaratio gubernii reipublicae Lettoniae* eadem die 30 Maii 1922 notificata, vi cuius gubernium archiepiscopo, episcopis, canonicis Capituli, reditus congruentes suppeditabit; aedes et pecunias ad Seminarium erigendum donabit, aliaque hucusque a se solvi solita in posterum solvere perget (A. A. S., 15 nov. 1922, 14, 581.)

De conciliatione factionum in Italia, 6 aug. 1922.

B. Epistola apostolica 6 aug. 1922 *Ordinarios Italiae* hortatur R. P. ut pro munere sibi a Christo Domino commisso, sopiendis factionum discidiis veraeque paci in patria restituendae strenue alloborent (A. A. S., 31 aug. 1922, 14, 481).

De eodem obiecto, 28 oct. 1922.

Iterum 28 oct. 1922 eosdem hortatur R. P. ut apud cives impensius urgeant studium pacis reconciliandae (A. A. S., 31 oct. 1922, 14, 537).

Institutum orientale Societati Iesu committitur, 14 sept. 1922.

C. Epistola 14 sept. 1922 ad R. P. Ledóchowski, Praepositum generalem S. I., *pontificium Institutum Orientale*, a Benedicto XV eo consilio conditum ut tum Latinis, tum ipsis Orientalibus opportunitas praeberetur penitiorem hauriendi cognitionem rerum ad Ecclesiam Orientalem pertinentium, in aedes transfertur Instituti Biblici atque curis committitur Societatis Iesu (A. A. S., 31 oct. 1922, 14, 545).

D. Allocutio consistorialis.

Allocutio consistorialis 11 dec. 1922.

Die 11 dec. 1922, allocutione in consistorio secreto habita, postquam praeconium attigerit Benedicti Pp. XV p. m., animos audientium denuo convertit R. P. in praesentes Ecclesiae atque humani generis angustias. Iura nempe christianorum, in primisque catholicorum, in Palaestina sarta tecta servanda; calamitates populorum Orientalium, caedibus, incendiis, vastationibus nuper affectorum; Russorum egestas sublevanda; vera denique

pax per universum restituenda orbem, Sanctae Sedi in praesentiarum maxime curae sunt. Consilium denique suum aperit R. P. mittendi proxime ad universos sacrorum Antistites litteras encyclicas *de pace Christi in regno Christi* quippe quod esset quasi summa propositi in exordio sui pontificatus (A. A. S., 15 dec. 1922, 14, 609).

E. Epistola in anniversario canonizationis S. Ignatii et S. Francisci Xaverii.

In anniversarium canonizationis SS. Ignatii et Francisci Xaverii, 3 dec. 1922.

Epistola apostolica 3 dec. 1922 ad Praepositum generalem Societatis Iesu, tertio exeunte saeculo a canonizatis *S. Ignatio a Loyola et S. Francisco Xaverio*, encomium utriusque Sancti egregiis verbis texit. In S. Ignatio in primis laudandum censet R. P. oboedientiae spiritum, subiectione se prodentem perfectissima tum Deo, tum Ecclesiae, tum cuivis legitimae auctoritati. Tempore sane pseudo-reformationis spiritus ille aptissimum praebuit remedium Ecclesiae malis; tempore vero nostro quid magis necessarium quam ut principium illud subiectionis legi divinae atque auctoritati legitimae mentibus alte infigatur? Si autem de efficaci ad hunc scopum medio quaeras : « hunc ho- « minum reditum ad oboedientiam, Exercitia Spiritualia mirifice « adiuvant, quippe quae, praecipue si Ignatiano instituto fiant, « perfectam divinae legi obtemperationem, aeternis Fidei natu- « raeque principiis innixam, certissime suadeant Quapropter, « optantes ut eorum usus in dies diffundatur, Nos, exemplum « quoque complurium decessorum Nostrorum secuti, non solum « Constitutione Apostolica *Summorum Pontificum* ea denuo « Christi fidelibus commendavimus, sed etiam S. Ignatium a « Loyola omnium Exercitiorum Spiritualium caelestem Patronum « iussimus. Quamquam enim non desunt, ut diximus, aliae « Exercitiorum haberdorum viae, certum tamen est Ignatianam « in eis excellere, ac maxime ob exploratiorem spem quam « facit solidae mansuraeque utilitatis, uberiore Sedis Aposto- « licae approbatione florere. Hoc igitur sanctitatis instrumen- « tum si christifidelium plerique diligenter adhibeant, iam « confidere liceat brevi futurum, ut, intemperatae libertatis cupi- « dine cohibita et restituta officii cum conscientia tum obser- « vantia, tandem humana societas exoptatae pacis munere po- « tiatur. » Hac ipsa Exercitiorum disciplina convertit Ignatius Franciscum Xaverium in apostolum Orientis. A cuius apostolatus encomio occasionem nactus, hortatur R. P. ut studium in missiones exteras magis magisque excitetur : undique enim videntur regiones albescere iam ad messem (A. A. S., 15 dec. 1922, 14, 627).

F. Motu proprio de Schola Musicae Sacrae.

Urbana schola de Musica Sacra, 22 nov. 1922.

Motu Proprio 22 Nov. 1922, promulgatur lex organica quae dici solet Urbanae Scholae altioris de Musica Sacra, duodecim abhinc annis sub Pio X fundatae. Schola, Apostolicae Sedi immediate subiecta, patrono quodam S. R. E. Cardinali, praeside vero sacerdote ex alterutro clero a S. Sede electo, ius habet conferendi gradus tum Prolytatus, tum Doctoratus seu Magistratus in cantu Gregoriano, in sacris modis conficiendis et in organo modulando Tum clericis ex utroque clero et ex quavis natione, tum laicis quoque patet (A. A. S., 15 dec. 1922, 14, 623).

G. Litterae de dioecesibus dividendis, erigendis.

Gaspé, 5 maii 1922.

1. Bulla 5 maii 1922, orientalis pars dioecesis Sancti Germani (Canada) in novam dioecesim *Gaspesiensem* erigitur (A. A. S., 31 aug. 1922, 14, 484).

Monterey, Los Angelos, 1 iun. 1922.

2. Bulla 1 iun. 1922, ex divisa dioecesi Montereyensi Angelorum, dismembratis insuper territoriis ab archidioecesi Sancti Francisci in California et a dioecesi Sacramentensi, novae constituuntur dioeceses *Montereyensis* et *Angelorum Sancti Didaci* (A. A. S., 31 oct. 1922, 14, 539).

H. Litterae de erigenda abbatia nullius.

Iaszó, 7 iun. 1922

Bulla 7 iun. 1922, ad gradum abbatiae *nullius* evehitur monasterium S. Ioannis de castro *Jaszó* in Tcecoslovachia, Ordinis canonicorum regularium Praemonstratensium (A. A. S., 31 oct. 1922, 14, 582).

I. Litterae de Vicariatibus vel Praefecturis Apostolicis erigendis, mutandis.

Praef. de Lulua et Katanga, 18 iun. 1922.

1. Litteris 18 iun. 1922, partibus avulsis a missione de Katanga et Vicariatu Apostolico de Kasai (Africa centr.) constituitur nova Praefectura Apostolica de *Lulua ac Katanga* (A. A. S., 31 aug. 1922, 14, 487).

Praef. Lacus Alberti. 17 iun. 1922.

2. Pariter litteris 27 iun. 1922, separato territorio a Vicariatibus Apostolicis Ugandensi ac de Stanley Falls (Africa centr.) erigitur nova Praefectura *Lacus Alberti* (A. A. S., 31 aug. 1922, 14, 488).

K. Litterae de erigenda Delegatione Apostolica.

Delegatio Apostolica in Sinis, 9 aug. 1922.

Litteris 9 aug. 1922 erigitur Delegatio Apostolica *in Sinis*, cuius cura se extendat ad quinque ecclesiasticas regiones Sinenses cum suis insulis, excepta damtaxat Praefectura Apostolica insulae Formosae (A. A. S., 15 dec. 1922, 14, 635).

L. Litterae de abbatia transferenda, innovanda.

Litteris 8 iul. 1922, restituitur perantiqua abbatia Sancti Martini de *Weingarten* in territori Constantiensi, quae anno 1803 per nefas saecularizata fuerat, in eamque transfertur monasterium S. Thomae de Erdington, Congregationis Beuronensis O. S. B. (A. A. S., 31 aug. 1922. 14, 489). *Abbatia S. Martini de Weingarten, 8 iul. 1922.*

M. Litterae de basilicis.

Ad titulum ac dignitatem basilicae minoris evehuntur:

1. 10 iul. 1922, ecclesia B. M. V. Matris Gratiarum in civitate *Utinensi* regionis Foroiuliensis (Cividale, Italia) anno 1040 condita (A. A. S., 31 aug. 1922, 14, 491). *B. M. V. Utinen.* (Cividale Italia).

2. Item 10 iul. 1922, ecclesia B. M. V. de Funicolo, vulgo *du Saint Cordon* in civitate *Valenciennes,* archidioecesis Cameracensis (Gallia). Iam 24 maii 1892, Leo Pp. XIII B. M. Virginem Patronam praecipuam civitatis declaraverat (A. A. S., 31 aug. 1922, 14, 493). *B. M. V. in Valenciennes.*

3. Die 21 iul. 1922, ecclesia abbatialis Virginis Deiparae in caelum assumptae, O. S. B., civitatis *Sancti Pauli* (Brasilia), et quidem in ipsa consecratione (A. A. S., 31 aug. 1922, 14, 495). *B. M. V. in S. Paolo.*

4. Die 23 iul. 1922, ecclesia B. M. V. de Mercede in urbe *Sancti Iacobi* (in republica Cilensi) (A. A. S., 31 aug. 1922, 14, 495). *B. M. V. in Santiago.*

5. Die 21 aug. 1922, ecclesia S. Martini in civitate *Alzano Maggiore* dioecesis Bergomensis (Italia) anno circiter 1000 condita (A. A. S., 31 oct. 1922, 14, 542). *S. Martini in Alzano Maggiore.*

6. Die 21 oct. 1922, ecclesia SS. Ioannis et Pauli *Venetiis,* sub cura Ordinis FF. Praedicatorum (A. A. S., 31 oct. 1922, 14, 584. *SS. Ioanuis el Pauli Venetiis*

64. - *S. Congr. S. Officii*

Decreto 8 nov. 1922, sacerdotes Xaverius Dvorak archidioecesis Pragensis, et Ludovicus Svatos, dioecesis Litomericensis, ad praesidium dissolutae consociationis schismaticae *Jednota* pertinentes atque contumaces, *nominatim* excommunicantur et *vitandi* declarantur (A. A. S., 15 nov. 1922, 14, 593). *Excommunicatio sacerdotum schismaticorum, 8 nov. 1922.*

ANNOTATIO

Huius excommunicationis comminationem ex decreto S. Officii 14 iun. 1922 (A. A. S., 1 iul. 1922, 14, 379) habes apud Period., XI (1922), p. 132. Alterum decretum S. Officii 19 aug. 1922 de eadem re, apud A. A. S. non prodiit.

65. - *S. Congr. Consistorialis*

A. Communicata.

Associatio non approbata,

Innotescere facit S. C. Consistorialis associationem « Società Patronato S. Michele per gli italiani del sud emigrati in America », Panormi exsistentem, a se nec agnitam, nec approbatam nec commendatam esse.

Sacerdos sine missione.

Item sacerdotem Columb. Andreassi, e dioecesi Aquilana, non tantum omni mandato carere ad assistendum iis qui in alias terras migrant, sed et ipsi prorsus vetitum esse eorum curam gerere (A. A. S., 31 oct. 1922, 14, 559).

B. Decretum de finibus dioecesis mutandis.

Ianow et Lublin, 30 oct. 1922

Decreto 30 oct. 1922, pagus *Krasne* a dioecesi Podlachiensi separatus, erigendae paroeciae *Rogózno* dioecesis Lublinensis unitur. (A. A. S., 15 dec. 1922, 14, 642).

66. - *S. Congr. Concilii*

A. Causae contentiosae.

Ius nominandi, 12 nov. 1921 et 10 iun. 1922

1. Die 12 nov. 1921, iterumque 10 iun. 1922, in plenariis comitiis proposita causa Barulen. *collationis canonicatuum*, disceptationi de elapso in casu tempore utili ad normam cc. 161, 1432 § 3, 1457, 1458, atque de defectu maioritatis suffragiorum, ex officio subiunctum est dubium gravius: « An post Codicem iuris canonici in Capitulo cathedrali Barulensi adhuc vigere dicendum sit ius nominandi seu praesentandi canonicos in casu? »

Capitulum nempe antiquo privilegio fruebatur nominandi plerosque suosc anonicos Ordinario instituendos; contendit autem Capituli defensor, ius illud nominandi seu praesentandi nequaquam sublatum esse canone 403. Vox enim « conferre », sic ipse, audienda est l. c. de collatione sive *libera* sive *necessaria*, ita ut, sartus tectus censendus sit c. 403, modo ad Ordinarium spectet ipsa cencessio tituli, i. e. in casu sola institutio canonica. E contra, relator ex officio, facto argumento ex sensu obvio verborum, collatis locis Codicis parallelis, ex contextu, ex mente legislatoris, vocem « conferre » interpretandam autumat « libere conferre ». Atque ad propositum ut supra dubium a S. Congregatione responsum est « *Negative* » (A. A. S., 7 aug. 1922, 14, 459).

2. Die 19 feb. 1922, responsum dedit S. C. C. in causa U inen. *collationis paroeciarum*. Paroecia loci Faëdis, Capitulo Collegiali Civitatensi unita, ab immemorabili tempore conferebatur a Capitulo, praesentante patrono; qui cum nuper iuri patronatus renuntiasset, quaestio orta est utrum Capitulo an Ordinario loci in posterum competeret libera collatio. Et resolvit S. C.: « Archiepiscopo competere ius instituendi in parochiam quem Capitulum praesentaverit ad normam c. 471, § 2 » (A. A. S., 31 aug. 1922, 14, 551).

Collatio Vicariae perpetuae, 19 feb. 1922.

B. Decretum de excommunicatione.

Decreto 24 oct. 1922, sacerdos Gaetan. Gliozzo, qui iam suspensus, dein irregularis declaratus ob violatam censuram, demum a paroecia Ficarra dioecesis Pactensis (in Sicilia) remotus, decretis resp. 8 feb., 9 mart. et 5 apr. 1922, sacrum ministerium nihilominus exercere et officio parrochiali defungi perrexit, immo exercitium ecclesiasticae iurisdictionis impedivit, excommunicatione plectitur *speciali modo* S. Sedi reservata; quae contrahetur etiam ab iis qui *in divinis* cum eodem communicaverint (A. A. S., 15 nov. 1922, 14, 594).

Excommunicatio sacerdotis rebellis, 24 oct. 1922.

67. - *S. Congr. de Propaganda Fide*

A. Indictio Visitationis.

Decreto 7 iun. 1922, indicitur Visitatio Apostolica missionum *Indo-Sinensium* eaque peragenda committitur R. P. D. Henrico Lecroart, Vicario Apostolico de Celi Meridio - Orientali (A. A. S., 31 aug. 1922, 14, 502).

Visitatio missionum Indo-Sinensium, 7 iun. 1922.

B. Mutatio in Vicariatus Apostolici sede.

Decreto 5 aug. 1922, Sedes Vicariatus Apostolici de Kuam-Tom occidentali et Hainan (in Sinis) transfertur ad urbem *Pakhoi* (A. A. S., 31 aug. 1922, 14, 503).

Sedes Vic. Ap. de Kuam-Tom occ., 5 aug. 1922

C. Attributio Praefecturae apostolicae.

Decreto 30 oct. 1922, Praefectura Apostolica de *Lulua et Katanga* centrali curis Ordinis FF. Minorum provinciae belgicae addicitur (A. A. S., 15 nov. 1922, 14, 595).

Attributio novae Praefecturae Ap., 30 oct. 1922.

D. Mutatio in denominatione missionum.

Decreto 14 nov. 1922, denominatio nonnullarum Oceaniae missionum ut sequitur immutatur:

Vicariatus apostolicus Novae Guineae denominabitur Papusiae;

Vicariatus apostolicus Novae Pomeraniae denomin. Rabaulen;

Nomina missionum, 14 nov. 1922.

Praefectura apostolica terrae Gulielmi occidentalis denominabitur Novae Guineae centralis (A. A. S., 15 dec. 1922, 14, 646).

E. Nominatio praesidis Unionis cleri a missionibus.

Praeses pro Hispania Unionis cleri a missionibus, 14 oct. 1922.

Epistola 14 oct. 1922, Em. Card. Benlloch y Vivó, archiep. Burgen., renunciatur praeses generalis pro *Hispania* Piae Unionis cleri pro missionibus (A. A. S., 15 nov. 1922, 14, 597).

Consilia operis a Propaganda Fide.

F. Praesides pro Consiliis Nationalibus operis a Propaganda Fide nominantur:

Rev.mus Henr. Vasquez - Camarosa pro Hispania;

Rev.mus Franc. Ross pro Anglia;

Rev.mus Iac. Pompen pro Hollandia (A. A. S., 15 dec. 1922 14, 650).

68. - *S. Congr. Rituum*

A. *Rescripta interpretativa.*

Tabulae nominum defunctorum in ecclesiis, 20 oct. 1922

1. Die 20 oct. 1922, proposito dubio « Utrum in ecclesiis earumque cryptis divino cultui destinatis apponere liceat tabulas cum inscriptionibus et nominibus fidelium defunctorum quorum corpora inibi tumulata non sunt nec tumulari possunt iuxta c. 1205 § 2 », respondit S. C. R. « *Non licere*, iuxta alias resolutiones atque ad tramitem decreti S. R. C. n. 733 et can. 1450 § 1. » (A. A. S., 31 oct 1922, 14, 556).

N. B. *Responsione ista non praecipitur ut tollantur iam factae inscriptiones, praesertim quae grato animo erga occisos in ultimo bello factae sunt.* Cfr. **Ami du clergé**, 1922, 30 nov. n. 48, p. 759.

Usus campanulae in Missa, 25 oct. 1922.

2. Die 25 oct. 1922 ad dubium utrum etiam in Missis sollemnibus seu cantatis et pontificalibus, campanula pulsanda sit ad *Sanctus* et ad elevationem Hostiae et Calicis iuxta *Ritum celebrandi Missam* tit. VII, n. 8, respondit S. C. *affirmative et ad mentem*. Mens autem est ut sicubi hucusque viguerit usus ex toto vel ex parte contrarius, in posterum praxis communis et praesens interpretatio serventur; expedire praeterea ut paulo ante consecrationem aliquod signum campanula detur, iuxta communem ecclesiarum praxim (A. A. S., 31 oct. 1922, 14, 557).

Declaratio de missa votiva pro Fidei propagatione, 17 nov. 1922.

3. Rescripto 17 nov. 1922 declaratur decretum S. C. Rit. 22 mart. 1922 (cf. Period. XI, 1922, p. 53, 54) *de Missa votiva annua pro Fidei propagatione* ita audiendum esse:

« Missa votiva pro Fidei propagatione, de qua agitur in « praenotato decreto, non est praeceptiva sed indultiva, et « celebrari potest die pro cunctis et singulis dioecesis locis « communiter ab Ordinario designanda, in quibusvis ecclesiis

« et oratoriis etiam privatis, et ab omnibus sacerdotibus cum « omnibus commemorationibus et orationibus ritui duplici ma- « iori et minori congruentibus, salvo semper onere missae ex « rubricis et decretis praescriptae; prouti sunt missae con- « ventuales diei currentis (non autem missa mere parochialis), « missa de Rogationibus, pro oratione XL Horarum, etc. Si « quando autem huiusmodi missa votiva quomodo libet impedia- « tur, fieri potest eius commemoratio sub unica conclusione cum « prima oratione, iuxta rubricas » (A. A. S., 15 dec. 1922, 14, 650).

4. Rescripto eiusdem diei 17 nov. 1922, *de praefationibus dicendis in Missis cum commemorationibus* declaravit S. C.:

Declaratio de praefatione in missa cum commemoratione, 17 nov. 1922.

1) in missis 6 feb. de S. Tito et 12 feb. de Ss. Septem Fundatoribus Ord. Serv. B. M. V. quibus respective addenda est oratio pro Papa in anniversario electionis vel coronationis Pii Pp. XI, praefatio erit de Apostolis, si commemoratio locum teneat missae votivae pro Papa ab Ordinario praescriptae et eo die impeditae;

2) die 18 nov., occurrente Dominica de qua fit officium cum missa, addita commemoratione Dedicationis Basilicarum SS. Petri et Pauli, praefatio dicenda est de SS. Trinitate iuxta rubricas (A. A. S., 15 dec. 1922, 14, 651).

B. *Rescriptum de ritu festi.*

Festum S. Eusebii Vercellensis, 25 oct. 1922

Rescripto 25 oct. 1922, festum *S. Eusebii Vercellensis*, episc. et mart., pro dioecesibus Italiae et insularum adiacentium, ad ritum duplicis minoris evehitur (A. A. S., 15 nov. 1922, 14, 597).

69. - *S. Congr. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis*

Constitutio Administratoris Apostolici.

Administrator apostolicus Silesiae superioris, 7 nov. 1922.

Decreto 7 nov. 1922, peculiaris Administrator Apostolicus constituitur pro ea parte dioecesis Vratislaviensis quae *Silesia superior* dicitur, et nunc intra limites dicionis Polonicae continetur. Nominatus est ad nutum S. Sedis R. D. Aug. Hlond, ex Pia Societate S. Francisci Salesii (A. A. S., 15 nov. 1922,14,598)

70. - *S. Rota Romana*

Mercurialis oratio Decani S. Rotae,

1. Die 16 oct. 1922, in instauratione anni iudicarii, astante S. Pontifice, Decanus Auditorum S. Rotae orationem habuit ex qua nonnulla excerpere iuvat. In tractandis nempe causis matrimonialibus, quae praecipua fere est pars negotiorum eius, varia hinc inde huic tribunali obiciuntur. Sunt qui contendant 1) a S. Rota committi *acceptionem personarum*, quasi soli divites

calumnias de iurisprudentia matrimoniali

eiusmodi processus inire valerent; 2) alii vero autumant sub specie declarationis nullitatis relaxari iam illum rigorem in vindicanda indissolubilitate matrimonii christiani; vel 3) S. Rotam legem interpretando paulatim effingere novos titulos nullitatis vinculi; at certe 4) si iurisprudentiam temporis elapsi consideres, facilius iam admitti nullitatis capita, praesertim illud vis et metus. « Nec deest inter fautores exitiosi instituti « divortii qui hinc deducat Ecclesiam, cum se coactam sentiat « ad praebendum aliquale effugium ex ista indissolubilitate « absoluta, tali modo practice agnoscere necessitaten divortii ».

Reponit autem laudatus Decanus:

facile refellens, acceptionem sc. personarum,

1) Gratuitum patrocinium vel expensarum reductionem ita esse in usu apud S. Rotam ut tum pauperibus, tum iis qui dicuntur classium mediocrium aditus ad proceduram commode pateat. Ultimis sex annis ex 117 causis matrimonialibus, 69 plene solutis expensis, 9 data quadam oblatione, 39 vero plane gratis pertractatae sunt. Quam autem longe ab acceptione personarum absit tribunal, vel eo apparet quod ex 69 ditiorum causis 23 vicibus pars succubuit, 46 vicibus vicit; dum ex 9 illis minus divitum una tantum naufragium passa est, et ex 39 gratuito patrocinio tractatis nonnisi 7.

multitudinem sententiarum divortii,

2) Nec mirum est sententias nullitatem declarantes, quae ultimo sexennio (6 causis dispensationis super rato non computatis) 80 fuere, numero longe superare sententias pro validitate, quae 31 exstant: tribunal enim S. Rotae appellationis est, atque dum vinculi defensor succumbens, ex lege tenetur recurrere, pars contra agens, si succumbat, non semper appellationem interponi, sicque opportunitas confirmandi sententias pro validitate rarius, pro nullitate saepius praebetur. Cum vero ex illis 80 ultimi sexennii causis, nonnullae ex iuris praescripto bis iudicio S. Rotae submittendae fuerint, restat ut singulis annis in 11 causis nullitas vinculi fuerit declarata; dum in regionibus ubi viget divortii lex reperiebantur iam ante bellum resp. anno 1913 in Gallia 16335 sententiae divortii; eodem anno in Germania 17835; anno 1916 in Statibus federatis Americae 112036.

nova capita nullitatis.

3) Ut autem appareat nullitatis capita eadem prorsus nunc admitti quae olim, sufficit indicem inspicere *Decisionum* atque elenchum quotannis apud *Acta Apostolicae Sedis* publicari solitum. Immo nedum latius, e contra, labente tempore ea potius strictius interpretari consuevit S. Rota.

facilitas probationis. 16 oct. 1922.

4) Atque, si Decisiones perlegas, iterum patebit nequaquam faciliores se praebere Patres in probandis nullitatis argumentis (A. A. S., 31 oct. 1922, 14, 560).

2. Die 13 ian. 1921 confirmata est sententia nullitatis matrimonii ex capite consanguinitatis, lata in Curia Parisiensi 20 dec. 1919. Petita nempe dispensatione ad matrimonium ineundum anno 1906 super impedimento unico consanguinitatis in tertio gradu aequali, reticitum fuerat in supplici libello alterum pariter consanguinitatis impedimentum tertii gradus tangentis quartum. Validitatem matrimonii sustentare nitebatur Vice officialis qui dispensationem, vigore indulti S. Poenitentiariae, concesserat, eo quod mens sua in concedendis dispensationibus perpetuo fuisset dispensationem in consanguinitate ipso facto valere pro aliis impedimentis eiusdem speciei in aequali vel inferiori gradu etiam ignotis, utpote cum impedimentum consanguinitatis quod dici solet multiplex, revera esset potius impedimentum unicum in multiplici forma. At « cum compertum sit S. Poenitentiariam, cum dispensat ab uno impedimento quod exponitur, minime dispensare velle ab altero quod reticetur, et indultarium non posse alio modo valide dispensationem concedere » hanc interpretationem minime admittendam ducit S. Rota (A. A. S., 7 aug. 1922, 14, 472).

Parisien. nullitatis matrimonii, 13 ian. 1921

3. Die 11 aug. 1921 pariter confirmata est sententia nullitatis matrimonii prolata a Curia Parisiensi ob non impletam conditionem *sine qua non*. Sponsa enim, tamquam conditionem sine qua non, promissionem exegerat a sponso, religioni infensissimo, plenae libertatis pie vivendi atque pueros catholice educandi; quam promissionem *ficte* tantum fecisse convincitur ille (A. A. S., 31 aug. 1922, 14, 512).

Parisien. nullitatis matrimonii, 11 aug. 1922

4. Die 20 iun. 1922, sententiam tulit S. Rota super quaestione *de re iudicata*, causae Aegypti de nullitate matrimonii incidente. Cum nempe matrimonium quoddam ob defectum consensus ex parte viri ad ipsius instantiam in Curia Vicariatus Apostolici Aegypti nullum declaratum esset, accidit ut, appellatione a vinculi defensore iamin terposita, actor e vivis excederet. Petiit actoris haeres « cuius interest ut firma maneat sententia primi gradus ob effectus civiles qui, ad tramitem legis civilis in Aegypto vigentis, a sententia tribunalis ecclesiastici pendent » ut ad causam prosequendam admitteretur; verum Promotor iustitiae quaestionem proposuit praeiudicialem, an nempe « sententia primi gradus, qua nullitas matrimonii declarata fuit, vim rei iudicatae habeat quoad civiles matrimonii effectus, in casu. » Et S. Rota sententiavit *affirmative*. Etenim, regula generalis qua statuitur sententiam de vinculo matrimoniali numquam transire in rem iudicatam (c. 1903), locum non habet ubi vinculum per mortem alterutrius coniugis iam dissolutum est.

Quaestionis incidentis de re iudicata, 20 iun. 1922.

Tunc tantummodo eiusmodi sententia in rem iudicatam transire non valet, sic auctores, ubi eius observantia induceret in peccatum quod consensu partium impediri nequeat. Iam vero in casu, cum rea conventa, quae in prima instantia succubuit, a sententia non appellaverit, defensor autem vinculi appellationem, mortuo actore, deseruerit, ex c. 1902, 2°, habetur res iudicata (A. A. S., 15 nov. 1922, 14, 600).

Vicentina, causae incidentis de appellatione et competentia, 18 mart. 1922.

5. Die 18 mart. 1922 in *Vicentina* societatis, quaestionum incidentalium de appellatione et competentia sententiatum est:

1) intimationem sententiae factam, a persona *non qualificata*, qualis erat in casu quidam privatus a tribunalis secretario missus quique de munere adimplendo ac adimpleto nullam fidem facere poterat nec fecit, irritam esse ac proinde ab ea appellationum fatalia nequaquam decurrere;

2) rem iudicatam in foro saeculari impedire quominus causa iterum agitetur in foro ecclesiastico. Prout enim Status admittere debet. sententiam iudicis ecclesiastici competentis rem iudicatam inducere etiam in foro civili, ita et Ecclesia, plane admittens auctoritatem etiam iudiciariam Status in re pure temporali, vim rei iudicatae in suo foro agnoscit sententiae iudicis saecularis competentis (A. A S., 15 dec. 1922, 14, 652).

71. - *Provisio ecclesiarum*

A. Archiepiscopi vel episcopi *residentiales in consistorio secreto* 11 dec. 1922 praeconizati sunt, praeter alios (quorum nomina reperiuntur apud haec Period. XI, 1922, pp. 58, 135 atque infra),

Perugia R. D. Ioan. Bapt. Rosa, archiep Perusin. (Italia).

Pinerolo R. P. D Angel. Bartolomasi, ep. Pinerolien (Italia) ex episcopo Tergestino et Iustinopolitano.

Wheeling R. P. D. Ioan. Swint, ep. Whelingen. (Stat. foed. Amer. sept), ex episcopo tit. Surensi.

Gaspé R. D. Franc. Xav. Ross, ep. Gaspesien. (Canada).

Andria R. D. Alex. Macchi, ep. Andrien. (Italia).

Ferentino R. D. Alex. Fontana, ep. Ferentinen. (Italia).

Sarsina R. D. Anton Scarante, ep. Sarsinaten. (Italia).

Ampurias e Tempio R. D. Albin. Morera, ep. Ampurien. et Templen. (Sardinia).

R. D. Ios. Manriquezy Zárate, ep. Huejntlen. (Mexico).

R. D. Nic. Corona, ep. Papantlen. (Mexico).

Oviedo R. P. D. Ioan. Bapt. Luis Perez, ep. Oveten. (Hispania) ex episcopo tit. Dorylensi.

Cuenca R. D. Crux Laplana y Laguna, ep. Conchen. (Hispania).

Superior R. D. Ios. Pinten, ep. Superioren. (Stat. foed. Amer. sept).

R P. D Ioan. Saric, archiep. Vrhbosnen. (Bosnia) ex episcopo tit. Caesaropolitano. — *Vrhbosna o Sarajevo*

R. D. Hermeneg. Pellegrinetti, ep. Adanen. (Syria). — *Adana*

R. P. D. Helvet. Gomez de Oliveira, archiep. Mariannen. (Brasilia) ex archiepiscopo tit. Verissensi. — *Marianna*

R. D. Iacob. Moris, ep. Rosen. (insula S. Dominici Am. cen.) — *Roseau*

R. P. D. Rodulf. Bornewasser, ep. Treviren. (Germania) ex episcopo tit. Bitano. — *Trier*

R. D. Placid. Ferniani, ep. Ruben. et Bituntinus (Italia). — *Ruvo e Bitonto*

R. P. D. Emman. Fulchera y Pietrasanta, ep. Zamoren. (Ecuador), ex episcopo Cuernavacensi. — *Zamora*

R. D. Franc. Gonzalez, ep. Campecoren. (Mexico). — *Campeche*

R. P. D. Franc. Uranga y Saenz, ep. Cuernavacen (Mexico), ex episcopo tit. Tlousino. — *Cuernavaca*

R. P. D. Hubert Fiodo, ep. Castri Maris seu Stabien. (Italia), ex episcopo Bovinensi. — *Castellamare di Stabia*

R. D. Paschal. Diaz, ep. Tabasquen. (Mexico). — *Tabasco*

R. P. D. Melctios Michael Abu Assali, ep. Heliopolitan (Syria) — *Baalbek*

R. P. D. Henr. S. R. E. Card. Reig y Casanova, archiep. Toletan. (Hispania) ex archiepiscopo Valentino. — *Toledo*

R. P. D. Prudent. Melo y Alcalde, archiep. Valentin. (Hispania) ex episcopo Matritensi et Complutensi. — *Valencia*

R. P. D Leop. Eijo y Garay. ep. Matriten. et Compluten (Hispania), ex episcopo Victoriensi — *Madrid et Alcala*

R. P D. Zachar. Martinez y Nunez, ep. Victorien. (Hispania), ex episcopo Oscensi. — *Vittoria*

R. P. D. Matth. Colom y Canals, ep. Oscen (Hispania), ex episcopo tit. Andrapanensi. — *Huesca*

R. D. Mich. Serra y Sucarraz, ep. Canarien. (Hispania). — *Insulae Canariae*

B. Decretis *S. Congr. Consistorialis* nominati sunt:

6 iul. 1922, R. D. Tiber. Salazar ep. Manizalen. (Columbia). — *Manizales*

21 » » R. D. Ioach Arrospide, ep. Melen. (Uruguay). — *Melo*

22 » » R. D. Ferdin. Cento, ep. Iacien. (Sicilia). — *Aci-Reale*

3 aug. » R. D Renat. Migneu. ep. Montispessulanus (Gallia) — *Montpellier*

12 aug. 1922, R. D. Franc. Ruben Berrea, ep. Huanacen (Peru). — *Huánuco*

16 aug. 1922, R. D. Nicol. Di Girolamo, ep. Caiacen. (Italia). — *Cajazzo*

19 » » R. D. Ioan. Pulvirenti, ep. Cephaluden. (Sicilia). — *Cefalù*

6 sept. 1922, R. P. D. Angel Marquina Corrales, ep. Guadicen. (Hispania), ex episcopo Canarien. — *Guadix*

12 sept. 1922, R. D. Ios. Eug. Limoges, ep. Montis Laurei (Canada). — *Mont-Laurier*

12 sept. 1922, R. D. Hierem. Pascucci, ep. Triventinus (Italia). — *Trivento*

4 oct. 1922, R. D. Ioan. Bapt. Chiappe, ep. Hieracen. (Italia). — *Gerace*

S. Luigi del Maragnano 27 oct. 1922, R. P. D. Octavian. Pereira de Albuquerque, archiep. Sancti Ludovici de Maragnano (Brasilia) ex episcopo Piahunensi.

Goyaz 27 oct. 1922, R D. Emman. Gomez de Oliveira, ep. Goyasen (Brasilia).

Natal 27 oct. 1922, R D. Ios. Pereira Alves, ep. Natalen. (Brasilia).

S. Maria » » » R. D. Euseb. Attico, ep. Sanctae Mariae (Brasilia).

Sault S. Marie et Marquette 25 nov. 1922, R. P. D. Paul. Ios. Henr Nussbaum, ep. Marianopolitanus et Marquetten. (Stat. foed. Amer. sept.) ex episcopo titulari Gerasensi.

Mysore Decreto vero *S. Congr. de Propaganda Fide* :

21 iun. 1922, R. P. Maur. Bern. Despatures, ep. Mysurien. (Indiae Orient.)

C. *Vicarii et Praefecti Apostolici* per *S. Congr. de Propaganda Fide* nominati sunt :

Brazzaville 28 iun. 1922, R. P. Firmin. Guichard, Vic. Ap. de Brazzaville (Africa centr).

Lulua et Katanga 15 iul. 1922, R. P. Valent. Cam. Stappers, Praef. Ap. de Lulua et Katanga (Africa centr.)

Suecia 10 oct. 1922 R. D. Ioan. Evang. Müller, Vic. Ap. Sueciae.

Dania et Islandia » » » R. P. Ios. Ludov. Brems, Vic. Ap. Daniae et Islandiae

Zambese 19 oct. 1922, R. P. Rob. Brown, Praef. Ap. Zambesiae.

S. Pierre et Miquelon 9 nov. 1922, R. P. Carol. Heitz, Praef. Ap. insularum S. Petri et Miquelonen. (Americae Septemtr.)

C. Decreto *S. Congr. Consistorialis* nominatus est *Administrator Apostolicus* :

Fiume 17 sept. 1922, R. P. Isidor. Sain, civitatis Fiume et suburbiorum.

Decreto vero *S. Congr. pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis* :

Silesia Superior 7 nov. 1922, R. D. Aug Hlond, Silesiae Superioris.

Decreto S. Congr. de Propaganda Fide :

Poone 15 nov. 1922, R. P. Maximil. Riklin, dioecesi Poonensis (Indiae orient.)

Nominationes Nuntiorum, Internuntii, Delegatorum Apostolicorum.

Cina 12 aug. 1922, Ill. D Celsus Costantini, ep. tit. Hieropolitanus, Delegatus Apostolicus in Sinis.

Mesopotamia 19 sept. 1922, Ill. P. Domin Berrè, archiep. Babylonen. Latinorum, Delegatus Apostolicus Mesopotamaie, Kurdistaniae et Armeniae Minoris.

9 oct. 1922, Ill. D Ioan. Beda Cardinale, archiep. tit. Chersonen., Nuntius Apostolicus in republica Argentina. *Argentina*

12 oct. 1922, Ill. D. Angel. Rotta, archiep. tit. Theban, Internuntius Apostolicus in America centrali. *America cent.*

25 oct. 1922, Ill. D. Antonin. Zecchini, ep tit. Myren., Delegatus Apostolicus Lettoniae, Lituaniae, Estoniae. *Regiones balticae*

14 dec. 1922, Ill. D. Petr. Fumasoni - Biondi, ep. tit. Diocletan., Delegatus Apostolicus in Statibus Foederatis Americae septemtrionalis. *Stat. foed. Americae*

16 dec. 1922, Ill. D. Henr. Sibilia, archiep. tit. Siden., Nuntius Apostolicus in Austria. *Austria*

72. - *Necrologium*

21 iul. 1922, Ill. D Ant. Vinc. Arenas, ep. de Socorro (Columbia). *Socorro*

27 iul. 1922, Ill. D. Ant de Oliveira Lopes, archiep Maceien. (Brasilia). *Maceió*

19 aug. 1922, Ill. D. Ioan. Bapt. Rossi, ep. Pinerolien (Italia). *Pinerolo*

26 iul. » Ill. D. Ioan. Grimes, ep. Syracusen. (Stat. foed. Americae septemtr.). *Syracuse*

1 sept. 1922, Ill. D. Silver. Gomez Pimenta, archiep. Mariannen (Brasilia). *Marianna*

4 oct. 1922, Ill. D. Patrit. Iacob. Donahue, ep. Whelingen. (Stat. foed. Americae septemtr.). *Wheeling*

12 oct. 1922, Ill. D. Anton. Riccardi, ep. Sarsinaten. (Italia). *Sarsina*

27 » » Ill. D. Hyppol. Ulivelli, O. F. M., Vic Ap. de Chaco (Bolivia). *Chaco*

28 oct. 1922, Ill. D. Modest. Everaerts, O. F. M., Vic. Ap. de Hu-pé occ.-merid. (Cina). *Hu-pè occ. merid.*

8 dec. 1922, Em. D. Card. Ios. M. Martin de Herresa y de la Iglesia, archiep. Compostellanus (Hispania). *Compostella*

4 dec. 1922, Ill. D. Ios. Dumani, ep. Tripolitanus (Syria) ritius graeco-melchitae. *Tripoli*

11 dec. 1922, Ill. D. Luc. Canepa, ep. Galtellinen. - Noren. (Sardinia). *Galtelli-Nuoro*

18 dec. 1922, Ill. D. Letterius D'Arrigo Ramondini, archiep. Messanen (Sicilia). *Messina*

BIBLIOGRAPHIA

Ex Libris

Ex iure canonico

Ferrugia, Nic., O. S. A., *De casuum conscientiae reservatione iuxta Codicem I.* C. ed 2. Augustae Taurinorum-Romae, Marietti, 1922. In - 8, 96 p. L. it. 3,50.

Introductio. - ART. I. De natura et fine reservationis. - ART II. De modo reservationis. - ART. III. De auctore reservationis. - ART. IV. De condicionibus ad reservationem requisitis. - ART. V. De ignorantia reservationis - ART. VI. De subiecto reservationis. - ART. VII. De auctore absolutionis a reservatis. - ART. VIII. De cessatione reservationis. APPENDIX. Circa cessationem potestatis episcopi, Ordinarii atque confessarii.

Pistocchi, Mar., *De synodo dioecesana. Codicis I. C. libri II, P. I., tit. VIII c. III, Commentarium breve.* Taurini, Marietti, 1922. In - 12, 54 p. L. it. 3,25.

I. Generalia. II. Commentarium.

Matth. a Coronata, O. M. C. *De locis et temporibus sacris.* Cod. I. C. L. III pars altera. Tractatus Theoretico-practicus. Augustae - Taurin., Marietti, 1922. In- 8,XX - 340 pp. L. it. 14.

SECT. I. DE LOCIS SACRIS. § 1. notio et divisio locorum sacrorum. § 2. De benedictionibus locorum sacrorum

TIT. I. - **De Ecclesiis**. § 1 Notio, divisio, historia ecclesiarum. - § 2. De aedificatione eccles. - § 3. De dedicatione seu benedictione eccles. - § 4 De violatione et reconciliatione eccles. - § 5. De campanis. - § 6. De immunitate eccles. - § 7. De basilicis. - § 8. De libero accessu ad ecclesiam. - § 9. De administratione bonorum ecclesiarum. - § 10. De officiis inferioribus. - § 11. De reparatione ecclesiarum

TIT. II. - **De oratoriis**. § 1. De oratoriis in genere §§ 2. 3. 4. De oratoriis publicis, semi-publicis, privatis.

TIT. III. - **De altaribus**. § 1. Notio, divisio et historia. § 2. Confectio, materia et structura altarium. - § 3. Altarium consecratio. - § 4. Exsecratio altaris - § 5. De titulo altarium. § 6. Usus altarium.

TIT. IV - **De Sepultura ecclesiastica.** Praenotiones. - CAP. I. De coemeteriis. - CAP. II. De cadaveris translatione ad

ecclesiam, funere et depositione. - CAP. III. De iis quibus sepultura ecclesiastica concedenda est aut neganda (Haec fusius in §§ et art. proponuntur).

SECT. II. DE TEMPORIBUS SACRIS.

TIT. PRAEVIUS. *De temporibus sacris in jenere*.

TIT. I. **De diebus festis.** § 1. Notio, divisio, historia. § 2. Disciplina vigens.

TIT. II. **De abstinentia et ieiunio.** § 1. Notio, divisio, historia. - § 2. Ius vigens.

Buvee, *Mémento pratique du ministère poroissial en conformité avec le nouveau Code canonique.* In 8°. XII - 324 p. Paris, VIIIe Bonne Presse, 5 rue Bayard, 5 fr.

PREMIÈRE PARTIE. Notions sur l'office du curé et la paroisse. *Section I.* De l'office du curé. *Section II.* Des paroisses. - DEUXIÈME PARTIE. Devoirs du curé. - *Section I*: Devoirs imposés par la charge pastorale. *Section II*: Administration des Sacrements. TROISIÈME PARTIE. Droits des curés.

Breviarium Natalitium seu Officia Nativitatis et Epiphaniae D. N. J. C. earumque octavarum necnon festorum eo tempore occurrentium ex Breviario Romano iuxta novissimas variationes pro maiori recitantium commoditate digestum - Taurinorum Augustae, Marietti, 1923. Pret. Lib. ital. solutum 10

contectum linteo, sectione rubra, cum signo	. . .	15
» corio chagrin, sectione rubra, signo ac theca	.	23
» » » sectione aurea »	»	24
» hircino corio (maroquin)	. . . .	27

De Imitatione Christi libri quatuor. Edit. 52a Taurinensis accuratissime emendata - Taurinorum Augustae, Marietti, 1923. 6 1/2 cm. × 11 1/2 cm. Solutum: 4 lib. ital.; contectum linteo etc. lib. it. 7; cont. chagrin, etc. lib. it. 10.

Rod. Hoornaert (R. D.) *Sainte Térèse écrivain* son Milien - ses Facultés - son Œuvre. In 8° XX-652 p. Paris, Lille, Bruges, 1922 Desclée, De Brocuver et C.

1. **Partie.** *Le Milieu:* Les horizons politiques; - Le milieu social; - L'atmosphère intellectuelle; - Le moment littéraire.

2. **Partie.** *Les facultés littéraires:* Les facultés émotives; - L'intelligence; - L'émotivité de Térèse et sa vie d'action; - L'intelligence de Térèse et sa vie mystique.

3. **Partie.** *L'oeuvre:* Caractères généraux; Les sources; Examen particulier des divers écrits; Le style de Ste Térèse.

SUMMA DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

Dissertationes

Pag.

I. Moralis et pastoralis consideratio de religiosarum confessione facta confessario ex c. 522 . . . . . (1)

II. Interpretatio c. 19 de stricta quarundam legum interpretatione, cum nonnullis applicationibus . . . . . (8)

Commentaria de formulis facultatum quas S. Congr. de Propaganda Fide concedere solet . . . . . (33)

PRAEFATIO.

CAPUT. I. — HISTORICA.

Art. I. De origine formularum.

I. De facultatibus quae ante formulas concedebantur. . . . (35)

II. Congregalio particularis de Facultatibus . . . . . (38)

III. Formularum generalium praeparatio . . . . . (40)

Art. II. Regularum et formularum tenor ac spiritus . . . . (42)

Art. III. Facultatum concessio . . . . . (65)

Art. IV. Facultatum interpretatio . . . . . (68)

CAPUT. II. — FORMULAE HODIERNAE.

Art. I. Quot sint, quomodo et quibusnam concedantur. . . . (70)

Art. II. Normae generaliores interpretationis.

I. Normae quae ex generalibus iuris principiis vel sanctionibus eruuntur (72)

II. Normae communes e formulis desumptae . . . . . (76)

Art. III. Facultates singulis formulis concessae.

§ 1. Facultates Formulae primae . . . . . (81)

A. Facultates circa sacramenta et sacros ritus . . . . (82)

B. Facultates circa absolutiones, benedictiones, indulgentias, etc. . (91)

C. Pro ipso Ordinario . . . . . (106)

Supplementa . . . . . (108)

I. Supplementum pro Formulis minoribus . . . . . (109)

II. Supplementum pro Formulis maioribus . . . . . (111)

§ 2. Facultates Formulae secundae . . . . . (112)

I. Formula secunda minor.

A. Circa Sacramenta et sacros ritus . . . . . (112)

B. Circa absolutiones, benedictione, indulgentias, etc. . . . (123)

C. Pro ipso Ordinario . . . . . (127)

II. Formula secunda maior . . . . . (127)

§. 3. Facultates Formulae tertiae . . . . . (128)

I. Formula tertia minor

A. Circa Sacramenta et sacros ritus . . . . . (130)

B. Circa absolutiones, benedictiones indulgentias, etc. . . . (141)

C. Pro ipso Ordinario . . . . . (143)
II. Formula tertia maior . . . . . (143)
CAPUT. III. — DE COMPARATA RATIONE PRAESENTIUM FORMULARUM ET EARUM QUA URBANO VIII PONTIFICE REFORMATAE PRODIERUNT . . . . . (143)

Quaesita varia

I. Quaesita communia saecularium.
I. De librorum conscriptione . . . . . (15)
II. De facultate capessendi statum religiosum . . . . . (17)
III. De significatione vocis *tabernae* in c. 138 . . . . . (19)
IV. De residentia canonicorum . . . . . (19)
V. Casus americanus de sepulturis . . . . . (21)
VI. De administratione rerum temporalium . . . . . (23)
VII. De numerica peccatorum ratione in violatione ieiuni . . . (25)
Variae quaestiones de partitione cleri inter duas dioecesis divisae partes (145)
De competentia Episcopi vel quasi-Episcopi . . . . . (160)
II. Quaesita propria religiosorum.
1. De admissione ad primam professionem et noviciatus prorogatione (27)
2. De confirmatione Superioris generalis in munere suo . . . (28)
3. De iure quaesito ad bona quibus religiosus renuntiavit . . . (30)
4. De subiecto bonorum religionis . . . . . (32)
10. De electione capitulari . . . . . (153)
11. De nominatione in Consilio Generalis . . . . . (154)
12. De voce passiva . . . . . (154)
13. De integritate noviciatus . . . . . (155)
14. De publica ratione emittendi vota . . . . . (156)
15. De confessione facta socio itineris . . . . . (156)
16. De excusatione a praecepto communi Ecclesiae . . . . (157)
17. De condicione monialis quae ad tempus degat in alio monasterio . (157)
18. De administratione temporali . . . . . (158)
19. De renuntiatione bonorum . . . . . (159)

INDEX ANALITICUS MONUMENTORUM

Pag.

Benedictus Pp. XV. f. r.

1. Epistola **Libenter quidem** ad delegatum apostolicum in Indiis orientalibus varia monens in illius ecclesiae utilitatem (15 oct. 1921). — *Annotatio.* . . 1

Acta summatim relata

13. A. Litterae de basilicis 49
E. Litterae de dioecesibus mutandis 49
C. Litterae de indulgentiis 49
D. Litterae de facultate impertinendi benedictionem abbatialem . . 49
E. Breve permittens presbyteris a S. Sulpicio ut Seminaria acceptent (23 dec. 1921) 50

SS. D. N. Pii Pp. XI.

2. Motu proprio **Cum proxime** de C. *Vacante sede* (1 mart. 1922). *Annotationes* 4
5. Litterae de conventu internationali Genensi (7 et 29 apr. 1922) italice et gallice 11
24. Motu proprio **Romanorum Pontificum** de pio opere a Propagatione Fidei amplificando (3 maii 1922). — *Annotatio* 63
25. Annexa Statuta. — I. Pii operis a Propagatione Fidei Statuta generalia 67
II. Statuta pro Consilio Superiore generali pii Operis a Propaganda Fide — *Annotatio* 70
26. Epistola apostolica **Annus fere iam est** de Russis fame laborantibus (10 iul. 1922) 73
27. Constitutio apostolica **Summorum Pontificum**, qua S. Ignatius a Loyola coelestis Exercitiorum spiritualinum Patronus declaratur (25 iul. 1922) — *Annotationes* 75
51. Epistola **Officiorum omnium**, de seminariis et studiis clericorum (1 aug. 1922). 150
61. Epistola ad D. Murray, de restituenda bibliotheca Lovaniensi. (8 sept. 1922) *Annotatio* 185

Acta summatim relata.

13. F. Breve dans B. V. Mariam sub titulo Assumptionis et S. Ioannam Arcensem ut patronas Galliae (2 mart. 1922) 50
14. A. Litterae de ecclesia 50
B. Litterae de Praefectus apostolicis erigendis 50
C. Litterae de indulgentiis 51
42. A. Litterae de erigenda Ecclesia metropolitana, Praelatura *nullius* . 130
B. Litterae de dioecesi erigenda 130
C. Litterae de Vicariatibus vel Praefecturis apostolicis erigendis . 130

D. Litterae de basilica 131
E. Epistola de religione in B. M. V. de Monte Carmelo . . 131
F. Epistola de tertio pleno saeculo a canonizatione S. Theresiae . 131
63. A. Concordatum inter S. Sedem et rem publicam Lettoniae (30 mai 1922) 189
B. Epistola de conciliatione factionum in Italia (6 aug. 1922) . . 190
C. Epistola qua pontificicium Institutum Orientale Societati Iesu committitur (14 sept. 1922). 190
D. Allocutio consistorialis (11 dec. 1922) 190
E. Epistola apostolica in anniversario canonizationis S. Ignatii et S. Fr. Xaverii (3 dec. 1922) 191
F. Motu Proprio de Schola Musicae Sacrae (22 nov. 1822) . . 192
G. Litterae de dioecesibus erigendis, dividendis 192
H. Litterae de erigenda abbatia *nullius* 192
I. Litterae de Vicariatibus vel Praefecturis apostolicis erigendis, mutandis 192
K. Litterae de erigenda Delegatione apostolica in Sinis . . . 192
L. Litterae de abbatia transferenda, innovanda 193
M. Litterae de basilicis 193

S. Congr. S. Officii

3. I. Decretum quo damnatur quoddam opus (16-17 nov. 1921) . . 6
II. Decretum quo liber quidam reprobatur (15-16 mart. 1922). *Annotationes* 7

Acta summatim relata.

43. A. Opera damnata 131
B. Excommunicatio et commentarii periodici proscriptio . . 132

S. Congr. Concistorialis

64. Excommunicatio sacerdotum schimaticorum 193

Acta summatim relata.

15. Mutationes in nomine vel statu dioecesum 51
44. Mutationes in nomine vel statu dioecesum 131
65. A. Communicata 194
B. Decretum de finibus dioecesis mutandis. 194

S. Congregatio de disciplina Sacramentorum.

Acta summatim relata.

16. Responsum permittens transitum ad novas nuptias 51

S. Congr. Concilii.

4. Responsum circa donaria votiva et alienationes (14 ian. 1922). *Annotationes* 8

Acta summatim relata.

66. A. Causae contentiosae
1. Collationis canonicatuum 194
2. Collationis paroeciarum. 195
B. Decretum de excommunicatione 195

S. Congr. de Religiosis

6. Decretum **Sancitum est,** de quinquennali relatione a religionibus facienda (8 mart. 1922) cum instructione seu elencho quaestionum. *Annotationes* 18

7. Responsum de munere supremi moderatoris ad vitam (6 mart. 1922). — *Annotatio* 31
8. Responsa de pecuniis quae, occasione servitii militaris, religiosis obveniunt (16 mart. 1922). — *Annotationes* 32
28. Responsum de taxa pro exploratione voluntatis apud religiosas (13-20 mart. 1922) — *Annotationes* 79
29. Responsum de nunismate pro scapulari tertii Ordinis (22 mart. 1922) — *Annotationes* 81
30. Decretum circa indultum prorogandi Capitulum generale (23 iul. 1922 . 84
31. Rescriptum circa professionem religiosorum qui in Belgio ad servitium militare astringantur (20 iun. 1922) — *Annotatio* 85
52. Responsum de acceptatione rescripti saecularizationis vel dispensationis votorum (1 aug. 1922) 150
56. Responsa de monialium monasteriorum fundatiane, translatione et professione (11 oct. 1922) *Annotationes* 159
58. Decretum **Quod iam,** de Instiiutis iuris dioecesoni (30 nov. 1922) *Annotationes.* 173

S. Cong. de Propaganda Fide

32. Epistola **Sacrum Consilium,** de nova relationis quinquennalis formula (16 apr. 1922) — *Annotationes.* 86
59. Monita Secretariae Pontificii operis a Propagatione Fidei (22 nov. 1922). — *Annotatio* 172

Acta summatim relata.

18. A. Erectio novi collegii Missionum 52
B. Praeses in Helvetia unionis cleri pro missionibus denuntiatur . 52
C. Internationalis conventus missionalis indicitur. . . . 52
D. Decreta de Vicariatibus apostolicis 52
45 Mutationes in Vicariatuum apostolicorum titulo 132
67. A. Indictio visitationis 193
B. Mutatio in Vicariatus Apostolici sede 195
C. Attributio Praefecturae Apostolicae 195
D. Mutatio in denominatione missionum 195
E. Nominatio praesidis unionis cleri pro missionibus in Hispania . 196
F. Nominatio praesidum pro Consiliis nationalibus operis a Propagatione Fidei 196

S. Cong. Rituum

10 Responsum de collecta imperata seu oratione pro pace (18 febr. 1922) 45
33. Decretum de evangeliis stricte propriis (29 apr. 1922) — *Annotationes* . 109
34. Responsum de missis de requie in translatione cadaveris olim humati (16 iun. 1922) — *Annotatio* 111
35. Responsa varia (16 iun. 1922) — *Annotationes.* 112
36. Responsum de cineribus benedictis imponendis extra feriam IV cinerum (1922) 122
37. Rescriptum de novis quibusdam calicis formis (30 iun. 1922) . . . 122
53. Responsum de missis infra octavam privilegiatam III ordinis (8 iul. 1922) — *Annotationes* 152

54. Responsa de fidelibus qui celebranti respondeant vel cum eo plura legant (4 aug. 1922) *Annotationes* 154
62. Decretum. Additiones faciendae in Rituali Romano (9 aug. 1922) . . 187

Acta summatim relata.

19. Additio ad litanias Omnium Sanctorum. 52
II. Missa votiva de Fidei Propagatione — *Annotationes* . . . 53
III. Decreta introductionis causae beatificationis et canonizationis. 55
IV. Decreta de beatificatione 55
46. A. Causae beatificationis 133
B. Concessio privilegiorum basilicae minoris 134
68. A. Rescripta interpretativa
1. Tabulae nominum defunctorum. *Annotatio* 196
2. Usus campanulae in missa 196
3. Missa votiva pro Fidei Propagatione 196
B. Rescriptum de ritu festi S. Eusebii Vercellensis . . . 197

S. Congregatio pro Negotiis Extraordinariis

Acta summatim relata.

47. Administrator apostolicus liberae civitatis Gedanensis . . . 134
69. Administrator Apostolicus Silesiae superioris 197

S. Congregatio de Seminariis et de Studiorum Universitatibus.

38. Decretum **Pontificia Universitas,** de gradu magisterii in Universitate Gregoriana (23 iun. 1922) 123
55. Decretum de unione seminariorum Calvensis et Theanensis in seminarium intediocesanum constituendum (2 aug. 1922). — *Annotatio* . 157

S. Paenitentiaria Apostolica.

9. Indulgentiae apostolicae (ex audientia 17 febr. 1922). — *Annotationes* . 39
39. Responsum de cumulandis indulgentiis apostolicis cum aliis (14 iun. 1922) *Annotatio* 126

S. Rota Romana

Acta summatim relata

20. I. Causae matrimoniales 55
II. Causae varii argumenti 56
Causae quae anno 1921 absque definitiva sententia finem habuerunt.
I. Causae matrimoniales 57
II. Causae varii argumenti 57
48. De iure processionum confraternitatum 134
70. 1. Mercurialis oratio decani S. Rotae 198
2. 3. 4. Causae matrimoniales 198-199
5. Causae incidentes de appellatione et competentia 200

Pontificia Commissio de Re biblica.

11. Declaratio de additione variarum lectionum in editionibus versionis Vulgatae (17 nov. 1921) — *Annotatio* 46

Pont. Commissio Codici interpretando

12. Responsum de indulto et consuetudine servatis post Codicem (23 mart. 1920). — *Annotationes* 47
40. Responsa circa canonem 139 (15 apr. 1922). — *Annotatio* . . . 126
41. Responsa de electione et postulatione nec non de reservatione dignitatum (1 iul. 1922) — *Annotationes* 127
57. Dubia soluta in plenariis comitiis (14 iul. 1922) *Annotationes* . . 162
60. Dubia soluta in plenariis comitiis (12 nov. 1922). *Annotationes* . . 181

Provisio Ecclesiarum.

21. A. Decretis S. Congr. Consistorialis 58
B. Decretis S. Congr. de Propaganda Fide. 58
C. Decretis S. Congr. pro Ecclesia Orientali 58
22. Nominatio Delegati apostolici 59
49. A. Decretis S. Cong. Concistorialis 135
B. Decretis S. Congr. de Propaganda Fide 135
C. Decreto S. Congr. pro Negotiis Extraordinariis . . . 136
71. A. Archiepiscopi vel episcopi praeconizati in Concistorio 11 dec. 1922 200
B. Decretis S. Congr. Consistorialis 201
C. Decretis S. Congr. de Propaganda Fide 202
Decreto S. Congr. pro Negotiis eccl. Extraordinariis 203
Nominationes Nuntiorum, Internuntii, Delegatorum apostolicorum. . 203
Necrologium 23. 50. 72. 59. 136. 203

Bibliographia 60. 137. 204

MONUMENTORUM

INDEX CHRONOLOGICUS

Quae monumenta *plene* exscripsimus hic *litteris italicis*, quae *summatim* relata sunt, hic litteris ordinariis indicantur.

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1921	8 ian.	Decisio	S. Romana Rota	56	20 I 5
»	12 »	»	»	56	20 I 2
»	18 »	»	»	56	20 II 1
»	23 »	»	»	57	20 I 5
»	3 febr.	»	»	57	20 I 1
»	26 »	»	»	57	20 II 2
»	9 mart.	»	»	57	20 I 2
»	16 »	»	»	56	20 I 6
»	2 apr.	»	»	57	20 I 3
»	2 »	»	»	57	20 II 1
»	8 »	»	»	56	20 I 5
»	9 »	»	»	56	20 I 4
»	9 »	»	»	57	20 I 4
»	27 »	»	»	57	20 II 3
»	10 maii	»	»	56	20 I 6
»	13 »	»	»	56	20 I 4
»	17 »	»	»	56	20 I 8
»	28 »	»	»	55	20 I 1
»	16 iunii	»	»	56	20 I 6
»	22 »	»	»	56	20 I 4
»	23 »	»	»	56	20 I 7
»	5 iulii	»	»	56	20 I 4
»	14 »	»	»	56	20 I 6
»	14 »	»	»	57	20 II 1
»	2 aug.	»	»	56	20 I 4
»	3 »	»	»	56	20 I 9
»	6 »	»	»	56	20 I 4
»	6 »	»	»	56	20 I 7
»	11 »	»	»	56	20 I 5
»	11 »	»	»	56	20 I 5
»	16 »	»	»	57	20 II 4
»	18 »	»	»	56	20 I 4
»	18 »	»	»	56	20 II 5
»	30 sept.	Bulla	Benedictus Pp. XV.	49	13 B
»	3 oct.	Decretum	S. C. de Prop. Fide	52	18 B

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1921	15 »	*Epistola*	*Benedictus Pp. XV*	*1*	3
»	12 nov.	Decisio	S. Romana Rota	56	20 I 3
»	12 »	Resolutio	S. C. Concilii	194	66 A
»	15 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	52	18 D 1
»	16-17 »	*Decretum*	*S. C. S. Officii*	*6*	31
»	16 »	Decisio	S. Romana Rota	57	20 II 3
»	17 »	»	»	57	20 II 3
»	17 »	*Declaratio*	*Commis. de Re Biblica*	*46*	11
»	18 »	Responsum	S. C. Discipl. Sacram.	51	16
»	23 »	Decretum	S. C. Rituum	55	19 III 1
»	23 »	»	»	55	19 IV 3
»	30 »	Decisio	S. Romana Rota	56	20 I 5
»	2 dec.	Litterae	Benedictus Pp. XV	49	13 A 1
»	11 »	Responsum	S. C. Concilii	51	17
»	11 »	Decretum	S. C. Rituum	55	19 IV A
»	13 »	Litterea	Benedictus Pp. XV	49	13 D
»	15 »	»	»	49	13 A 2
»	17 »	Decisio	S. Romana Rota	56	20 I 4
»	22 »	Litterae	Benedictus Pp. XV	49	13 C
»	23 »	»	»	50	13 E
»	23 »	Decretum	S. C. Rituum	134	46 B
»	30 »	Decisio	S. Romana Rota	56	20 I 9
1922	13 ian.	Decisio	»	199	70 2
»	14 »	*Responsum*	*S. C. Concilii*	*8*	4
»	25 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	52	18 A
»	3 febr.	Decisio	S. Romana Rota	134	48
»	10 »	Litterae	Pius Pp. XI	130	42 A
»	11 »	»	»	51	14 C
»	16 »	»	»	50	14 B 1
»	*17* »	*Indulg. Apostol.*	*S. Paen. (Sect. de Indulg.)*	*39*	9
»	17 »	Decretum	S. C. Consistorialis	51	15 1
»	*18* »	*Responsum*	*S. C. Rituum*	*45*	10
»	18 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	52	18 D 2
»	18 »	Litterae	Pius Pp. XI	50	14 B 2
»	19 »	Resolutio	S. C. Concilii	195	66 A 2
»	20 »	Litterae	Pius Pp. XI	50	14 A
»	1 mart.	*Motu proprio*	»	*4*	2
»	2 »	Litterae	»	50	13 F
»	3 »	Decretum	S. C. Consistorialis	51	15 2
»	3 »	»	»	51	15 3
»	4 »	Bulla	Pius Pp. XI	130	24 C 4
»	4 »	Epistola	»	131	42 F
»	*6* »	*Responsum*	S. C. de Religiosis	31	7
»	*8* »	*Decretum*	»	18	6
»	14 mart.	Litterae	Pius Pp. XI	130	42 C 1
»	14 »	»	»	130	42 C 2
»	14 »	»	»	130	42 C 3

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1922	*15-16 mart.*	*Decretum*	*S. C. S. Officii*	*7*	3 II
»	*16* »	*Responsa*	*S. C. de Religiosis*	*32*	8
»	18 »	Epistola	Pius Pp. XI	131	42 E
»	18 »	Decisio	S. Romana Rota	200	70 5
»	*18-20* »	*Responsum*	*S. C. de Religiosis*	*79*	28
»	19 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	52	18 D 3
»	22 »	»	S. C. Rituum	52	19 I
»	22 »	»	»	52	19 II
»	22 »	»	»	52	19 III 2
»	22 »	»	»	133	46 A I
»	*22* »	*Responsum*	*S. C. de Religiosis*	*81*	29
»	*23* »	»	*Com. Can. Interpr.*	*47*	12
»	1 apr.	Litterae	S. C. de Prop. Fide	52	18 C
»	*7* »	»	*Pius Pp. XI.*	*11*	5 A
»	*15* »	*Responsa*	*Com. Can. Interp.*	*126*	40
»	*16* »	*Epistola*	*S. C. de Prop. Fide*	*86*	32
»	20 »	Bulla	Pius Pp. XI	130	42 B
»	21 »	Decretum	S. C. negot. extraord.	134	47
»	25 »	Litterae	Pius Pp. XI	131	42 C 5
»	*29* »	*Litterae*	»	*14*	5 B
»	*29* »	*Decretum*	*S. C. Rituum*	*109*	33
»	29 »	Decretum	S. C. Consistorialis	132	44 1
»	1 maii	»	S. C. de Prop. Fide	132	45
»	2 »	Litterae	Pius Pp. XI	131	42 D
»	*3* »	*Motu proprio*	»	*63*	24
»	5 »	Bulla	»	192	63 G 1
»	19 »	Decretum	S. C. S. Officii	131	43 A 1
»	30 »	Concordatum	Pius Pp. XI	189	63 A
»	1 iunii	Bulla	»	192	63 G 2
»	2 »	Decretum	S. C. S. Officii	131	43 A 2
»	7 »	Bulla	Pius Pp. XI	192	63 H
»	7 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	195	67 A
»	9 »	»	S. C. Consistorialis	132	44 2
»	10 »	Resolutio	S. C. Concilii	194	66 A 1
»	11 »	Decretum	S. C. Rituum	133	46 A 2
»	*14* »	*Responsum*	*S. Paenitentiaria*	*125*	39
»	14 »	Decretum	S. C. S. Officii	132	43 B
»	14 »	»	S. C. de Prop. Fide	132	45
»	*16* »	*Responsum*	*S. C. Rituum*	*111*	34
»	*16* »	*Responsa*	»	*112*	35
»	18 »	Litterae	Pius Pp. XI	192	63 I 1
»	*20* »	*Rescriptum*	*S. C. de Religiosis*	*85*	31
»	20 »	Decisio	S. Romana Rota	199	70 4
»	*23* »	*Decretum*	*S. C. de Seminariis*	*123*	38
»	27 »	Litterae	Pius Pp. XI	192	63 I 2
»	*30* »	*Responsa*	*S. C. Rituum*	*122*	36
»	*30* »	*Rescriptum*	»	*122*	37

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1922	*1* iulii	*Responsa*	*Com. Can. Interp.*	*127*	41
»	6 »	Decretum	S. C. Rituum	133	46 A 2
»	6 »	»	»	133	46 A 2
»	*8* »	*Responsum*	*S. C. Rituum*	*152*	53
»	8 »	Litterae	Pius Pp. XI	193	63 L
»	*10* »	*Epistola apost.*	*Pius Pp. XI*	73	26
»	10 »	Litterae	Pius Pp. XI	193	63 M 1
»	10 »	»	»	193	63 M 2
»	*14* »	*Responsa*	*Com. Cod. interpr.*	*162*	57
»	21 »	Litterae	Pius Pp. XI	193	63 M 3
»	23 »	»	»	193	63 M 4
»	*23* »	*Decretum*	*S. C. de Religiosis*	*84*	30
»	*25* »	*Constitutio ap.*	*Pius Pp. XI*	*75*	27
»	*1* aug.	*Epistola ap.*	»	*143*	51
»	*1* »	*Responsum*	*S. C. de Religiosis*	*150*	52
»	*2* »	*Decretum*	*S. C. de Seminariis*	*157*	55
»	*4* »	*Responsum*	*S. C. Rituum*	*154*	54
»	5 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	195	67 B
»	6 »	Epistola apost.	Pius Pp. XI	190	63 B
»	9 »	Litterae	»	192	63 K
»	*9* »	*Decretum*	*S. C. Rituum*	*187*	62
»	11 »	Decisio	S. Romana Rota	199	70 3
»	21 »	Litterae	Pius Pp. XI	192	63 M 5
»	*8* sept.	*Epistola*	»	*185*	61
»	14 »	Epistola	»	190	63 C
»	*11* oct.	*Responsa*	*S. C. de Religiosis*	*159*	56
»	14 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	196	67 E
»	16 »	Oratio	S. Romana Rota	198	70
«	20 »	Rescriptum	S. C. Rituum	196	68 A 1
»	21 »	Litterae	Pius Pp. XI	193	63 M 6
»	24 »	Decretum	S. C. Concilii	195	66 B
»	25 »	Rescriptum	S. C. Rituum	196	68 A 2
»	25 »	»	»	197	68 B
»	28 »	Epistola apost.	Pius Pp. XI	190	63 B
»	30 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	195	67 C
»	7 nov.	»	S. C. pro negot. extr.	197	69
»	8 »	»	S. C. S. Officii	193	64
»	*12* »	*Responsa*	*Com. Cod. interpr.*	*181*	60
»	14 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	195	67 D
»	17 »	Rescriptum	S. C. Rituum	196	68 A 3
»	17 »	»	»	197	68 A 4
»	22 »	Motu proprio	Pius Pp. XI	192	63 F
»	*22* »	*Monita*	*S. C. de Prop. Fide*	*179*	59
»	*30* »	*Decretum*	*S. C. de Religiosis*	*173*	58
»	3 dec.	Epistola	Pius Pp. XI	191	63 E
»	11 »	Allocutio	»	190	63 D

INDEX INITIORUM (INCIPIT) MONUMENTORUM

Pag.

Cum proxime, Motu Proprio SS. D. N. Pii Pp. XI, 1 mart. 1922, de Const. *Vacante Sede* . . . . . .

Expostulatum est. Decr. S. Rituum Congr. 29 april. 1922, De evangeliis stricte propriis. 109

Libenter quidem, Epistola Benedicti XV, 15 oct. 1921, varia monens de Indiis Orientalibus 1

Officiorum omnium, Epistola SS. D. N. Pii Pp. XI, 1 aug. 1922, de seminariis et studiis clericorum. 143

Pluribus abhinc, Decr. S. C. de Seminariis etc., 2 aug. 1922, de unione seminar. Calvensis et Theanensis 157

Pontificia Universitas, Decr. S. C. de Seminariis et Universitatibus studiorum 23 iun. 1922, de gradibus magisterii in Universitate Gregoriana 123

Quod iam, Decr. S. C. de Religiosis, 30 nov. 1922, De institutis iuris dioecesani 173

Romanorum Pontificum, Motu Proprio SS. D. N. Pii Pp. XI, 3 maii 1922, De pio opere a Prop. Fidei amplificando 63

Sancitum est, Decr. S. C. de Religiosis, 8 mart. 1922, De quinquennali relatione 18

Summorum Pontificum, Const. Apost. SS. D. N. Pii Pp. XI, 25 iul. 1922, qua S. Ignatius caelestis Exerc. spirit. patronus declaratur 75

INDEX ONOMASTICUS

Numeri seriem paginarum indicant, asteriscus annotationes significat

Augustine (R. P.), de licentia pro edendis libris (17).

Avatos Ludovicus (Sac.) excommunicatur, 192.

Barin Al. (R. D.) Opus citatur, 155*

Beauduin L. (O. S. B.) Opus citatur, 155*.

Benlloch y Vivò (Card.), pr. miss. 196.

Boudinhon Aug. (R. D.), op. Pr. F. 72.

Boury C. A. (O. M I.), Opus, 60.

Buerkler Robertus Ep. praes. miss. 52.

Buvee Il. Opus, 206.

Callewaert C. (R. D.) Opus citatur, 155*.

Canoniste Contemporain, 61, 139, 206.

Claeys Bouuaert F. Opus citatur, (149)*.

Cocchi G. (C. M.) Opus, 137.

Collationes Brugenses, 61, 138, 207.

Collationes Gandavenses, 138.

Commentarium pro Religiosis, 61, 138.

Coronala Matth. Opus, 205.

Cotel-Jombart (S. I.). Opus, 137.

de Cremona (Card.), de formulis S. C. de Propag. Fide, (40) seqq.

David Amer. (R. D.), op. Pr. F. 72.

Delaporte V. (R. D.) Opus citatur, 155*.

Derbaix L. (S. I.) Opus, 137.

Dvorak Xaverius (Sac.) excommunicatur, 192.
Eras Bernardus (R. D.) op. Pr. F. 72.
Ferreres (S. I.) Opus citatur, 178.
Ferrugia Nic. (O. S. A.) Opus, 205.
France Anatole. Opera omnia damnata, 131.
Fumasoni Biondi Petrus (Arch.) praes. op. Pr. F. 72.
Génicot-Salmans (S. I.). Opus, 137.
Ghiozzo Caietanus (Sac.) excommunicatur, 195.
Govani Ioachim (R. D.) op. Pr. F. 72.
Hanssens I. M. (S. I.). Opus citatur, 155*.
De Herdt. Opus citatur, (20). (21)*; de iure coadiutorum, 51.
Hoornaert G. (S. I.). Opus, 137.
Hostachy Victor (Miss. Sal.) Opus, 61.
Ilustracion del Clero, 62.
Ingoli Franciscus (R. D,), auctor formularum S. Congr. Propag. Fidei, (40) seqq.
Konings (C. SS. R). Opus citatur, (69).
Körperich Ric. Opus, 137.
Lajoie Phil. Aug. (R. D.) op. Pr. F. 72.
Ledóchowski praepositus gen. S. I., epistola pontificia honoratur, 190.
Legrand G. Opus, 138.
Lucas a Maria SS. (R. P.), praepositus gen. Ord. Carmelitarum, epistola pontificia honoratur, 131.
Magennen Elias (R. P.), moderator gen. Ord. Carmelitarum, epistola pontificia honoratur, 131.
Maroto Philippus (C. M. F.), de legum interpretatione (11). Opus citatur, 178.
Mathon Eug. Opus, 138.
Mercado y Riera Adr. (R. D.), op. Pr. F. 78.
Mercier (Card.) Opus, 60.
Monitore Ecclesiastico, 84.
Murray Butler (Dr.) praeses Universitatis Columbiae epistola pontificia honoratur, 185.
Nogara J. (Ill. D.), Op. Pr. 72.
Noldin (S. I.), de lege ieiunii, (25).
O' Hern Carolus (R. D.), op. Pr. F. 72.
Pighi Ioan. B. (R. D.) Opus citatur, 155*.
Pisani Petrus (Ill. D.), archiepiscopus tit. Constantiensis, delegatus apostolicus in Indiis oriental., epistola pontificia honoratur, 1.
Pistocchi Mar. (Can. Doct.) Opus, 205.
Pompen J. (R. D.), op. Pr. F. 196.
Prior Ioannes (R. D.), op. Pr. F. 72.
Prümmer (R. P.), de licentia pro edendis libris, (17).
Putzeys. (R. P.) Opus citatur, (69) seqq.
Ratti Achilles (R. D.). Opus citatur, 79*.
Resena ecclesiastica, 62, 139.
Revue ecclesiastique de Liège, 62.
Righetti M. Opus citatur, 155*.
Rivista di Studi Missionari, 62.
Roncalli Angelus (R. D.), op. Pr. F. 72.
Ross Franc. (R. D.), op. Pr. F. 196.
Schlögl Nivardus (O. Cist.). Opus damnatum, 131.
de Spiegeleere (S. S. S.) Opus citatur, 155*.
Toso (R. D.) Opus citatur, (12).
T' Serclaes de, op. Pr. F. 72.
Van Hove (R. D.), de privilegiis, (9)* (12).
Vanneufville (R. D.), op. Pr. F. 72.
Vasquez-Camarosa (R. D.), op. Pr. F. 196.
Vemeersch Arthurus (S. I.). Opus, 61, 138.
Zualdi F. Capoferri. Opus, 60.

MONUMENTORUM & RERUM

INDEX ALPHABETICUS

Numeri = numeri paginarum

Lineola interducta (—) = vocabulum in principio positum

Abbatia S. Martini de Weingarten restituitur, 192. — nullius S. Joannis de Iaszó erigitur, 192.

Administratio rerum temporalium, (23). (158).

Administrator apostolicus constituitur in Silesia Superiori, 197.

Americae meridionalis consiliarius apud Opus Propagationis Fidei, 72.

Angliae Op. Pr. Fid. 72, 196.

Archiepiscopi et munus senatorum, et deputatorum, 126.

Baptismi collati illegitimo adnotatio, 164, 170.

Basilicae minoris titulo quaedam templa donantur, 49, 131, 134, 193.

Beatificationis et canonizationis causae:
Alfredi Pampalon, 55;
Andreae Franchi, 55;
Contardi Ferrini, 133;
Ioannae Antidae Thouret, 133;
Ioannis Nepomuceni Neumann, 55;
Leonardi Muniardo, 55;
Petri Casani, 133;
Petri Eymard, 133.

Belgii consiliarius apud Opus Propagationis Fidei, 72.

Benedictio abbatialis 49, — apostolica in articulo mortis, 187.

Bonorum temporalium administratio, (23). (158). — quibus religiosus renuntiavit ius quaesitum, (36). — religiosorum subiectum, (32).—renunciatio (139). Pecuniae obvenientes religiosis occasione servitii militaris, 32.

Calicis quaedam novae formae, 122.

Campanulae usus in missa, 196.

Canadensis dominii consiliarius apud Opus Propagationis Fidei, 72.

Canonicorum residentia, (19)-(21).

Canonizationis causae. v. *Beatificat.*

Capituli generalis prorogandi indultum, 84. — suffragium in admissione religiosi transeuntis, 164.

Cardinales et munus senatornm et deputatorum, 126.

Causae: beatificationis et canonizationis, 55, 133; — collationis beneficiorum, 195; — conventionis, 57; — depositi ad pias causae, 56; — diffamationis, 57; — incidentis de appellatione, 200; de competentia, 200; de re iudicata, 199; — iuris nominandi, 194; — iurium, 57; — confraternitatum, 134; — matrimoniales 55-57 199; et forum competens, 165; — ususfructus, 57.

Censurae praemittenda monitio, 166. 172.

Cinerum benedictorum extra feriam IV cinerum impositio, 122.

Cleri partitio inter duas partes divisae dioecesis, (145).

Clericorum copia insufficiens, 143 — — studia, 145.

Collecta imperata seu oratio pro pace 45.

Collegium missionum a S. Alexio Falconerio in Urbe instituitur, 52.

Commendationis animae ordo in Rituali romano, 188.

Conclave. Constitutio piana ex parte innovatur, 4.
Concordatum inter S. Sedem et Lettoniam, 189.
Concursus ad beneficia patronatus laici, 181.
Confessio facta socio itineris, (156) — — religiosarum, (1)-(8).
Congressus Marianus Madraspolitanus, 1.
Coniugis desertae domicilium, 162, 165, 166; — praesumpta mors, 51.
Contractuum forum competens, 165.
Conventionis causae, 57.
Conventus Genuensis de pace 11, 14.
S. Cordis Iesu missa in prima feria VI mensis, 114.
Defunctorum nomina in ecclesiis inscripta, 196.
Delegatio Apost. erigitur in Sinis, 192.
Deposita ad pias causas, 56.
Diffamationis causae. 57.
Dignitatum ecclesiasticarum reservatio, 127.
Dioeceses *novae:* 130, 192; — *quarum fines mutantur:* 49, 50, 51, 130, 132, 192, 194, — *quarum denominatio mutatur:* 51, 132, 192
Domicilium uxoris a viro desertae, 162, 165. 166.
Donaria votiva quomodo alienanda, 8.
Electio capitularis, (153); — cum postulatione, 127.
Episcop iet munus senatorum et deputatorum, 126; quoad competentiam (160).
SS. Eucharistiae expositio in festo et octava Corporis Christi, 165, 171.
Evangelia in fine missae, 114; — stricte propria in fine missae, 109.
Examina post sacerdotium, 162, 167.
Exclaustrationis indultum, 182.
Exercitia spiritualia S. Ignatii commendantur, 75, 76.
Extrema unctio. Addenda in Rituali romano, 187.
Facultates a S. Congr. de Propaganda Fide concessae, (33)-(144).
Festum patroni principalis, 112; — translatum in dominicam, 113.
Filii acatholicorum ab ordinatione impediti, 164, 170.
Fontis baptismalis ius cumulativum, 182.
Formulae facultatum S. Congr. de Propaganda Fide (33)-(144.)
Forum competens in causis matrimonialibus, 165, 172. — in contractibus, 165, 171.
S. Francisci Xaverii canonizationis anniversarium, 191.
Galliae consiliarius apud Opus Propagationis Fidei, 72; — patronae Cœlestes B. Maria V. tit. Assumptionis in cœlum et S. Ioanna Arcensis declarantur, 50.
Germaniae, Austriae et Bavariae opus Propagationis Fidei, 72.
Helvetiae Op. Prop. Fid. 52.
Hispaniae Op. Prop. Fid. 72, 196.
Hollandiae Op. Prop. Fid 72, 196.
Ieiunii violati numerica peccatorum ratio, (25).
S. Ignatius a Loyola caelestis Exercitiorum spiritualium patronus declaratur, 75. Epistola pontificia in anniversario eius canonizationis, 191.
Impedimentorum matrimonialium dispensatio, 183.
Indigenae pastores in missionibus constituendi, 3.
Indulgentiae apostolicae a SS. D. N. Pio Pp. XI concessae, 39; cum aliis cumulantur, 125.
— tribuuntur: Consociationi a « Choris Marianis » in Urbe, 51; Sodalicio Unionis Eucharisticae, Mediolani, 49.

Instituta iuris dioecesani, 173-179.
Institutum Orientale Societati Iesu committitur, 190.
S. Ioanna Arcensis patrona Galliae declaratur, 50.
Italiae consiliarius apud Opus Propagationis Fidei, 72, — factionum conciliatio, 190.
Iuspatronatus et concursus ad beneficia, 183; et diligentia Ordinariorum, 183.
Latinae linguae studium in seminariis, 145.
Legum quarundam interpretatio, (8)-(15)
Lettoniae concordatum cum S. Sede, 189.
Libros edendi licentia, (15)-(17).
Litaniae Omnium Sanctorum. Additur invocatio, 52.
Lovaniensis bibliothecae restitutio, 185.
B. Maria V. titulo Assumptionis in caelum patrona Galliae declaratur, 50.
Matrimoniales causae, 55-57. 165. 199. 200.
Metropolitana S. Aloisii de Maranhao erigitur, 131.
Missa defunctorum, 113; — de requie in translatione cadaveris olim humati, 111; — in festo in dominicam translato, 113; — infra octavam privilegiatam III ordinis, 114; — in prima feria VI mensis, 114; — pro populo, 164. 169; — rogationum, 113; — votiva de Fidei propagatione, 53. 196. — Campanulae usus in missa, 169; Evangelium in fine missae, 109, 114. Fideles celebranti respondentes vel cum eo quaedam legentes, 154. - Praefationes in missis cum commemorationibus, 197. - Reductio onerum missarum, 165, 171.
Monialium monasteriorum fundatio, 159; translatio, 159. — professio, V. *Religiosae*.
Musicae sacrae schola in Urbe, 192.
Noviciatus integritas, (155), 182.
Novicii admissio ad primam professionem, (28), 47. — dimissio, (27).
Numisma loco scapularis Tertii Ordinis, 81.
Officiorum ecclesiasticorum renuntiatio, 162, 167.
Ordinarius et ingressus in religionem, (18); et licentia libros edendi, (15).
Parochi concursus pro beneficio iurispatronatus laici, 183. — iurisdictio quoad religiosos, (150). — ius in processionibus, 181. — religiosi eligendi examen, 162, 167.
Parochorum cumulativorum abrogatio 108, 163.
Philosophiae catholicae studium in seminariis, 147.
SS. D. N. Pii Pp. XI. allocutio consistorialis, 190.
Praecepta Ecclesiae quonam incommodo excusentur, (157).
Praefecturae apostolicae *novae:* 50, 130, 192; — *quarum denominatio mutatur:* 196; — *quarum fines mutantur:* 50, 51.
Praelatura nullius S. Iosephi Grajauenssis noviter erecta, 130.
Privilegium sabbatinum commendatur, 131.
Professio religiosi ad militare servitium adstricti, 85, — transeuntis, 164. 169.
Propagationis Fidei Operis amplificatio, 64, — consiliarii electi, 72. — Consilii facienda relatio, 180; — consiliorum nationalium praesides nominantur, 196; ratio elargiendi subventiones, 180; — statuta generalia,

67, 179; — statuta pro Consilio superiore generali, 70.
Quasi-episcoporum competentia, (160),
Relatio quinquennalis circa missiones, 86, 101; — a religionibus facienda, 18, 20.
Religiosae et taxa pro exploratione voluntatis apud eas, 79; et vox passiva, (154); — ad tempus degentes in aliomonasterio, (157).
Religiosi ad servitium militare adstricti, eorumque professio, 85; — parochi vel vicarii curati et examen de theologia, 162; — transeuntes eorumque professio, 164, 169; — vicarii et assistentia matrimonialis, 164; — et pecuniae eis obvenientes occasione militaris servitii, 32; — et parochorum iurisdictio, (150); — et vox passiva, (154).
Rituale Romanum. Addenda 187.
S. Rotae Romanae decani oratio mercurialis, 198.
Russi fame laborantes et pontificia sollicitudo, 73.
Saecularizationis indultum, 182 — rescriptum an recusari possit, 150.
Seminaria clericis instituendis reservanda, 145; — duo in unum interdioecesanum uniuntur, 157, — instituendi facultas, 50. — regionalia instituenda, 149.
Sententia collegialiter subscribenda, 165. 171.
Sepulturae ius apud parochos, (21).
Statuum Foederatorum consiliarius apud Opus Propagationis Fidei, 72.
Suffragia consilii pro admissione noviciorum, (28); — pro professione religiosi transeuntis, 164, 169.
Superioris generalis confirmatio, (28); — munus ad vitam, 31; — nominatio (154). — potestas noviciatum prorogandi, (27); novicium admittendi ad professionem (28); novicium dimittendi, (27). — suffragium in consilio, (28).
Taberna, quid significet, (19).
Tertii Ordinis scapulare an numismate commutari possit, 81.
Theologiae examen a parochis et vicariis curatis religiosis subeundum, 162. — pastoralis studium in seminariis, 147. — studium in seminariis, 147.
S. Theresae spiritus in eius Ordine fovendus, 131.
Unio Cleri pro missionibus. Primus conventus internationalis in Urbe, 52. Praeses nominatur pro Helvetia 52; pro Hispania, 196.
Universitas Gregoriana et gradus magisterii, 123.
Vicariatus apostolici *novi:* 130, 131; — *quorum denominatio mutatur:* 132, 196; — *quorum fines mutantur:* 50, 52, 130, 152, 192; — *quorum sedes mutatur*, 195.
Vic. Apost. Germaniae septemtrionalis titulus et munus episcopo Osnabrugens, conferuntur, 52.
Vicarii oeconomi et applicatio missae pro populo, 164. 169. — substituti et assistentia matrimoniis, 163.
Visitatio apostolica missionum Indosinensium indicitur, 195.
Vocationis germina fovenda, 144,
Votorum religiosorum emissio, 47; coram testibus, (156). — dispensatio an recusari possit, 151.
Vulgata editio V. et N. et variae lectiones, 46

Periodica de re morali

v.11

CBPac

v.11 10230

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU Library
3 2400 00335 7039